

ACTA TOMICIANA.



TOMUS QUINTUS.

A. D. MDXIX-MDXXI.

ACTA TOMICIANA.



TOMUS QUINTUS.

A. D. MDXIX-MDXXI.

ACTA TOMICIANA.

TOMUS QUINTUS.

2545/3

Anni Domini Millesimi Quingentesimi Decimi Noni memorabilia.

Isabella, dux barensis significaverat Sigismundo, regi, Joannam reginam Neapoli defunctam esse et se ab illa haeredem bonorum omnium mobilium et immobilium testamento esse constitutam, quorum bonorum possessionem obtinere non posset absque consensu Caroli, Hispaniarum regis. Suadet itaque, ut Sigismundus, rex, ageret cum apud Maximilianum, imperatorem Romanorum, tum apud Carolum, Hispaniarum regem, quo id testamentum in robore suo conservaretur. Legatus itaque a rege missus erat Joannes Dantiscus, qui regem Catholicum rogaret, ut testamentum hoc ratum habere et Ill. dominam ducem Isabellam in possessione bonorum sibi relictorum conservare velit. Responsum in haec verba ab imperatore:

> *Caesar promisit, se commissarios deputaturum, qui hoc testamentum reviderent, quodcunque autem justum et aequum fuerit, sua Catholica Mtas. sine mora et quavis dilatione ad votum beneplacitumque Sermi. regis decernet.*

Die XVIII. Januarii Bona, regina Poloniae peperit filiam Isabellam hora quarta noctis sequentis. Eodem anno caesar Maximilianus mortuus.

Hoc anno comitia indicta fuere Cracoviae, sed refragantibus vicissim omnibus ex Majori Polonia Petricoviam translata fuerunt et pro festo purificationis celebrata. Inter alias constitutiones horum comitiorum contributio erat universalis decreta. Sub his comitiis legati venerant a consiliariis Ungariae, quorum legationis haec summa erat. Primo exposuerunt ingentia pericula, quae regno Ungariae imminere, deinde petierunt a regia Mte. ut haec imminentia pericula, quae regno Ungariae ruinam minari videbantur, regio animo suo perpendere et rebus regni afflictis consilio et auxilio adesse velit.

Responsum a rege legatis in haec verba:

> *Quod ille pro debito et perpetuo amore erga regem Ungariae ac ipsum regnum nulli unquam impendio et operae parcet, et quamvis gravissimis bellis et difficultatibus domi fuerit distentus, nihil tamen praetermittet, quod pro illius Mte. ac regno suo Ungariae praestare possit.*

Legatio a Ludovico, rege Ungariae, post mortem caesaris Maximiliani, in qua petit a rege Sigismundo, ut ille post recentem obitum caesaris, cui cura sui cum illius Mte. erat per Sermum. olim Vladislaum regem commissa, ita ut fecit hactenus, de bono et commodo ipsius consulere dignaretur.

Legatio a Francisco, rege Galliarum, ad Sigismundum regem, quorum legationis haec summa erat:

> *Retulerunt, qualiter rex Galliarum post mortem caesaris per majorem electorum partem fuerit ad fastigium imperii romani postulatus, quod ille, ne praecibus illorum deesse videretur detrectare et recusare noluit. Sciens autem, sacram reg. Mtem. tutorem agere Sermi. regis Ludovici, nepotis sui, cujus suffragium, si in pari electorum voto res deveniret, eam decideret, ipsa nomine Sermi. nepotis sui suffragium pro illius Mte. Christianissima dare dignaretur.*

Responsum a regia Mte. in haec verba erat:

Regia Mtas. ajebat: se adhuc in conventu Augustensi suffragium pro Sermo. dno. Carolo, rege Hispaniarum, promisisse et proinde aliter non sentire et velle, ne quaedam nota in constantiae et oblivionis officii videretur, quae ab unoquoque principe longe aliena esse debet. Polliceri itaque Mti. suae hanc operam, quam postulat, non esse ullo modo Mti. suae integrum et licitum.

Legati a Sigismundo rege Francofordiam ad conventum electionis novi caesaris missi Mathias Drzewiczki, epus. vladislaviensis, et Raphael de Leszno, castellanus landensis, ut quae ipse Sermus. dominus nepos suus ex se praebere deberet et ad quae ipsi dni. electores admittere eos dignarentur, haec omnia obirent et exequerentur.

XXVIII. Maji Carolus quintus, Rex Hispaniarum, in imperatorem Romanorum electus est.

Rex audiens populari terras Russiae et Podoliae, conventum Sandomiriae indixit de resistendo huic malo, in quo conventu obtulerunt se omnes terrae proficisci.

Restes ad Russiam et ad Minorem Poloniam post conventum sandomiriensem emissae sunt.

Hieronymus Balbus, praepositus posoniensis, legatus a Ludovico, rege Ungariae, ad Sigismundum regem missus. Cujus legationis haec summa erat. Retulit imprimis, quanta et quam perniciosa fuerit hactenus dissensio inter optimates et plebem regni Ungariae, foventibus illam nonnulli ex optimatibus ipsis. Nunc autem optimates invicem omnes rediisse in gratiam et in unum omnes sentire decrevisseque jugum plebis excutere, decrevisse etiam tutelam Sermi. dni. regis Ludovici regnique ejus Mti. regiae committere; neque id ipsum confici posse commodius et rectius, nisi mutuo utriusque Mtis. conventu. Ceterum retulit: commissarios regis Caroli scripsisse Mti. domini regis Ungariae et circa festum S. Martini in Austriam venturos, et postulasse, ut mitteret illuc Mtas. sua oratorem, cum quo negotium ipsius matrimonii conficerent. Decrevit itaque Mtas. sua oratorem eo mittere. Retulit praeterea: quod pertinacia et comminationibus instabant domini Bohemi, ut Sermus. dnus. rex Ludovicus ad regnum illud accederet, consilium quoque in hac re Mtis. regiae requirit.

Responsum a rege ita erat:

Primum libentissime audivit Mtas. sua mutuam factam esse concordiam et consensum inter dnos. regni Ungariae. Quod autem tutelam Sermi. dni. Ludovici attinet: quomodo quidem Mtas. ejus nunquam illam ambivit, cum satis illi sit negotiorum et curarum domesticarum ne foris quaerat, tamen ne hanc dominorum Ungariae benevolentiam in se oblatam rejicere et parvi pendere videretur, libenter eam tutelam acceptabit. Ut autem res tranquillius et secretius conficeretur, statuit Mtas. sua ita ut illorum Dtiones. consuluerunt, convenire una cum Sermo. dno. nepote suo. Quod Sermus. dnus. rex Ungariae nuncium ad Carolum regem causa conficiendi matrimonii Illmae. dnae. Annae mittere destinavit, probat Mtas. regia et suum quoque, uti postulat, libentissime mittet. De profectione in Bohemiam non videtur Mti. regiae, ut illis denegetur, ne quis in ipso regno tumultus oriatur.

Jacobus Seczygniewski, orator ad cesarem Tartarorum causa firmandae pacis missus.

Annus Domini Millesimus Quingentesimus Decimus Nonus.

I. Chronica.

MDX IX. (MDXVIII) Cod. G.

In fine anni MDXVIII. IV. Novembris Sigismundus primus, Rex Polonie, Cracovia discessit ad Lithuaniam ad Conventum Brestensem Lithuanicum

XV. Novembris ad Brzescie pervenit

Absoluto autem Lithuanico Conventu, Rex discessit e Brzescie ad Poloniam Die tertia Januarii

XVIII Januarii Cracoviam rediit

Eodem die XVIII Januarii Bona, regina Polonie, peperit filiam Isabellam hora quarta noctis sequentis.

XXVI Januarii Szombergus ex Cracovia Romam abiit.

Cesar Maximilianus mortuus.

II. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni Polonie.

Cod. G. R.

Reverende. Fuit animi et propositi nostri, ut priusquam hinc ad Lithuaniam proficisceremur conventum regni generalem ageremus, sperantes, quod interea vel pax certa, vel inducie alique cum hoste nostro duce Moscovie confici per oratores cesareos deberent. Verum cum ex illorum literis accepimus, quas conditiones hostis ipse proponit tam pacis quam induciarum, perpendimusque et judicavimus, quod acceptare illas magni esset dispendii et dedecoris, ac proinde non acceptis illis nullam pacis spem superesse, cumque militibus nostris, qui fines dominii illius tutantur, majorem stipendii partem debeamus, ut neque soli nos solvendo sufficientes esse possumus, neque illi diutius in presidiis durare possunt, quin nobis nunciari fecerunt: se demerito suo tempore discessuros et arces in summo discrimine constitutas relicturos, coacti sumus quam celerius iter illuc in Lithuaniam capessere, et tam gravi periculo, quod illi statui semper imminet, tempori occurrere, statuimusque conventum generalem ipsius dominii pro festo S. Martini proximo in Brzesczie, quo jam

recta

MDXIX. (MDXVIII) recta continuatis itineribus hinc feria quinta post festum omnium Sanctorum bene juvante Deo proficiscemur, ubi constitutis quantocius fieri poterit rebus omnibus tam ad defensionem quam etiam ad solutionem et retentionem presidiorum pertinentibus, sine quibus arces nostre finitime consistere non possunt, curabimus illinc recta ad conventum regni generalem venire, quem habendum auspice Deo pro festo purificationis domine nostre S. Marie decrevimus, ut tandem huic etiam Reipublice in nulla defensione et bono ordine constitute possit aliquo salutari modo consuli et provideri.

Et quia puerperium Serme. conjugis nostre, quod dominus deus fortunare dignetur, circiter illud tempus incidet, cui interesse volumus atque dignum arbitramur cum propter ipsam Sermam. conjugem nostram adhuc pene hospitam et primum parituram, tum etiam propter multos exteros et insignes hospites, quos huc venturos putamus et qui sine presentia nostra recte pro dignitate nostra excipi non possent; postulamus et hortamur vram. Ptem., ut subducta ratione temporis modici ad tanta totque negotia obeunda simul et itinerum nostrorum longitudine ac difficultate, suum nobis consilium perscribat: in quo loco potissimum conventum ipsum generalem celebrari censeat, ut accepta illius sententia de indicendo illo tempori statuere possemus. Officium suum et nobis rem gratam factura. Que bene valeat. Datum (Cracovie MDXVIII. m. Oct.).

III. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Ssidlowec, Palatino et Capitaneo Crac., Regni Polonie Cancellario.

Cod. G. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Quamvis pene omnes consiliarii terrarum Minoris Polonie censuerint, conventum generalem Cracovie statuendum, tamen refragantibus vicissim omnibus ex Majori Polonia affirmantibusque, conduci non posse nuncios terrarum Cravoviam, et nolentes nos, ut propterea impedimentum aliquod fieri deberet rebus bene consulendis, statuimus ipsum conventum auspice domino Deo Piotrkovie ita ut tua Stas. clarius ex literis nostris cognoscet, que propediem ad eam perferentur.

Ceterum quod nobis de nutrice future prolis nostre scribit, nobis eadem est sententia, que Serme. domine conjugi nostre, ut videlicet sit nobilis, sana et juvenis, et non ambigimus, cum latum sit regnum nostrum, talem facile reperiri posse. Itaque postulamus a tua Ste.: ut in hac re operam faciat, quo eadem nutrix et cum hisce conditionibus ejus Mti. reperiatur. Et bene valeat.

IV. Petrus Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Jo. Boner, Zuppario Cracoviensi.

Cod. G. R. Generose domine, amice et fautor honorande. Sumus hic in magno tedio constituti, optamusque, ut cito nos hinc explicare et in regnum reverti possimus. Spero autem, quod Mtas.

Mtas. regia mox post festum natalis aut ad summum circumcisionis domini hinc discedet. MDXIX.
Nam accelerat in expediendis et cito absolvendis negotiis hujus conventus, ut ad tempus puerperii reginalis Mtis. venire istuc possit

Ex Moscovia nihil adhuc allatum est, nec scire possumus, quid sit de pace aut induciis sperandum.

Mtas. regia gratia Dei est bene sana. Commendo me vre. Dtioni. et valere illam felicissime desidero. Datum in Brzesczie.

V. Sigismundus, Rex Polonie, Isabelle, Duci Barensi, socrui sue.

Illma. princeps et domina mater nostra charissima. Retulit nobis iste nuncius vestre Illtis. Cod. G. R.
eam gratia Dei meliuscule valere, quo magnam cepimus voluptatem: nos etiam salvi et incolumes ex Lithuania reversi sumus eoque die quo huc applicuimus, videlicet XVIII hujus mensis, Serma. conjux nostra filiam nobis levi et incolumi partu protulit, quod solum imprimis cure nobis fuit, et licet magis ex re posteritatis nostre et status regni dominiorumque nostrorum fuisset, ut filius natus esset, tamen cum ita illi placuit, apud quem rerum omnium est potestas et cujus incomprehensibilia sunt judicia et vie investigabiles, nos gratissimo animo id suscepimus quicquid nobis elargiri voluit, sperandumque, ut cum de sua benignitate fecundam et facilis partionis uxorem nobis dedit, filium etiam aliquando daturum.

Ceterum intelleximus non sine gravi dolore nostro cesaream Mtem. decessisse, novit enim vestra Illtas. quanta nobis cum illa benivolentia et fraterna conjunctio intercedebat. Antequam vero illius Mtas. e vita discessisset, in omnibus nuncium nostrum, quem ad regem catholicum in negotio vre. Illtis. misimus, quantum expediebat, absolvit: is propediem jam ut nobis scripsit apud ipsum dominum regem catholicum constituetur, et non dubitamus, utcunque defuncta cesarea Mte., illum uti necessarium nostrum nobis gratificaturum. Commendamus nos materno amori vre. Illtis. quam dominus Deus nobis diutissime servet sospitem et incolumem. Datum Cracovie.

VI. P. Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Isabelle, Duci Barensi.

Illustrissima princeps et domina, dna. mea honorandissima. Rediit ex Lithuania s. Mtas Cod. G.
regia optime gratia Dei sana, sospes et incolumis eodemque die, quo Mtas. sua hic applicuit Serma. dna. regina facili nixu filiam protulit, que Mti. regie, quum ita dno. Deo placuit, non minus est accepta quam filius, hoc super omnia cordi habens, quod ipsa Serma. dna. regina parvo admodum labore et sine ullo sanitatis detrimento partum hoc plenum perficit. Non est aliud ad presens quod scribam vre. Illme. Dtioni. solum me et obsequia

MDXIX. mea perpetua illius gratie commendo, quam diutissime sanam, felicem et omnium votorum suorum compotem esse desidero. Cracovie.

VII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie.

Cod. G. Serme. Significamus Mti. vre., Sermam. dnam. conjugem nostram ad XIV. calend. Februarii filiam nobis sua, gratia Dei, et illius incolumitate produxisse, que licet non adeo nobis expetita fuerit ut erat filius propter geminam et firmiorem cum vra. Mte. spem generis et posteritatis nostre ac communium regnorum nostrorum commodum et incrementum, tamen cum illi placuit, apud quem rerum omnium est potestas et cujus incomprehensibilia sunt judicia et vie investigabiles, equi bonique consulendum est et grato animo suscipiendum id quidquid elargiri nobis dignatus est, sperandumque, ut cum de sua divina benignitate tum fecundam tum etiam facilis partionis conjugem nobis dedit, illum etiam filium aliquando daturum. Felicissime valeat Mtas. vra. etc. Cracovie.

VIII. Sigismundus, Rex Polonie, Epis. et Palatinis Regni.

De nata sibi filia Isabella

Cod. G. R. Reverende in Christo pater, Mgce. sincere nobis dilecti. Ad decimum octavum hujus mensis Serma. dna. conjunx nostra incolumis, gratia Dei, et levi nixu filiam nobis protulit. Speravimus autem nos optavimusque a dno. Deo filium, non tam equidem nostri solacii quam regni et dominiorum nostrorum causa, sed quando res ita vertit, et ipsa Serma. conjunx nostra et fecunda sit et facilis partionis, expectandus erit deinde et filius, in quo nostra opera non deerit, modo supremi illius patris non desit, qui hec pro arbitrio et meritis nostris dispensare solet. Bene valeat vra. Ptas. Dat. Cracovie die Sanctorum Fabiani et Sebastiani.

IX. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopo Laibacensi.

Cod. G. Rde. Litere vre. Ptis., quibus mortem cesaree Mtis. significavit, incredibilem nobis dolorem attulerunt; novit enim quanta nobis cum illius Mte. conjunctio et fraternus amor intercedebat. Verum cum illi sic placuit, apud quem rerum omnium est potestas, ferendum est equo animo. Nos cognitam habentes prudentiam et observantiam in nos vre. Ptis., fuisset ejus adventus nobis gratissimus, sed quando casus iste intervenit, boni consulimus agimusque vre. Pti. gratias, quod de his rebus et morte cesaree Mtis. nos certiores reddidit. Referemus hoc studium illi omni favore et benivolentia nostra. Que bene valeat.

X. SIGISM.

X. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

Serme. princeps. Intelleximus Jeronimum Hornig et Achacium Hawnolth, cives Vratislavienses delatos esse apud Mtem. vram. tanquam ipsi existentes hic in nuptiis nostris, missi a magistratu civitatis sue, egissent apud nos aliqua contra monetam, que in Swidnicza sub signis nostris et titulo Mtis. vre. cuditur, citatosque esse propterea ad presentiam vre. Mtis. Cum vero nihil unquam nobiscum de ipsa moneta tractarint et falso sint apud Mtem. vestram accusati, visum est nobis hominibus hac noxa carentibus non deesse. Quare rogamus apud Mtem. vram., ne huic delationi fidem adhibeat, quasi ipsi de eadem moneta quidquam nobiscum egissent, sed nos ipsi intelligentes eam esse nobis et dominiis nostris damno non mediocri, illam recipi et expendi in regno nostro prohibuimus. Felicissime valeat etc.

MDXIX. Ex cod. miss. bibl. Korn.

XI. Sigismundus, Rex Polonie, Ad Duces et Status Slesie.

Illres. principes et domini affines nostri charissimi, ac mgci., generosi, nobiles ac famati, sincere nobis dilecti. Jam pridem cum nova moneta in civitate swidnicensi cepta fuit excudi, visum erat omnibus consiliariis et subditis nostris, id in manifestum damnum regni nostri fieri, quod eadem moneta non sub signis solitis Sermi. dni. Hungarie et Bohemie etc. regis, sed ad instar et tantam similitudinem monete nostre fieret, ut per simplices et literarum ignaros nullo modo a nostra dignosci possit. Quare de communi omnium consilio illam e regno nostro proscribi fecimus et publico edicto capi ab omnibus subditis nostris vetuimus, intelligentes eam, si expendi permitteretur, ingens dispendium nobis et nostris subditis allaturam. Et proinde postulamus a vris. Dominationibus. universis, ut hanc rem nobis noxiam ita sistere et providere velint, quo deinceps moneta ipsa et non excudatur et excusa ad regnum nostrum non inferatur. Alioquin nos omnes illos, apud quos reperietur gravissimis penis affici, ferreque diutius non poterimus, quin vicissim statuamus aliquid, quo damnum nobis illatum his, quorum culpa esset, refunderetur et nos commodo regni nostri non defuisse videremur. Habemus tamen hanc fidem de vestris Dtionibus., quod pro virtute et benivolentia sua in nos hec justa postulata nostra exequantur. Que bene valeant.

Ex cod. miss. bibl. Ossolin.

XII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Dantisco, Secretario.

Nobilis, fidelis dilecte. Quia nobis multum est cure negotium, in quo te ad Sermum. dominum Catholicum regem misimus, volumus, ut apud ejus Mtem. tantisper immoreris, omnino non obstante, quod cesarea Mtas. decesserit, donec ipsum negotium plane conficias Et aliter non facias pro gratia nostra. Datum...

Cod. G.

XIII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Ungarie et Bohemie Regi, Nepoti.

MDXIX. Cod. G. Serme. princeps et domine nepos noster charissime. Accepimus literas vre. Mtis. quibus nobis in primis gratulatur de incolumi nostro ex Lithuania reditu, pro quo favore benivolentia et affectione in nos ejusdem Mtis. vre. plurimas illi agimus et habemus gratias.

De inopinata vero morte cesaree Mtis. tristissimum nuncium ante ex literis regentium Austrie acceperamus et e vestigio cum universe rei christiane jacturam tum etiam singillatim vre. Mtis. doluimus dolemusque etiamnum vehementer. Scimus enim quanto amore illam complectebatur, quave cura et studio ad omnem honorem et bonum statum vre. Mtis. una nobiscum incumbebat. Sed cum ita domino Deo placuit, apud quem rerum omnium est arbitrium, ferendum est equo animo. Et quod ad nos attinet, intelligimus plane, Serme. rex et nepos noster amantissime, omnem illius curam in nos jam recidisse, que semper erit tanta, ut de nobis ipsis et liberis nostris major esse non poterit. Quare nihil unquam de amore studio et officio in se nostro dubitaverit.

Ceterum auctam Turcarum tiranni potentiam et cum pre ceteris vestre Mti. et regno ipsius Ungarie infensum esse scimus. Ita enim dudum ab ejus oratore secreto didiceramus et meminimus id tum e vestigio vre. Mti. significasse, illum videlicet nihil magis statutum apud se et obfirmatum habere, quam mox ubi a Syria et Egipto reverteretur ipsum Ungarie regnum aggredi. Cum igitur jam, quod illi male vertat, ita auctus et rerum potitus rediit, generalis autem expeditio, si qua futura erat, hac defunctione cesaree Mtis. vel impedietur vel producetur, rogamus plurimum Mtem. vestram, ut nunc una cum consiliariis suis diligentius quam unquam alias de avertenda tota procella imminente curet et provideat, cui nos, quantum erit opis nostre et per difficultates nostras nobis licebit, omni facultate, viribus et sanguine denique nostro non deerimus In quo autem a nobis postulavit, ut aliquem ex consiliariis nostris ad se ante festum purificationis S. Marie mitteremus, nunquam gravati sumus, quandocunque Mtas. vra. optabat et nos tempori certiores facit, oratores nostros ad illam et quocunque usus fuerit, mittere, verum et propter conventum generalem, quem his diebus habituri sumus, cui omnes consiliarios et regnicolas nostros primarios interesse oportebit, et quia cum alias sepius tum vero nunc adeo sero pro ipsis oratoribus ad nos scripsit, ut nedum ad expediendum aliquem ex proceribus aut consiliariis nostris, quorum quisque in bonis suis haud prope degit, et raro apud nos esse solet, sed etiam ad tabellarium mittendum vix tempus suppeteret, itaque nullo modo in presens aliquem mittere potuimus, ut in tempore istuc applicaret; rogamusque Mtem. vestram, ut deinceps si quid tale a nobis requisiverit non gravetur id tempori significare, ut votis Majestatis vre. in omnibus ita ut cupimus gratificari et satisfacere possimus. Cui ut diximus omni ope nostra semper et in cunctis ejus necessitatibus addesse volumus, nec eam ulla in re unquam desereimus. Que felicissime valeat et nos diligat.

XIV. Contributio in Conventu Piotrkoviensi decreta pro presidiis in Russia tenendis.

Sigismundus D. g. rex Polonie etc. Universis et singulis, ecclesiasticis et secularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscunque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam presentes litere nostre pervenerint et presertim in palatinatu N. et districtibus ejus consistentibus, sincere nobis et fidelibus dilectis, salutem et gratiam regiam. MDXIX. Cod. G. R.

Rmi. et rev. in Christo patres nec non mgci. generosi, nobiles famati et providi sincere nobis et fideles nostri dilecti.

Invalescentibus in dies magis periculis et discriminibus regni nostri non solum a Tartaris, anniversariis et perpetuis hostibus nostris, sed etiam ab aliis finitimis hostibus, ita, ut non solum terris Russie tot cladibus jam affectis, sed etiam terris Prussie non minoribus difficultatibus expositis, opus fuerit maturo et diligenti consilio providere. Consulentibus itaque in commune nobiscum consiliariis et nunciis terrarum regni nostri in presenti conventu Piotrkoviensi generali de firmis et opportunis presidiis utraque in parte collocandis, laudatum et constitutum est, ut singule ville omnium terrarum regni nostri tam nostre, quam omnium spiritualium et secularium subditorum nostrorum ex singulis agris possessionatis solvant hoc modo, quod de laneo possessionato pro festo Pentecostes proximo in manus exactoris infrascripti solvantur sex grossi monete usualis polonice in regno currentis, alii vero hujus fertonis sex grossi pro festo S. Michaelis prox. solvantur. Qui quidem fertones solvi debent secundum quittantias anni preteriti absque juramentis.

Item tabernatores, qui agros habent, ab illis exactionem fertonum solvent juxta agrorum quantitatem, exactionem vero ducillorum a singulis cocturis cerevisie more consueto solvere nihilominus sint astricti. Alii vero tabernatores, qui advecticiam propinant cerevisiam sex grossos semel hoc anno non ad duas ratas solvere debent.

Item coloni seu kmethones advocatorum et scultetorum quilibet solvet fertonem divisim ad duas ratas temporis predictas: sex grossos videlicet pro festo Pentecostes prox. et reliquos sex ad festum S. Michaelis prox. ita ut et coloni seu kmethones nobilium et dominorum.

Oppida autem et ville vastate et cremate per Tartaros his proximis duobus annis in terris Podolie et Russie et a suis dominis immunitatem habentes, hoc est: quarum incole suis dominis nihil solvunt, si quidem hoc probabunt, quod suis dominis nihil solvunt, libertatem et immunitatem habebunt ab ista fertonum contributione in presenti conventu constituta, exactione Czopowe excepta.

Item molendina prescriptarum villarum, que „Posrebne“ vocantur manuales seu anniversarios molendinatores habentia, ex singulis rotis sex grossos solvent, hereditarii vero molen dinatores dictarum villarum et „folusche“ ex singulis rotis molendinorum suorum, que „valve“ dicuntur, unum fertonem persolvent.

Item molendina brasealia et hereditaria aquatica et equestria in omnibus civitatibus et oppidis more veteri taxata contributionem persolvent, a qualibet marca taxe duos grossos.

Minerarie vero officine alias ferrum facientes et serre hereditarie ex singulis rotis per unum

MDXIX. fertonem solvent, ab annali vero serra hoc est locata seu conductitia grossi sex solvi debent.

Item molendina ventilia quodlibet illorum sex grossos solvet.

Item civitates et oppida tam nostra quam subditorum nostrorum spiritualium et secularium contributionem civilem, quam „Schoss“ vocant, secundum antiquas quittantias ad duas ratas temporis solvent, cujus unam medietatem pro festo Pentecostes prox. alteram vero medietatem pro festo S. Michaelis ex tunc immediate sequenti contribuent, hoc addito et expresso, quod cives et suburbani agros habentes, qui uno jure civili gaudent et contributionem „Schoss“ simul contribuunt, fertones non solvant.

Item contributio cerevisie, medonis, vini malmatici, muscatelli „Czopowe“ dicta in iisdem civitatibus et oppidis ac etiam tabernis villarum tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium et secularium, a festo Pentecostes prox. venturo, (nam prior illa anno preterito instituta ibi terminabitur et expirabit), incipiet et per integrum annum durabit, que a singulis cerevisie coctoribus more solito solvetur ex quibuscunque braseis fuerit eadem ipsa cerevisia cocta, sive brasea ipsa sint civium et dominorum, sive ex molendinis provenientia et emensurata, sive domifacta, ita quod etiam a cerevisia, quam domini et nobiles ex braseis suis coquunt seu braxant et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus, contributio ipsa „Czopowe“ solvatur.

Item sacerdotes Rutheni, qui popones vocantur, ex singulis ecclesiis et sinagogis suis unum florenum alias mediam sexagenam persolvent.

Item Valachi ex singulis laneis integris, si illos habent, vel areis, que „dworzisca“ dicuntur, unum fertonem solvent, et qui agros non habent, a singulo centenario omnino duodecim grossos persolvent.

Ut autem supradicta ordinatio in exigendis eisdem contributionibus facta debite executioni demandentur, generosum N. ad eas colligendas in palatinatu N. exactorem designavimus et constituimus presentibus literis nostris, mandamusque, ut in manus ejusdem, designatis temporibus, easdem contributiones persolvere curetis. Vos vero capitanei eos, qui tardi aut contumaces in solvendo erunt et quos ipse exactor deferet, per pignorationes vel alias penas solitas, quas non solventes contributionem incurrunt, ad solutionem ipsarum contributionum predictarum compellatis penasque hujusmodi diligenter exigatis sub pena centum marcarum contra negligentes capitaneos decreta nobis irremissibiliter persolvenda et pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Piotrkovie in conventione generali sabbato proximo ante dominicam Quinquagesime MDXIX.

XV. Constitutiones Conventus Piotrkoviensis.

Cod. G. R. Sigismundus etc. Manifestum facimus per presentes universis. Quia cum in presenti generali conventu Piotrcoviensi de necessitatibus Reipublice, que foris incumbunt consuleremus, domesticis etiam negotiis, que meliorem ordinem exigebant, providere volentes, siquidem non minus detrimenti afferre solent omni reipublice res minus debite domi administrate, quam externe difficultates, de communi consilio et consensu tam consiliariorum nostrorum

strorum status utriusque quam etiam nunciorum terrarum regni nostri, has infrascriptas MDXIX.
constitutiones ad tres duntaxat annos valituras edidimus.

Ac inprimis constitutionem priorem de conscribenda una formula juris et processu judiciario in unum cogendo statutisque corrigendis ad effectum deducere volentes, quo ambiguitates omnes juris et statutorum ac difficultates hominum in consequenda justitia tollantur, designavimus mgcum. Andream de Thanczin, palatinum lublinensem, tanquam superintendentem nostro nomine, ac venerabiles et religiosos Joannem Groth, canonicum gnesnensem, et Georgium Mischkowski, juris utriusque doctores, Joannem Splawski, posnaniensem, Stanislaum de Casanow, sandomiriensem judices, Nicolaum Gomolinski antiquum Nicolaum Lanczkoronski, Albertum Kaczkowski, cast. Kruswicensem, Nicolaum Thaschiczki, Joannem Wieczwienski in Carnischin heredem, tribunum plocensem, Joannem Herborth, ut huc Piotrkoviam pro festo S. Bartholomei conveniant et modo meliori quo videbitur statuta discrepantia corrigant, abolita tollant, consuetudines et processus judiciarios omnium terrarum et palatinatuum regni in unam formam et observationem redigant. Quas quidem consuetudines prius palatini omnes cum juris palatinatus sui peritioribus conscriptas nobis pro festo S. Margarithe proximo mittere debebunt.

Ut ordo debitus in juribus et judiciis observetur et temeritas nonnullorum in evocandis hominibus ad judicia impertinentia coerceatur, statuimus, quod secularis secularem ad forum spirituale pro re mere seculari citans aut actioni sue persone spirituali cedens, pena viginti octo marcarum puniatur, cujus media pars nobis, altera parti adverse cedet. Que quidem pena judicio castrensi repetetur. Pena vero contra spiritualem evocantem secularem pro re ad forum ecclesiasticum non pertinente, in synodo generali proxima constitui debebit, et interim domini episcopi officialibus suis committere et prohibere tenebuntur, ut seculares persone ad judicium spirituale pro re mere seculari non evocentur.

Notarii terrestres sint presentes circa positionem librorum terrestrium et moniti secus facientes pena statuti puniantur, et electio de more ad palatinum et nobilitatem devolvatur.

Commissarii de jure corrigendo articulum pariter de citationibus ratione exemptionis bonorum obligatorum etiam sub conventu generali prosequendis et judicandis in unam formam et modum observandi in omnibus terris redigant.

Quia terminus, ut vocant curialis, alias „nadworni rok“ multis hominibus difficultates afferre solet, propter quod interdum hi, qui negotia publica apud nos obeunt, passim et temere ab unoquoque citari solent et in actionibus publicis impediri, statuimus: quod deinceps nobis in terris Minoris Polonie existentibus nemo nisi in eisdem terris domicilium habens citari ad nos termino curiali poterit pro summa in statuto descripta, et similiter nobis in terris Majoris Polonie agentibus nonnisi ex eisdem terris nobiles citari ad judicium curie nostre debebunt. Cause vero coram nobis non terminate ad districtum rei seu citati remittentur, quas judex terrestris judicabit, etiam in terminis particularibus de quacunque summa pro qua coram nobis actio fuerit incepta.

Termini ad querelam vigore mandati facti non transponantur simul cum aliis terminis, sed semper in duabus septimanis judicentur et non habeant dilationes nisi unam h. c. in secun-

do

MDXIX. do termino tanquam peremptorio judicari possunt. Hec tamen constitutio moderabitur et concordabitur per commissarios supradictos in omnibus deinceps terris observanda.

Capitanei et tenutarii bonorum nostrorum violentias nobilitati in limitibus non inferant, nec eosdem limites per commissarios nostros factos vi destruant. Quia multe litere et privilegia reperiri solent partim abusa partim etiam incerta, statutum olim Sermi. dni. regis Alberti renovamus: ut videlicet limitationes bonorum fiant non secundum literas et signa in eis descripta ad instantiam petentium et re oculis non subjecta, sed juxta senum testimonia presertim cum illius Mtas. tam benignam et liberalem constitutionem fecerit, ut cognitionem et distinctionem bonorum nostrorum dignitariis et officialibus regni subditis nostris committeret.

Capitanei et ceteri officiales sint in terris ubi ipsa officia gerunt possessionati juxta antiquum statutum, alioquin suis officiis privari per nos debebunt.

Inherentes statuto dicti Sermi. dni. regis Alberti, decernimus, quod teloneatores exigentes a nobilitate telonea vel pontalia, in jure terrestri respondeant.

Unus duntaxat particularis conventus in terra sandomiriensi juxta antiquam consuetudinem celebretur, conventu Skrzinensi, qui ex speciali concessione nostra annis superioribus agebatur, abolito penitus et sublato.

Prescriptio virginibus monialibus ad bona hereditaria repetenda fiat a professione religionis viginti annorum; equum enim videbatur favore religionis, ut cum illis prescriptio statui debuit et nupte decennium habeant ipse ut sponse Christi et que in claustris concluse et educate tam cito rerum suarum cognitionem habere non possunt, duplum habeant.

Judices cum subjudicibus provideant, quo inscriptiones juste et diligenter per notarios in libros inscribantur et non mutentur, ad quod et ille, qui actionem habebit et res sua illi eri cure intendat.

Notarii terrestres non plus nisi medium grossum pro membranis juxta antiquam consuetudinem sub pena quatuordecim marcarum recipiant.

Palatini circa institutionem rerum venalium sint diligentes juxta statutum idque officium pariter in aliis civitatibus tam spiritualium quam secularium uti in nostris exerceant.

Promittimus nos a debito bellice expeditionis neminem dimissuros.

Statuta regni contraria concordabunt, et dubia interpretabuntur commisarii supradicti.

Iidem commissarii facient et conscribent instructionem de modo motionis judicis et ejus purgatione et ad quem fieri debebit motio invenient.

Ad componendas et discernendas injurias subditorum nostrorum ex terris Russie, quas se habere ex ducatu Lithuanie queruntur, deputavimus et presentibus deputamus mgcos. et generosos Otham de Chodecz, Russie; Martinum de Camieniecz, Podolie; Andream de Thanczin, Lublinensem palatinos; Georgium Krupski, leopol. et cap. belzensem, Joannem Sienienski, camenecensem castellanos; Stanislaum de Chodecz, marsalcum regni nostri et cap. leopoliensem, et Stanislaum Lanczkorunski, cap. camenecensem, ut cum consiliariis et deputatis ex Lithuania pro festo S. Martini proximo convenientes omnia debito modo cognoscant et componant.

Et

Et pariter ad componendas et audiendas injurias ex parte regni Ungarie inferri solitas, nun- MDXIX.
cios, ut cum Vngaris conveniant, deputabimus.

Campiductor regni nostri justitiam cum militibus mercenariis administret, qui in villis victum pro se et equis ac familia sua recipientes solutionem non faciunt.

Testamenta contra statutum per nos antea editum condita deinceps non confirmabimus et que confirmata sunt, jure impugnari debebunt.

Quicunque ad servitium militare pecuniam receperint et pro ea non satisfecerint, nulla citatione premissa per capitaneos capiantur et tam diu in carcere detineantur, donec ibi et tempus servitii, quod facere debuerunt, expleant et pecuniam acceptam restituant, sive illi possessionati seu non possessionati extiterint, et qui prefinitam conscriptionis diem neglexerint, arbitrio nostro aut campiductorum nostrorum punientur.

Judices terrestres et castrenses, subjudices et notarii sint jurati et in primis terrestribus terminis juramentum prestent sub pena privationis officii: terrestres videlicet judices coram palatinis suis aut castellano illius terre, castrenses vero judices coram capitaneis aut vicecapitaneis locorum, sententia tamen eorum si quando retracta fuerit, honori et bone existimationi ipsorum non nocebit.

Nemo deinceps tempore pacis sive eques sive pedes pixides breves, quas „russnicza“ vocant deferre audeat. Ab hac tamen constitutione terras Russie liberas esse volumus, que parata arma contra insultus hostium habere semper solent et debent.

Pollicemur, quod cum bona nostra Kruschwicza et Radziejow redimemus, nobilitatem illam in antiquo jure et libertate, quam se habere pretendunt de piscatione libera in lacu Goplo, conservabimus, sed quia predicta bona, cum obligata sint, de illis libere disponere non possumus, poterit ipsa nobilitas cum capitaneis de jure suo et libertate agere priusquam per nos vel successores nostros fuerint exempti.

Non habentes literas, aut illas ammittentes super telonea longo tempore possessa, querent in ea re gratiam nostram et successorum nostrorum.

Ad precludendam viam, ne perjuria committantur et ut testes seorsum examinentur dicti commissarii ad formulam juris scribendam designati modum invenire debebunt.

Palatini et officiales ceterique dignitarii sua officia diligenter exequantur et ea non negligant.

Rustici vagi, qui ad diem tertium post suum in civitates vel oppida ingressum servitio sive artificio se non applicuerint, volumus et statuimus, ut per officium civile capiantur et detineantur vinctique compede ad faciendos aggeres et fossas civitatum vel arcium adhibeantur, ne et furta vel latrocinia ex eis multiplicentur et nobilitas servorum et laboratorum penuria non prematur, id quod et aliis omnibus in bonis suis facere licebit.

De salis deposito in Bidgosthia vel Thorunio instituendo consultis zuppariis nostris volumus necessitati subditorum nostrorum opportuno remedio providere.

Inscriptiones et resignationes bonorum in terra siradiensi et lanciciensi coram judicio et officio castrensi facte sint firme et valide ac robur perpetue firmitatis obtineant sine quavis introductione in librum terrestrem, quemadmodum in capitaneatu Majoris Polonie observatur.

Statutum Sermi. olim dni. regis Kazimiri, genitoris nostri, de colonis seu kmethonibus vio-

 lenter

MDXIX. lenter receptis dicti commissarii ad jura corrigenda deputati diffinient, declarabunt et penam constituent.

Diffinient etiam de crinalibus maritatarum et qui modus in eis servari debebit instituent.

Ad supplicationem consiliariorum nostrorum ex terra plocensi partem proventuum ad succamerariatum plocensem ab antiquo pertinentium et per nos ademptorum, restituimus et in pristinum statum reducimus.

Que omnia et singula ut premissa sunt in omnibus suis punctis, conditionibus et articulis rata et firma esse volentes de certa nostra scientia et deliberatione consensuque tam consiliariorum nostrorum status utriusque, quam etiam nunciorum omnium terrarum regni nostri, statuimus et decernimus, robur debite firmitatis ad tres ut dictum est annos habere debere. Actum et datum Piotrkovie in conventione generali, sabbato proximo ante dominicam Quinquagesime.

XVI. Summa Legationis Dni. Casimiri, Ducis Thessinensis.

Cod. G. R. De statuto die dno. duci Casimiro cum dno. duce ratiboriensi per Sermum. dnum. regem Vngarie in Ostrowa ad octavum diem post sacra Pasche ad concordandum eos invicem. In qua re petit consilium ipse dominus dux Casimirus Mtis. regie, quid facere debeat, et quod ei videretur potius non consentiendum in aliquam compositionem cum dno. duce ratiboriensi, sed ut causa eorum jure diffiniatur per judices sibi non suspectos, hoc est per oratores Sermi. dni. regis sui Vngaros, Bohemos, Moravos, ex Slesia oratores, Mtis. regie oratores, ducum Saxonie, Bavarie etc. defert tamen id totum arbitrio Mtis. regie.

Item dixit de moneta swidnicensi et quid de ea constituerint dni. duces Slesie, quod eam nullo modo recipi admittere vellent, petitque dnus. dux Casimirus, ut Mtas. regia informare eum dignetur, quomodo se in ea re gerere debeat.

Item de bonis quibusdam hereditariis domini ducis Casimiri, que vendidit domino Swolski et incorporari illa permisit ducatui opawiensi, cui dno. Swolski cavit de evictione et fidejussores statuit, et quod eadem bona intellexit impetrata esse apud Sermum. dnum. regem Ludovicum per dnum. ducem ratiboriensem, ut ea ad ducatum suum incorporaret: rogat, ut Mtas. regia per suos oratores ageret apud Sermum. dnum. nepotem suum, postquam illuc proficiscerentur, ut Mtas. sua id non faciat neque admittat, quod petiit dux ratiboriensis.

Item de jure ad ducatum Zatoriensem, et ut Mtas. pro eo ipso jure munificentiorem se erga ipsum dnum. ducem Casimirum exhibeat.

XVII. Legatio a Consiliariis Regni Hungarie ad Sigismundum, Regem Polonie.

Dicta Petrkovie VII Marcii MDXIX in comitiis.

Cod. G. R. Premissa salutatione Sermi. dni. nostri Ludovici regis sacre hujus regie Mti. nunciata presentatisque literis sue Mtis. commendaticiis, tandem premissa oblatione servitiorum dnorum. prelatorum,

prelatorum, baronum ac nobilium totius regni Hungarie, presentatisque literis credentiali- MDXIX.
bus ipsorum prefatorum dominorum prelatorum, baronum et nobilium totius regni Hungarie, hoc tenore seriem legationis coram ipsa Mte. regia orsi sumus.

Serme. rex. Fraternus ille amor, quo Mtas. vra. Serma. dnum. Ludovicum, regem, dnum. nostrum gratiosissimum, prosequitur et regie Mtis. benevolentia, quam erga regnum Hungarie semper habuit et multis in rebus declaravit, animum nobis dederunt, ipsa vero necessitas, quam pene intolerabilem jam patitur, quodammodo nos compulit, ut ad Mtem. vram. hoc tempore nomine totius regni consurgeremus ac convolaremus, declaraturi onera, que regnum ipsum patitur vix tolerabilia, et pericula, que eidem multo quam unquam alias graviora incumbunt, quibus avertendis atque propulsandis omne studium, omnem operam, facultates et vires nostras hucusque impendimus. Sed jam adeo creverunt, ut majora quam ferre ulterius possimus videantur, que licet cum cervicibus nostris proxime impendant nostra solum esse videantur, talia tamen sunt, que procul dubio, nisi quam primum obviam eatur, in totius Christianitatis detrimentum redundabunt. Que quidem omnia, etsi Mti. vre. tum ob regnorum suorum vicinitatem tum quod hungarice rei conditiones Mtas. vra. per certos annos viderit, magna ex parte cognita esse possunt, pro illa tamen spe et fiducia, quam regnum ipsum Hungarie post principem suum gratiosissimum in Mte. vra. collocavit, nos ad Mtem. vram. oratores misit, ut etiam coram apertius Mti. vre. declaremus et ab eadem tum consilium, tum auxilium in hac extrema ejusdem regni necessitate imploremus. —

Tandem declaravimus: uti regnum Hungarie, ne sibi deesse aut ea, que ad sui conservationem pertinent, negligere videretur, ternas anno elapso habuit conventiones, in quarum ultima, quid pro augmento dignitatis, regiminis, autoritatisque regie Mtis., dni. nostri gratiosissimi, domini prelati, barones ac nobiles prestiterint, clare Mtas. sua ex articulis sue Mtis. per nos presentatis intelligere potuit.

Deinde causas cur regnum Hungarie contra potentiam tanti hostis, vel ad sui defensionem impar videatur sue Mti. exposuimus, continua scilicet bella, incuria christianorum principum, qui succurrere sepius requisiti neglexerunt, ingensque et valida hostis potentia, que non Christianis solum, sed et barbaris omnibus formidini esse ceperit.

Insuper regia Mtas. domini nostri gratiosissimi poterat cum imperatore seu tyranno Turcarum fedus inire latissime Mti. sue ostendimus. Nam constituendi federis gratia Mtas. dni. gratiosissimi nostri hucusque apud se solennem ipsius imperatoris Turcarum legatum detinet. Quod Mtem. regiam fecisse, tum monitis summi pontificis, tum consilio cesaree Mtis., pie memorie nuper defuncte, ob spem expeditionis generalis diximus. Sed quid post cesaree Mtis obitum Turcarum cesar sibi faciendum ducat, quove se resolvat Mtas. regia et totum regnum non satis exploratum habet.

Licet Turcarum imperator quendam suum hominem satis vilem ad conventum Bathiensem ad Mtem. regiam suis cum literis miserat, quibus tunc quoque pacem optare videbatur, litere tamen ipse plene erant suspicionis, tum propter alia, tum quod in literis ad Mtem. regiam datis nomen Mtis. sue mutaverat, scripserat etenim Sigismundo, regi Hungarie, et non Ludovico. Cui quidem imperatori Mtem. regiam rescripsisse diximus: se mirari, cur

nomen

Biblioteka Pojek. Akad. Fol.
Im. P. Veszprémiensis

MDXIX. nomen ipsius mutaverit, quod facile ab oratoribus Mtis. sue illic agentibus innotescere potuerit, et ubi mutationis causam cognoverit, de pace illi mox sese responsuram. Quid autem imperator Turcarum postea cogitaverit, vel quid statuerit, nondum pro compertum haberi. Fecisse autem hanc dilationem Mtem. regiam in negotio pacis conficiende, non tam propter nominis mutationem, cujus error corrigi facile adhibitis cautelis potuisset, quam ut animos pontificis et cesaris tunc viventis de futura expeditione acrius exploraret et quid sibi faciendum foret maturius consuleret.

Postea Mti. sue declaravimus: quod licet Turcarum imperator ineunde pacis consilium non mutet, attamen Mtas. sua regia nondum se resolvit, pacemne magis (si modo oblata fuerit) an bellum suscipiat. Nam plane incertum est, utrum sit periculosius. Si enim bellum suscipiet, vel dudum susceptum continuabit, impar est viribus, si pacem amplectetur, in pace sepius majora regno Hungarie damna, quam in aperto bello ille hostis intulit.

Quam ob rem Serme. Mti. sue in persona dominorum prelatorum, baronum ac totius regni Hungarie nobilium supplicavimus tanquam dno. nostro clementissimo: regia Mtas. sua dignetur tum pro charitate nepotis sui, dni. nostri gratiosissimi, cujus ipsi dni. prelati, barones ac nobiles in hac imbecilli teneraque etate sua ex fidelitatis ipsorum offieio curam gerunt, tum pro regni in Mtem. suam perpetua observantia et servitiis, que eidem pro virili ipsius sinceris semper affectibus exhibuit, et quod si rebus suis consultum melius fuerit, tum etiam pro salute regnorum sue Mtis. et totius Christianitatis has necessitates, hec pericula regno Hungarie impendentia generoso regioque animo suo perpendere et rebus regni nostri afflictis, tum consilio, tum auxilio, quatenus per bella, que ipsa continue cum hostibus suis gerit, licuerit, gratiosius adesse. Quo beneficio Mtas. sua regia regnum hoc Hungarie ex devincto devinctissimum sibi reddet.

Quoniam autem hostis ipse propinquus est Moldavie et ad illam occupandam jam pridem aspirat, cujus provincie amissio non minus esset regnis sue Mtis. quam regno Hungarie periculosa, propterea rogamus Mtem. suam nomine dnorum. prelatorum, baronum ac nobilium regni Hungarie, ut Mtas. sua dignetur committere officialibus suis et capitaneis gentium suarum ad fines Moldavie constitutis, ut si quando Vojevode Moldavie necessitas ingruerit, si hostis ipse provinciam illam invadere vel occupare conatus fuerit, pro conservatione et defensione ejusdem provincie prefato vojevode succurrere et auxilio esse debeant.

XVIII. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, datum Oratoribus Hungaris Petricovie in Conventu VII Marcii MDXIX.

Cod. G. R. Legatio Dtionum. vrarum., mgci dni. oratores, hec in summa continebat. Retulerunt inprimis Sermum. dnum. Ludovicum, regem suum, pro eo amore, quo sacra Mtas. regia illius Mtem. complectitur et filii sui loco habet, proque ea benivolentia, quam Mtas. sua Serma erga regnum Vngarie gerit, et multis argumentis declaravit, adductam illius Mtem. dominosque consiliarios et nobilitatem regni Hungarie fuisse, ut vras. Dtiones. huc in presens mitterent et suas regnique sui necessitates ejus Mti. Serme. declararent.

Retulerunt

Retulerunt deinde que gesta et statuta sunt pro bono statu et regimine dicti Serṁi. dni. re- MDXIX.
gis Ludovici et regni Vngarie in conventibus Thulnensi et Bacciensi et capitula constitutionum ipsarum obtulerunt.

Exposuerunt demum bella et labores regni Vngarie in sustinendo arcendoque Turcarum impetu et auctam nunc imperatoris ipsorum potentiam, cum quo potuisse illius Mtem. et regnum suum Vngarie dudum fedus inire, nisi a summo pontifice et olim cesarea Mte. fuisset retracta et spe generalis expeditionis usque huc alita. Censereque illius Mtem. ipsum Turcarum imperatorem maxime defuncta cesarea Mte. cum nihil amplius agat, acturum de induciis, quas alioqui pro usu et libidine sua infringere consuevit, omne studium et impetum suum in se et regnum suum Ungarie versurum.

Postularuntque vre. Dtiones. nomine illius Mtis. ac dnorum. prelatorum, procerum et totius nobilitatis regni Hungarie, ut in tanta sua et regni sui difficultate Mtas. sua Serṁa. illius Mti. consilio et auxilio suo adesse dignaretur, ac ubi Turca terram Moldavie adoriri vellet, eidem terre Mtas. sua suppetias ferri gentibus suis finitimis mandaret.

Ad hec Mtas. sua Serma. committere mihi dignata est ita Dtionibus. vris. respondere.

Inprimis Mtas. sua regia pro debito et summo suo amore, quo Sermum. dnum. regem Ludovicum non secus quam filium suum complectitur, proque ea benivolentia, quam gerit erga regnum ipsum Hungarie, cujus in se non vulgaria officia et singularem propensionem semper cognoverit, nil eque libenter audiret, quam illius Mtis. regnique ipsius Vngarie statum et successus quam felicissimos. Nihil item dolentius ferre posset, quam ubi sinistri aliquid (quod omen dominus deus avertat) illius Mti. accideret, cujus statum et eventus omnes communes cum suis reputat, utque ejus studii et affectus sui nullum usquam officium Mtas. sua pretermittere voluit, quo intelligebat, se illius Mti. regnoque ipsius Hungarie commodare et gratificari potuisse. Neque unquam gravata fuit ejus Mtas. Serṁa. cum nuncios et oratores crebros tam in Vngariam quam etiam in Bohemiam mittere, tum omnia alia exequi, que illius Mti. et regnis ipsius expedire videbantur. Idemque et in posterum Mtas. sua semper quando usus fuerit facere curabit.

Articulos et capitula constitutionum conventus Thulnensis et Bacciensis abunde Mtas. sua intellexit et sollicitudinem dominorum consiliariorum et universe nobilitatis regni Vngarie, quam de Sermo. rege suo gerunt, commendat judicatque easdem constitutiones et bono statui ipsius Serṁi. dni. Ludovici et regno universo Vngarie profuturas, dummodo ad effectum et executionem deducerentur.

De aucta vero Turcarum imperatoris potentia deque bellis actis regni Vngarie cum illis, et que pericula nunc ipsi regno Hungarie immineant Mtas. sua Serṁa. non ignorat et plane omnia intelligit, habebatque et ipsa spem non modicam, futurum aliquando, ut et summus pontifex et alii christiani principes in eam curam incumberent, quo regno Hungarie, quod cervicibus suis tantam molem discriminis universe reipublice christiane sustinet, auxiliis opportunis adessent futuramque eam expeditionem generalem in effectu ponerent, que magnis auspiciis et animis agi et tractari est cepta. Verum sublata ab humanis ces. Mte., que potissimum hoc negotium agere et conficere debuit, neque certum sit, quando alter sit cesar futurus et qualem sit ipse animum vel etiam facultatem ad exequendam ipsam gene-

MDXIX. ralem expeditionem habiturus, nullo modo persuadere sibi potest Mtas. sua, ut eadem generalis expeditio, etiamsi futura fuit, tam cito ut opus videtur ad effectum deducatur. Et proinde consulit et optat Mtas. sua: ut Sermus. dnus. rex Ludovicus cum consiliariis ac subditis suis mature domi rebus suis prospiciat et provideat ita regno suo, non inherendo pollicitis aliorum, ut tyrannus ille vel furorem suum alio convertat, vel conversum in se Mtas. illius propulsare possit.

Suadetque illius Mtas., ut ipse Sermus. dnus. rex Ludovicus et dni. consiliarii ipsius inducias cum eodem tyranno, denunciata prius re et necessitate sua summo pontifici, suscipiant; nam et ejus Mtas. intelligens hanc expeditionem generalem difficulter et tarde processuram, vellet simul cum illius Mte. et ipsa inducias cum eodem imperatore Turcarum suscipere.

Quod vero ad Mtem. suam Sermam. attinet, hec uti cepit et pro debito suo et perpetuo amore erga illius Mtem. ac in regnum ipsius affectu et benivolentia nulli unquam opere et impendio suo parcet, quin pro virili sua illius Mti. regnoque ipsius semper adsit, que utcunque gravissimis bellis ac difficultatibus domi distinetur, nil tamen unquam pretermittet, quod pro illius Mte. et regno ipsius prestare poterit ac illi per ipsa bella et difficultates domesticas licuerit. Namque id imprimis diligenter curabit, ut si qua vis terre Moldavie ingrueret, ei cum gentibus suis juxta vim federum suppetias ferat ac alia omnia exequatur, quibus aliquo modo illius Mti. et regno ejus, cui est affectissima, commodare et gratificari posse intelliget.

Superioribus diebus Mtas. regia intellecta quadam difficultate rmi. dni. cardinalis Ferrariensis illic in regno Vngarie, ratione cujusdam abbatie et aliorum sacerdotiorum suorum, scripserat et Sermo. dno. Ludovico regi et dnis. consiliariis postulando, ut ipsum rmum. dnum. cardinalem impetere et turbare non permitterent, quandoquidem hec sacerdotia, que habet, assecutus fuit in supplementum commutationis archiepiscopatus Strigoniensis pro Agriensi in gratificationem Sermi. regis Vladislai, et proinde, cum res justa sit et idem dnus. cardinalis sit nunc affinitate et s. Mti. regie et ipsi etiam Sermo. dno. Ludovico regi conjunctus, postulat Mtas. sua a vestris Dtionibus., ut agent ejus nomine apud eundem Sermum. dnum. regem Ludovicum, dnos. consiliarios et regnicolas Vngarie, quo ipsum dnum. cardinalem in juribus et possessione suorum sacerdotiorum et abbatie permittant, molestissimum enim esset Mti. sue audire, nunc durius cum illo agi, quam alias, quum hec affinitas inter Mtem. suam et illum non intercessit. Ubi vero hanc intercessionem Mtis. sue ipse dominus cardinalis sibi profuisse cognoverit, curabit vicissim Mtas. sua et Sermo. dno. regi Ludovico et toti ejus regno Ungarie et singillatim vris. Dtionibus. omni sua gratificatione referre.

XIX. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis ac Nobilitati Regni Vngarie.

Cod. G. R. Rmi. ac reverendi in Christo patres, spectabiles et mgci. generosi et nobiles, amici charissimi et sincere nobis dilecti. Intelleximus factam esse quandam constitutionem in conventu Bacciensi preterito, ut, qui plura quam unum sacerdocium in regno isto Ungarie obtineret, illis privaretur, que constitutio potissimum in detrimentum rmi. dni. cardinalis Estensis

tensis vergeret, utpote qui jam pro monasterio in Tapolcza graviter esset impetitus. Nos MDXIX.
qui compertum habemus, quantum ipse rmus. dnus. cardinalis prestiterit Sermo. dno. Vladislao, regi, germano nostro desideratissimo in restituendo ejus collationi episcopatu Agriensi, quantumque damni subierit in permutatione ejusdem episcopatus pro archiepiscopatu strigoniensi, dum ea re dicto Sermo. olim domino regi obsequi et gratificari studuit atque ejus damni ratione non sponte fuerunt ei per illius Mtem. hec sacerdotia, que nunc obtinet, concessa, non putavimus illi, cum primum id cognovimus, opera nostra deesse, cum preter hoc injurium quod nobis videtur, eum beneficiis privari, tanta nobis cum illo benivolentia et conjunctio intercedit, ut omne ipsius negotium perinde atque nostrum proprium existimemus. Postulamus igitur a vris. Dtionibus. operam suam prestare velint, cum apud Sermum. dnum. regem et nepotem nostrum charissimum, tum inter se ipsos in commune, ne dictus rmus. dnus. cardinalis hac injuria indignissime afficiatur, juraque ipsius in firmitate et robore suo conserventur, qua re officio et juribus itidem suis non deerunt et nobis plurimum gratificabuntur, qui vicissim Dtionibus. vris. volumus omni benivolentia et favore nostro regio quacunque in re opus videbitur semper adesse. Que felicissime valeant.

XX. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Hungarie et Bohemie Regi.

Serme. princeps et domine, nepos noster charissime. — Significavit nobis Serma. dna. con- Cod. G. R.
junx nostra sibi nunciatum esse, qualiter in conventu Bacciensi preterito regni Mtis. vre. quedam sit constitutio facta, ne quis ultra unum sacerdotium alia plura in ipso regno Hungarie possideret, idque specialiter adversus rmum. dominum cardinalem Estensem, ut quem etiam tum absque juris ejus cognitione decretum fuerit, monasterio in Tapolcza privandum: que res non potuit nobis non plurimum esse molesta, quippe exploratam jam pridem habentes singularem virtutem et veras principis dotes dicti rmi. domini cardinalis eum et amare e vestigio cepimus et Mti. vre. regnoque ipsius non mediocri commodo et ornamento esse judicavimus, sed et non vulgaris affinitas, qua nobis conjunctus est, facit, ut ipse et ejus omnia negotia eque nobis cordi sint atque nostra propria.

Preterea non ignoramus, quantum ipse olim dispendii ceperit in permutatione archiepiscopatus Strigoniensis pro agriensi, dum studuit Sermo. quondam patri Mtis. vre. et germano nostro desideratissimo gratificari, quantumque meruit reducta summo suo labore collatione episcopatus agriensis ad illius Mtem., proindeque ea sacerdotia, que habet in regno Mtis. vre. fuisse illi non ex gratia illius quondam Mtis., sed pro additamento suscepti in permutatione damni concessa, unde indignissimum foret, ut pro ejus obsequio et gratificatione facta, cum suo etiam detrimento, predicto Sermo. quondam parenti vre. Mtis., nunc his sacerdotiis privari deberet, quibus ejus dispendium fuerat utcunque resarcitum. Quare cum primum id intelleximus, deesse illi hac in re noluimus, rogamusque omni studio vestram Mtem.: ut eundem rmum. dnum. cardinalem cum justitie et equitatis causa tum etiam intuitu nostre cum illo singularis benivolentie et conjunctionis conservare et tueri in retinendis et fruendis suis beneficiis et juribus dignetur, rem profecto neque digniorem se neque

MDXIX. que nobis ullam eque gratam prestare poterit, quam vicissim illi omni studio, amore et gratificatione nostra semper referemus. Felicissime valeat Mtas. vra. et nos diligat.

XXI. Ludovicus, Rex Vngarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. R. Serme. princeps, patrue noster charissime. Literas Mtis. vestre in favorem Rmi. ac Illmi. Hippoliti, cardinalis agriensis, ad nos datas accepimus, quibus Mtas. vra. affatim declarans, quanti faciat preclaras animi dotes et eximias virtutes ipsius domini cardinalis quantoque amore et benivolentia eundem cum propter hujusmodi virtutes suas, tum propter illam affinitatem, que Mti. vestre cum illo jam non vulgaris intercedit, nos hortatur et rogat, ut ipsum dominum cardinalem in abbatia sua Tapolcza, quam hucusque possedit, constitutionibus Bacciensibus in contrarium editis non obstantibus, conservare vellemus et privari eundem non pateremur, hoc maxime considerato, quam magnum in permutatione archiepiscopatus strigoniensis dispendium susceperit et abbatia ipsa in aliqualem recompensam hujusmodi dispendii eidem dno. cardinali concessa fuerit quodque collationem predicti archiepiscopatus ad jus paterne Mtis. et consequenter nostrum de manu pontificis reducendum curavit.

Serme. rex. Nihil profecto est nobis gratius, quam Mti. vre. omnibus in rebus semper gratificari, verum hec res non parvam in se difficultatem habere videtur, maxime quod generali regnicolarum nostrorum decreto sanctum est: ut connexa sacerdotia dissolvantur et nemo preter unum tenere possit, et ad hujus constitutionis observationem juramento sese ipsi regnicole nostri obstrinxerunt. Accedit ad hanc difficultatem hoc quoque, quod in presentiarum maximis et gravissimis occupationibus cum oratoribus regni nostri Bohemie, ducatus Silesie et marchionatus Moravie, qui solennes et magno numero apud nos sunt, distinemur usque adeo, ut dum operosa regni nostri Bohemie et aliarum provinciarum negotia plena curarum et laborum tractamus, res hungaricas parumper suspendere nos oportuerit. Quibus fit, ut tam subito de hac difficultate, que in causam dni. cardinalis incidit, resolvere nos nequeamus; quam ob rem visum nobis fuit, ut nuncium et cursorem Mtis. vre. in presens dilata responsione remittamus, ne hic apud nos resolutionem deliberationemque nostram expectans justo diutius immoretur. Cum primum autem oratores predictorum regnorum nostrorum absolvemus, e vestigio res hungaricas tractandas aggrediemur, neque tunc petitionem Mtis. vre. pro ipso domino cardinali apud nos factam oblivisemur, sed quantum in nobis erit et quantum maxime poterimus enitemur, ut in causa ipsius domini cardinalis Mti. vre. gratificari possimus. Qua in re et si spem certam dare non possumus, operam tamen certissimam pollicemur, nilque nos pretermissuros, dum ad negotium hoc tractandum ventum fuerit, quod ad tuendam dignitatem et ad vitandum dispendium ipsius domini cardinalis pertinere arbitramur. Quidquid autem sequutum fuerit, Mti. vre. aliis literis nostris propediem perscribemus, efficiemusque, ut Mti. vre. a nostris quoque consiliariis, ad quos ipsa in eadem causa literas dederat, tunc pariter respondeatur. Quos si nunc Mti. vre. non responderint, excusatos habere dignetur, satis enim in

presens

presens esse putavimus, si dilate responsionis nostre causa literis solummodo nostris Mti. MDXIX.
vre. significaretur. Quam Deus opt. max. incolumem et felicem quam diutissime conservet. Datum Bude fer. IV. prox. post festum beati Valentini Martiris.

XXII. Thomas, Cardinalis Strigoniensis, Sigismundo, Regi Polonie.

Sacra regia Mtas. Post manuum oscula et servitiorum meorum humillimam commendatio- Cod. G. R.
nem etc. Eas quas valeo gratias Serme. Mti. vre. habeo, que solita ejus in me benignitate dignata fuit mihi humillimo ejus servulo significare, Sermam. reginam consortem ejus dilectissimam felicibus auspiciis filiam peperisse meque indignum ejus capellanum tanti sui gaudii facere participem, et si Mtas. vra. pro majore suo solatio totiusque regni sui baronum causa masculinam potius optasset prolem quam femineam, attamen omnino sperandum et cognita reginalis Mtis. fecunditate, quod propediem ita Deo volente ac Mtis. vre opera diligenti etiam adveniente, pro ejus solatio et felicissimi status quiete masculum procreabit, quod Deus omnipotens cito et felicibus auspiciis concedere dignetur.

Ceterum tantus fuit his diebus Bohemorum, Moravorum et Slesitarum concursus ad regiam Mtem., quibus fuit respondendum, ut vix Mtas. sua cum aliis consiliariis respirare potuerit: utcunque tamen sit, negotium Illmi. ducis thessnensis prorogatum fuit usque ad futurum festum S. Georgii pro Ill. ejus Dtionis. commodo majore et ne quicquam propter temporis angustiam damni pateretur. Si quid est aliud, quod pro Serma. Mte. valeo, dignetur mihi ejus deditissimo servitori precipere, quia me semper habebit paratissimum.

In rebus vero Rmi. ac Illmi. dni. cardinalis Estensis, quas mihi Mtas. vra. unice commendat, faciam tum ex debito meo tum vero ex mandato prefate Mtis. vre. quantum erit in me, quamvis nobilitas ista usque adeo invaluit, ut nequaquam ab eorum constitutionibus in conventu Bathiensi ordinatis discedere velint neque divelli, faciam tamen pro virili mea in rebus suis, quantum mihi vires subministrabunt, tum ut Serme. Mtis. vre. desiderio satisfiat, tum vero prout equum est rebus Rme. Dtionis. sue dignius consulatur. — Interea Mtas. vra. hunc regem nostrum ac ejus regna dignetur habere commendata, quam una cum Serma. consorte sua et nova prole felicissime valere cupio. Datum Bude die XVIII Februarii.

XXIII. Summa Legationis a Ludovico, Hungarie et Bohemie Rege, quam Carolus, Dux Minsterburgensis, Slesiticus, egit apud Sigismundum, Regem Polonie. Feria quinta ante Palmarum.

Post mortem Cesaris Maximiliani.

Inprimis post salutationem dixit, quam confidentiam habeat Sermus. dnus. rex Ludovicus Cod. G. R.
de Mte. regia et quod eam colit ut patrem charissimum et in eam spem suam omnem col-

MDXIX. locavit petivitque, ut cum cesarea Mtas. excessit e vivis, cui cura sui una cum Mte. sua erat per Sermum. olim Vladislaum regem commissa, Mtas. sua dignetur consulere ita ut hactenus fecit de bono et commodo illius Mtis.

Dixit etiam, quod nescit ipse Sermus. dnus. rex Ludovicus, quid sit futurum de sorore sua, que est in Germania, et quamvis domini Australes narraverint Mti. sue, Sermum. dominum regem Hispanie scripsisse eidem sorori illius Mtis., quod adhuc non esset diffinitum inter se et fratrem suum Ferdinandum, cui ipsa in matrimonium cedere deberet, et ob hoc velle se brevi apud eam futurum et ibi cum ea de his rebus latius tractaturum, ipsa tamen eadem soror nihil scripsit de hac re fratri suo prefato Sermo. regi Ludovico.

Preterea dixit: quomodo processum fuit contra dominum Bornemissa, ut castra que habet libere dimitteret juxta decreta et articulos conventus Bathiensis et quibus causis adductus ipse dnus. Bornemissa eadem castra dimittere nolebat, et similiter Charlaczki, et qualiter nonnulli dni. majores proposuerant medium hoc Mti. illi regie, ut faceret provisorem castri Budensis ipsum dominum Bornemissa, ut ita castra, que nunc tenet, quiete retinere posset, et quomodo postea in adventu dominorum Bohemorum, cum dominus cancellarius regni Bohemie recognovisset palam coram Mte. regia, quomodo concessa fuerunt castra predicta domino Bornemisse per Sermum. dominum olim Vladislaum regem et quomodo ipse eum obligaverat non dimittere eadem castra nisi cum ipse Sermus. dnus. rex Ludovicus ad annos et etatem legitimam perveniret; rursum domini Vngari instabant cum assessoribus: ut castra tam dominus Bornemissa quam dnus. Charlaczki que tenent dimitterent, et cum Mtas. regia proposuisset medium predictum per ipsos dominos sibi propositum et inventum, domini ipsi egre tulerunt id, tanquam illos Mtas. sua in contentionem cum assessoribus et communitate et in discordiam deducere vellet: eo quod dixit, medium illud tanquam a dominis sibi propositum et consultum, et quod tunc multo magis omnes instabant, ut castra predicta dimitterentur; dictumque fuisse per dnum. strigoniensem Mti. regie, quod si id facere nollet eorumque consilia obaudiret, vellent eum pellere de regno et alium sibi regem eligere. Et licet statim postea hec verba tam acuta ipse dnus. cardinalis moderatus est, dixit enim, quod nisi id facere vellet Mtas. sua et exequi, quod per eos est consultum, quod sibi gubernatorem in regno constituere vellent, verba tamen illa de pellenda Mte. sua de regno absque ulla circuitione dixit et quomodo postea in domo dni. cardinalis strigoniensis, cum omnes domini cum assessoribus convenissent et dnus. Bornemissa inter eos etiam venisset, facta fuit gravis seditio fueruntque circiter mille enses stricti contra dnum. Bornemissa, et nisi dominus cardinalis sedens in sella sua hanc rem acerbitate verborum suorum diremisset, tam Bornemissa in primis quam demum alii dni. venissent ad magnum vite discrimen. Et quod postea, assessores presertim, non ausi fuerunt venire ad castrum, presenserant enim, illic quosdam homines esse collocatos, nisi prius eos Mtas. regia securos esse jussisset.

Item dixit de iis, que egerunt domini Bohemi apud Mtem. regiam et quod vocarunt Mtem. suam ad regnum, in quo omnia bona Mtis. sue vacua omnibus debitis tradere illi vellent, modo veniret ad regnum suum Bohemie et facto debito suo sola eis imperaret, alterius enim cujuscunque imperium nollent ferre. Et quomodo dni. Vngari consenserunt, se missuros

suros Mtem. suam ad diem S. Joannis Baptiste proximum in Posonium, ut inde cum dnis. MDXIX.
Bohemis iret ad regnum suum Bohemie, nisi Turcus invaderet regnum Vngarie. Hanc solam exceptionem fecerunt ipsi domini Ungari. Quamvis autem Turcus scripserit alias literas Mti. regie post illas primas, in quibus fuit error in nomine commissus, quod vellet pacem et inducias cum Mte. sua et regnis suis amplecti, et ob hoc timendum non esse, ut aliquid hostile adversus regnum Vngarie faciat; volens tamen Mtas. sua, que summopere cuperet ire ad regnum Bohemie, ut nullum impedimentum illi prestetur in Rakosch futuro, et ne aliquid contra eam et statum suum ibi committatur, rogat, ut Mtas. Polonie mittat ad eundem conventum proximum dnum. archiepum. gnesnen. et dnum. palat lublinen. qui admoneant dnos. et regnicolas illos ad observanda decreta conventus Bathiensis et ea in executionem ponantur. Preterea ut mittant Mtem. suam ad regnum Bohemie et eam non retineant. Et quod iidem dni. oratores comitentur etiam Mtem. suam et ei in omnibus rebus agendis consulant, habeantque secum aliquem non parvum numerum equitum, quia et dni. Bohemi, dni. Moravi et duces Slesie habituri sunt etiam ad illud tempus circiter mille homines secum. Nam ex his, que dixit notarius regni Bohemie contra dnum. vojevodam Transilvanie et dnum. Albertum Perstinski, et que unus ex assessoribus dixit ad dominum ducem Carolum: quod rex eorum Sermus. dnus. Ludovicus non posset diu vivere, quoniam cito et subito cresceret, et qui cito crescunt non solere esse longevos, facile deprehendi potest, Ungaros cogitare aliqua de domino suo. Ut ergo securius conventum predictum transigere possit, necessarii erunt oratores Mtis. regie etc.

Quod si domini Vngari forte noluerint dimittere Sermum. dnum. regem suum ad regnum Bohemie, rogat idem Sermus. dnus. rex Ludovicus: ut Mtas. regia dignaretur secum convenire in Lenschowia, et ut ibi cum de aliis rebus necessariis, tum de profectione Mtis. sue in Bohemiam constitueret.

Item dixit de citatione dni. cardinalis et archiepiscopi moguntini, qua citavit duabus septimanis ante carnisprivium Sermum. dnum. regem Ludovicum tanquam electorem S. R. imperii ad electionem novi imperatoris in Francfordiam ad diem S. Viti proximum, et si sola Mtas. comparare illic non posset, quod mitteret oratores suos cum plena facultate etc. Et rogavit nomine ejusdem Sermi. dni. regis Ludovici: ut consuleret illi Mtas. regia, quomodo se in ea re gerere debeat pro sua dignitate et conservando jure regni Bohemie etc. Rogavit etiam, ut consuleret Mtas. sua, quid in re sororis, que est in Austria, facere deberet etc.

Dixit etiam de moneta swidnicensi et rogavit, ut eam Mtas. regia admittere velit, ut suscipiatur in regno suo, cuditur enim ad non parvum emolumentum Sermi. dni. regis Ludovici, ex quo emolumento nonnulli proventus Mtis. sue in districtu Swidnicensi redimi deberent, et quemadmodum moneta Mtis. regie accipitur in terris Sermi. dni. regis Ludovici, ita etiam monetam istam permittat recipi Mtas. regia in regno suo, quoniam ipse Sermus. dnus. rex Ludovicus non diu vellet cudi facere eandem swidnicensem monetam et pro hac benivolentia Mtis. sue in se vellet agere cum statibus Slesie, ut tota Slesia uteretur sale Mtis. sue de Polonia, saltem ad vitam Mtis. sue, cujus quidem Slesie ferme due partes sale regni Polonie non utuntur. — Vellet insuper ipse Sermus. dominus rex Ludovicus agere,

MDXIX. agere, ut una esset moneta sub uno gradu et valore in regno Bohemie, terra Slesie et regno Polonie etc.

Dixit postremo de dno. marchione, quod querunt modos dni. Vngari, ut eum removeant a latere Sermi. dni. regis Ludovici et similiter dnum. Bornemissam. Et si illi a latere Mtis. sue removerentur, esset ipse dnus. rex Ludovicus in magno periculo. Nam et servos externos nolunt adhibere Mti. sue, nisi se obligent pro servitio suo retento non nisi jure in regno Vngarie agere, non autem diffidationibus aut repressaliis, quare et Trepka et alii antiqui aulici Mtis. sue discesserunt.

Commendavit ipsum dnum. marchionem et ejus fidem et sedulitatem, quam habet circa ipsum Sermum. dnum. regem Ludovicum et exposuit sumptus graves, quos facit in servitio sue Mtis. absque ullo premio et mercede. Nam et equites LX tenet et fere semper vino suo alit Mtem. regiam; rogavitque, ut Mtas. regia ipsum edoceret, quo modo se ulterius regere debeat in eo ipso servitio.

Et similiter dnus. Bornemissa, si eum dni Vngari alienare deberent a latere Mtis. regie, significandum erit per oratores, qui ituri sunt nomine Mtis. regie ad Rakosch futurum, ut eum non permittant ullo modo removeri a latere Sermi. dni. regis Ludovici.

XXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Anne et Marie, Reginulis Hungarie.

(Anna erat soror Ludovici, que Ferdinando nupsit,
Maria vero soror Ferdinandi, que Ludovico nupsit).

Cod. G. R. Serme. principes et dne. neptes nostre charissime. Intelleximus ex literis vrarum. Sertum., quo in merore constitute sint morte invictissimi olim dni. cesaris Maximiliani, fratris et consanguinei nostri desideratissimi, idque valde merito ut qui ambarum et patris officio fungebatur et rerum fortunarumque ipsarum summum patronum et curatorem agebat. — Verum hic dolor vestrarum Sertatum. communis est nobiscum et cum universa republica christiana. Amisimus nos charissimum et faventissimum nobis fratrem, amisit et respublica christiana summum salutis sue presidium. Sed cum ita dno. Deo placuit, cui refragari non licet, ferendum est equo animo. Consolari autem debet vestras Sertes., quod pro uno hoc fautore et promotore ipsarum plures successerunt, habebunt Sermos. fratres et sponsos suos, dominos Carolum, Ferdinandum et Ludovicum, reges, habebunt nos, qui nullis in rebus officium veri patris erga illas pretermittemus et qui vestras Sertes. non secus quam liberos nostros proprios, qua poterimus opera studio et facultate nostra, semper tueri, ornare et promovere curabimus. Et proinde rogamus illas plurimum, ne se afflictent, sed dolorem suum cum fati necessitate, tum etiam spe meliorum successuum, ut est rerum vicissitudo, temperent. Nam, ut diximus, jacturam hanc Sertum. vrarum. dnus. Deus pluribus tutoribus et patronis rependet. Felicissime valeant Sertes. vre. et nos diligant.

XXV. SIGISM.

XXV. Sigismundus, Rex Polonie, Georgio, Marchioni Brandeburgensi.

Illme. princeps. Defunctam cesaream Mtem. jam dudum quidem ex literis regentium Austrie et summo cum dolore nostro cognovimus, experti enim sumus, quo amore et quibus fraternis officiis nos et Sermum. regem Ludovicum illius Mtas. prosequebatur, intelligimusque plane, quam jacturam cum uterque nostrum tum universa respublica christiana illius morte ceperit; tamen cum ita dno. Deo visum fuit, suscipiendum est ac ferendum equo animo. — MDXIX. Cod. G. R.

Nos plurimas agimus et habemus gratias vre. Illti. quod his turbulentis temporibus perstiterit semper in custodia dicti Sermi. dni. regis Ludovici etiam cum non vulgari sumptu et incommodo suo rogamusque illam, ut et deinceps eadem constantia et cura perseverare velit, referet ille postea hanc fidem et studium in se vestre Illti. et nos etiam curabimus omni ope nostra, ut utrique h. e. tam illius Mti. quam vre. Illti. ulla in re aut necessitate non desimus, neque eas quoquo pacto deserere volumus. Et proinde Illtem. vram. nil tedeat, sed in suscepto officio et cura ita ut cepit persistat ac valeat felicissime.

XXVI. Franciscus, Rex Galliarum, Sigismundo, Regi Polonie.

Excellentissimo ac potentissimo principi Sigismundo, Dei gratia regi Polonie, charissimo ac dilectissimo fratri et consanguineo nostro, felicitatis incrementum. Cod. G. R.

Charissime ac dilectissime frater noster et consanguinee. Mittimus ad vos dilectos et fideles nostros, Joannem de Langhac, militem, dominum dicti loci, magistrum ordinarium requestarum hospitii nostri, et Antonium de Lameth, militem, dominum de Plessis, Baillinum montium in Burgundia, ut nostro nomine vobis aliqua exponant et communicent, que in utilitatem et commodum utriusque nostrum spectare et pertinere nobis visa sunt, quorum verbis perinde fidem vos habere et credere optamus, ac si coram loqueremur et mentem animumque nostrum vobis declararemus, cum pro singulari eorum in nos fide, studio et devotione nil dicturos aut facturos esse confidamus, quod in mandatis non habuerint. Charissime et dilectissime frater et consanguinee noster: Deus opt. max. vos statumque vrum. diutissime conservet ac tueatur. Datum Parisiis die XXVII m. Januarii.

XXVII. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Datum Legatis Regis Galliarum petentibus suffragium Regi suo in electione ad Cesareatum.

Sacra Mtas. regia, Mgci. dni. oratores, plurimas agit et habet gratias charissimo dno. regi Francie de hac illius Mtis. tam propensa in se benivolentia ac affectu, quodque ejus Mtem. Cod. G. R.

MDXIX. Sermam. adeo longinquam a se existentem dignata est per Dtiones. vras., oratores suos, visere et salutare cupitque vicissim ejus Mtas. ut illa itidem Mtas. Serma. et longa optimaque valetudine et felicissimis quibusque successibus semper utatur. Reliqua vero, que vre. Dtiones. nomine illius Mtis. retulerunt, Mtas. sua Serma. plane intellexit et perpensis illis paulisper in animo et consilio suo Dtionibus. vris. alio tempore respondere dignabitur.

XXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Francisco, Regi Galliarum.

Cod. G. R. Serenissime ac excellentissime princeps et domine amice frater et consanguinee noster charissime et honorandissime. Venerunt ad nos oratores vre. Mtis. mgci. Joannes de Langhac, magister ordinarius requestarum hospitii ejusdem Mtis. vre. et Antonius de Lameth, miles, dominus du Plessis, Baillinus montium in Burgundia, qui nobis commissa vre. Mtis. que desiderii ipsius sunt et non ad vulgarem inter nos benivolentiam et conjunctionem pertinent, diligenter simul et cordate retulerunt. Ac respondimus nos quidem illis jam ita, ut propensio nostra erga vram. Mtem. ac possibilitas item nostra postulavit. Tamen quia res etiamnum longiorem ipsorum moram requirere videbatur, retinuimus illos adhuc paulisper apud nos et quam primum nobis integrum fuerit, illis ad plenum ita ut est desiderii nostri respondere, mox illos ad Mtem. vram. remittere curabimus, cujus fraterno et individuo amori nos et nostra ex corde commendamus cupientes, ut sit diutissime felix, sospes et incolumis.

XXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni Polonie.

Cod. G. R. Rme. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Venerunt nunc ad nos oratores insignes. Sermi. domini regis Gallie, qui inter cetera benivolentie in nos illius Mtis. testimonia retulerunt, qualiter adhuc vivente olim cesarea Mte. fuisset illius Mtas. per nonnullos electores postulata, ut ad imperium succedere curaret, post obitum vero illius cesaree Mtis. impensius de ea re ipsam sollicitari tanquam eum principem, qui inter ceteros nunc magis opibus, gentibus et fortuna polleret; quodque illius Mtas. ut rei christiane sua opera et presidentia commodare posset, nollet postulationi magne partis electorum deesse. Sciens vero, nos esse tutores Sermi. dni. regis Ludovici, qui in differentia parili auctoritatem habet suffragio suo pro una parte determinandi, rogaverunt nos illius Mtis. nomine, ut hac in re illi adessemus, proponentes nobis conditiones non vulgares de matrimoniis filiarum nostrarum et aliis, quibuscunque modis vellemus, amicitiam et fedus perpetuum cum illius Mte. firmare, ad quod totum plenam habent facultatem. Nos, ut Ptas. vra. non ignorat, jam pridem ad postulationem olim cesaree Mtis. declaravimus nos pro Sermo. dno. Carolo, rege Hispanie, et oratores nostros in Augustam miseramus. Ex alia vero parte nescientes, quorsum hec alea cadet et multum interest nostra, favorabilem habere cesarem cum propter res pruthenicas tum alias nostras difficultates, sumus ancipites prorsus, qualiter nos in ea re

re gerere debeamus. Cum itaque negotium sit tanti momenti, significare id Pti. vre. vo- MDXIX
luimus hortamurque illam, ut celeriter et secretius nobis consilium et sententiam suam perscribat, perpensis omnibus in tanta re circumstantiis, qualiter eos oratores absolvere nosque in eadem re gerere et conservare cum dignitate nostra deberemus pro debito et prudentia sua factura. Que bene valeat. Datum Cracovie.

Responsum eisdem Oratoribus.

Legatio Dtionum. vrarum. hec in summa continebat. Retulerunt in primis, quam dolenter et moleste tulerit Sermus. et Christianissimus dnus. rex Gallie mortem intempestivam cesaree Mtis. et qualiter ipse, tum vivente adhuc illius Mte., cum maxime post obitum fuerit per majorem electorum partem ad culmen romani imperii postulatus, quod illius Mtas., ne precibus illorum deesse et frustra nomen Christianissimi habere videretur, detrectare et recusare noluit. Sciens autem s. Mtem. regiam tutorem agere Sermi. dni. regis Ludovici, nepotis sui amantissimi, cujus suffragium in pari electorum dissensione potissimum valeat, postulat a Mte. sua, ut ubi ad eam dissensionem electorum res deveniret, ipsa nomine Sermi. nepotis sui suffragium dare pro illius Mte. Christianissima dignaretur, offerens vicissim illius Mtas. pro eo officio Mti. sue Serme. conditiones non contemnendas ad mutuam benivolentiam et conjunctionem suam cum ejus Mte. pertinentes et id genus, que omnia Dtiones. vre. diserta et eleganti oratione latius explicaverunt. Ad que Mtas. sua Serma. committere mihi dignata est sic Dtionibus. vris. respondere.

Non vulgari voluptate affecta est Mtas. regia, ingci. dni. oratores, quod Christianissimus et excellentissimus dnus. rex Gallie appulerit suum animum ad conjunctionem et benivolentiam mutuam cum Mte. sua Serma. ineundam, quodque illius Mtas. dignata sit in his negotiis suis, quibus operam ejus Mtis. sibi conducere posse intelligit, libere et confidenter huc ad eam vras. Dtiones. mittere ac honorem hunc ejus Mti. Serme. impartiri, pro quo agit et habet illius Mti. gratias immortales. Equidem non fallitur ipse Christianissimus dnus. rex Gallie in ea existimatione et fide, quam de ejus Mte. Serma. concepit: hec enim cognitam habens cum virtutem et magnitudinem animi, tum res fortiter gestas ejusdem Christianissimi dni. regis Gallie, nihil gratius habere posset, quam se illius Mti. charum et conjunctum reddere, sed et reipublice christiane non parvam ex suo cum illius Mte. amore et benivolentia utilitatem futuram putat, habita illius Mte. tam potenti et magnanimo principe socia et adjutrice ad hostes catholice fidei reprimendos, quorum impetum Mtas. sua Serma. suis cervicibus semper sustinet.

Quod autem ad imperii sedem attinet, hanc quidem ejus Mtas. cum sua tum rei christiane causa vehementer dolet in presens vacare, amisit enim ejus Mtas. amicum et fratrem amantissimum, cujus in se plurima et honestissima experta est officia, amisit et respublica christiana summum suum columen et, ut verissime Dtiones. vestre dixerunt, sidus preclarissimum, cesarem illum Maximilianum incomparabilem, cum quo et illius Sermis. nepotibus quanta affinitas sibi et Sermo. dno. nepoti suo intercessit, Christianissimus dnus. rex Gallie non ignorat. Non ignorat etiam illius Mtas. quam operam et quod testimonium uni-

verso

MDXIX. verso fere orbi Mtas. sua pro Sermo. dno. rege Catholico ad eundem sedem imperii sufficiendo prebuerit in conventu Augustensi, utpote cui pro debito necessitudinis et amore defuncte cesaree Mtis. non secus quam filio proprio optimos quosque successus ex animo faveret, nihil tum etiam de voluntate Christianissimi dni. regis compertum habens in ea re, et proinde aliter nunc sentire et velle quedam nota inconstantie et oblivionis officii esse videretur, que ab unoquoque principe longe aliena esse debet. Verum enimvero Mtas. sua Serma., ut contigua nostre fidei hostibus, sciens, quo in discrimine res christiana sit constituta et quanta quamque presenti ope indigeat, neque videns, qui alter ad laborem hunc subeundum magis idoneus et accommodatus sit Christianissimo dno. rege Gallie, qui opibus, gentibus, etate, animo et fortuna plurimum pollet, totus vero rei bene gerende effectus a cesare in primis dependet, libenter et ex integro affectu videret, ut idem Christianissimus dnus. rex Gallie ad eam ipsam imperii sedem proveheretur, sed polliceri nunc illius Mti. hanc operam, quam postulat, non est ullo modo Mti. sue integrum et licitum, ut videlicet inconsultis consiliariis regni Vngarie et Bohemie mutare priorem declarationem deberet, cum res eorum regis agatur et sine quibus ipse rex etiam in legitima etate constitutus nihil ageret; tamen ubi eadem erit voluntas et affectus consiliariis regni presertim Bohemie ac etiam electoribus imperii, quam habet Majestas sua erga commune bonum et Christianissimum dnum. regem Gallie, ut in illum votis suis consentirent, Mtas. sua regia libenti et alacri animo sua quacunque opera poterit, illi non deerit, quin etiam, ubi ad ejus Mtem. vota et sententie alique inclinarent, vellet liberaliter id totum in illius Mtem. Christianissimam transferre.

Que vero Mtas. sua Christianissima dignata est ejus Mti. significare et offerre de matrimoniis et federibus pro mutua inter se affinitate et conjunctione, gratissimo animo Mtas. sua Serma. amplectitur. Et cum ea res sit in arbitrio et potestate solius Mtis. sue, neque in hoc sit ad consilia et consensus aliquos aliorum astricta, consentit et offert se ad omnia ejusmodi vota Sermi. et Christianissimi dni. regis Gallie, ut quas cuperet et dignas regio sanguine putaret in regno suo affinitates illius Mti. conciliaret; vel si placuerit Dtionibus. vris. jam hic ea in re cum Mte. sua tractare et initia aliqua facere, et id libenter videret. Cuperet enim Mtas. sua Serma. per omnem occasionem se cum illius Mte. Christianissima conjungi et ei in omnibus rebus placere et gratificari.

Habet etiam singulariter vestris Dtionibus. Mtas. sua regia gratias non vulgares de honore hoc et laudibus Mti. sue Serme. per eas ornate simul et graviter attributis, et licet Mtas. sua id totum, quidquid sit, quod de illa dici possit dno. Deo refert acceptum, qui humanos actus pro arbitrio suo dirigit, tamen inde affectum in se Dtionum. vestrarum metitur illumque gratissimum habet.

XXX. Petrus Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Isabelle, Duci Barensi.

Cod. G. R. Illma. princeps et dna., domina mea honorandissima. Mittente ad vram. Illmam. Dtionem. s. Mte. regia hunc suum nuncium, nolui ego pro mea observantia et debito meo illi nihil scribere,

scribere, nescio vero quod aliud gratius argumentum, quum alia non sint, habere possim, MDXIX.
quam ipsam Mtem. regiam et Sermam. dnam. reginam gratia Dei optime valere, deinde scire dignetur vra. Illma. Dtio. esse hic apud Mtem. suam regiam insignes oratores Sermi. dni. regis Gallie pro suffragio ad electionem futuram imperatoris agentes, quos Mtas. regia simpliciter rejicere, sed et Sermo. dno. regi Catholico deesse nolens, eos aliquamdiu adhuc detinebit, donec mutuum super hac re cum dominis Ungarie et Bohemie consilium capiat· Commendo me et obsequia mea deditissima Illme. Dtioni. vre., quam sanam, sospitem et semper felicem esse desidero.

XXXI. Oratio Joannis Dantisci, Oratoris Sigismundi, Regis Polonie, ad Carolum, Regem Hispaniarum.

Prodire in tanti tamque potentissimi regis conspectum orationem habiturus nemo equidem Cod. G.
deberet, nisi qui eruditione singulari, summa magnarum rerum experientia et quadam vel Demosthenis, vel ipsius Ciceronis eloquentie preditus esset. Regias enim aures nihil aliud quam quod accurate elaboratum et quod ex amussim politum est, audire convenit. Quum autem Sermus. dnus. meus, Polonie rex, ea in re opera et servicio meo uti dignatus est, utpote illius, qui juventa et vegeto corpore ad tam longinquum conficiendum iter idoneus visus sum, dabit Catholica Mtas. vra. veniam, eoque facilius, quo vix antea auditum est quemquam a remotissimis Arctois regionibus non procul ad Gades hactenus ad Catholicam Mtem. vram. transmissum clementerque hominem non Latinum, sed Sarmatam latine balbucientem audiet, et ne inculto hoc et exotico sermone rudis locutor sim morosior, rem paucis Sermi. dni. mei nomine Catholice Mti. vre. referam et ex prescripto exponam.

Superioribus annis quum felicissime recordationis sacratissima Mtas. ces. cum Sermis. Hungarie, Polonie et Bohemie regibus in Pannonia superiore convenisset, que ibidem federa amicitie, matrimonia et affinitates parte ab utraque contracte sunt, Catholicam Mtem. vestram. latere non arbitror. Ab eo tempore, quo studio, benivolentia, amore Sermus. dnus. meus Catholicam Mtem. vram. prosequi ceperit, dici non potest. Quesivit ergo ex cesaree Mtis. inductione arctiorem cum Catholica Mte. vra. necessitudinem, que, quoniam in fatis non fuit, confici non potuit. Nihilominus Sermus. dnus. meus nihil hucusque pro Catholica Mte. vra. omisit, quod ejusdem Mtis. vre. commodum, decus, ornamentum, gloriam denique spectare videbatur. Hoc quia isto presertim tempore non incognitum est Catholice Mti. vre., supervacaneum ut recenserem putavi. Ut igitur Sermus. dominus meus hunc suum amorem uberius declararet, me per tam longinquas locorum intercapedines salutatum ad Catholicam Mtem. vram. immisit, unde imprimis ob preclarissimum inclyte domus Austrie stemma, quo ex materna propagine cum Catholica Mte. vra. gaudet et fruitur et novissime ob contractas affinitates amor mutuus et major familiaritatis integritas inter vram. Catholicam et ejus regiam Mtem. nasceretur, preterea ut rebus et negotiis Illme. principis dne. Isabelle, ducis Mediolani, matris sue charissime, fraterna intercessione apud Catholicam Mtem. vestram subveniret. Certo edoctus est Sermus. dnus. meus, paulo anteactis diebus

MDXIX. Sermam. olim felicissime recordationis dominam Joannam, reginam Neapolitanam, ex vivis cessisse et Illmam. dnam. ducem Mediolanensem, neptem suam, omnium post se bonorum mobilium et immobilium relictorum legitimo testamento heredem universalem scripsisse, prout documenta et jura desuper clarius ostendunt. Quum autem cesarea Mtas. vra. non ignorat, inter Sermum. dnum. meum et Illmam. dnam. ducem Mediolani conjunctissimam contractam esse affinitatem, quando propinquiorem conjunctionem cum Catholica Mte. vra., ita ut erat cum ejus Mtis. tum cesaree Celsitudinis desiderium, fata negaverunt, decet atque equum est, Sermum. dnum. meum ex debito contracte necessitudinis, res atque negotia Illme. domine ducis Mediolani, matris sue charissime, eque cordi habere atque sua ipsius propria, proinde fretus eo amore Sermus. dnus. meus, quo Catholicam Mtem. vestram amplectitur, me ad eandem oratum misit, optatque fraterne et omni quo potest studio rogat, ut Catholica Mtas. vra. pro sua in omnes justitia et dexteritate, testamentum hoc sic ut legitime a Serma. domina Joanna, regina Neapolitana. confectum est, in firmitate et robore suo, prout ipsa equitas postulat, tenere et ipsam Illmam. dominam ducem Mediolani (que vigore hujus testamenti omni jure et proprietate vera heres est) in possessionem civitatum, oppidorum et omnium bonorum aliorum juxta vim inscriptionum desuper permittere eamque in eisdem tueri et conservare dignetur, respectum habendo, quod in ipso testamento multa Deo, templis et miserabilibus personis pro salute anime scripta et legata sunt. Que donec sic impediuntur effectum sortiri nequeunt. Ut itaque ista execuutionem habeant celeriorem, pium opus Catholica Mtas. vra. Deo et hominibus gratum faciet, dum testamentum hoc quantocius ratum esse et firmamentum habere clementer annuet. Quod quia equum et justum est, ut infimorum etiam hominum ultime teneantur voluntates, confidit Sermus. dnus. meus, se facile id a Catholica Mte. vra. impetraturum, vel hac solum causa, quod res ferme propria Sermi. dni. mei agitur, cujus nomine nihil aliud quam hoc quod justum est peto et quod Illma. princeps dna. Isabella, dux Mediolani, magno quondam fuerat adjumento Sermo. olim felicis recordationis dno. Ferdinando, regi Hispaniarum, avo Catholice Mtis. vre., in consequendo regno Neapolitano. Factura est igitur Catholica Mtas. vestra rem se tanto orbis principe dignam et qua ces. Mti., cui Deus opt. max. eternam det beatitudinem, sicut ex his sue Mtis. literis patebit, plurimum gratificata fuisset et qua Sermum. dominum meum perpetua benivolentia et amore sibi devinciet. — Percepit Sermus. dnus. meus, Catholicam Mtem. vram. falconibus et cetera id genus avibus delectari, si quid est in regno et dominiis sue Mtis., quo Catholice Mti. vre. complacere posset, non solum in his rebus levibus et ludicris, verum etiam, quantum se facultates ejus extendunt, alacri pectore ad votum Catholice Mtis. vre. exhibet omnia ut fratri et consanguineo suo charissimo et honorandissimo.

Freta Deo, mentes justitia vincet iniquas
Et tibi, que poscis dux Isabella feret
Interdum premitur, sed non succumbit ab alto,
Pactata in portum tuta redire solet.

XXXII. RESPON.

XXXII. Responsum a Carolo, Rege Hispaniarum, datum Joanni Dantisco, Oratori Regis Polonie.

Serma. Mtas. Catholica audivit grato animo, que Dtio. vra. eleganter et diserte Sermi. dni. sui, Polonie regis, nomine exposuit. Inprimis Sermorum. fratrum suorum ipsius dni. regis et dne. regine Polonie salutationes, quibus Dtionem. vram. ad invisendam Catholicam Mtem. suam per tam longinquum iter hucusque miserunt, multa bona ex fraterno amore Catholice Mti. sue imprecantes, habet sua Catholica Mtas. ingentes gratias Mtibus. eorum semperque referre studebit, ut fratribus suis charissimis. De benivolentia et amore (qui primus est Dtionis. vre. legationis articulus) quo Sermus. dnus. vester, Polonie rex, Catholicam Mtem. suam amplectitur, sua Catholica Mtas. est gratissima. Scit etiam sua Mtas. que integritas et bona fraternitas inter sacratissimam olim Mtem. ces. et Sermum. dnum. vrum. fuerit. Quum autem Deo jubente sua cesarea Mtas. hinc cesserit, non minor erit, sed in dies augebitur inter ejus Catholicam et Mtem. regiam Sermi. dni. vri., quidquid enim sua Catholica Mtas. pro sanguinis necessitudine et Illme. domus Austrie vinculo, quo Sermo. dno. vestro jungitur, pro ejusdem Sermi. dni. vestri commodo, incremento et bono statu facere poterit, cum omnibus bonis suis et corpore proprio sua Catholica Mtas. offert se totam et integram Sermo. dno. vro. uti fratri suo charissimo. Habet etiam exploratum, qua benivolentia Mtem. suam Sermus. dnus. vester in his rebus hodiernis amplectitur et non dubitat, quin pro mutuo fraterno amore Mtas. regia Sermi. domini vestri prout cepit perget, quo Catholicam Mtem. suam semper et perpetuo sibi devinctissimam efficiet. Pro alio articulo, pro quo Dtio. vra. etiam missa videtur, qui spectat Illmam. dnam. principem Isabellam, ducem Mediolani, sua Mtas. Catholica faciet omnia, que facere commode et juste debet et plus, et Dtio. vra. evidentissime videbit et rebus omnibus intererit, quod sua Catholica Mtas. pro amore Sermi. dni. vestri faciet et que justum principem spectant, committetque quam primum commissariis suis, qui una cum Dtione. vestra testamentum hoc revidere et perpendere debent. — Quodcunque justum et equum fuerit, sua Catholica Mtas. sine moris et dilationibus ad votum et beneplacitum Sermi. dni. vestri decernet et Dtionem. vram. quam primum poterit, expediet. Que interea hic bene et lete vivat. MDXIX. Cod G.

XXXIII. Verba Joannis Dantisci ad Carolum, Regem Hispaniarum, post responsum acceptum.

Serme. atque potentissime Catholice rex. Affectum et benivolentiam, quam in presentiarum audio, qua Catholica Mtas. vra. Sermum. dnum. meum amplectitur, dum aliquando incolumis rediero, vivus testis sue regie Mti. exponam. Interim persuadeat sibi Catholica Mtas. vra., Sermum. dnum. meum pro Catholica Mte. vra. facturum omnia, que bonum et integrum fratrem Catholice Mtis. vre. decebunt. Quantum vero ad negotium Illme. dne. ducis Cod. G.

MDXIX. cis Mediolani, dnus. meus Sermus. mihi injunxit, ut non diu in his rebus apud Catholicam Mtem. vram. immorarer, neque etiam ut rebus infectis et absque earum certitudine redirem; pro amore igitur Sermi. dni. mei Catholica Mtas. vra. expeditionem meam maturare dignetur, unde quantocius expeditus apud Sermum. dnum. meum et alibi ubi opportunum esset, hoc potissimum tempore, sicut cesaree Mti. consuevi, Catholice Mti. vestre etiam ut dno. meo clementissimo servire valeam.

Habite gratie pro bona voluntate et promissa celerior expeditio, rogatumque ne egreferretur, quod citius audientia data non fuerit, que propter luctum ob mortem cesaris hanc dilationem habuit.

XXXIV. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. Serme. rex et dne., dne. clementissime. Ista hora miserat pro me Sermus. dnus. rex Catholicus et dedit mihi privatam, quam petieram ante, audientiam. Sacratissima ces. Mtas. f. r. quedam mihi commiserat in rebus cum Venetis sue Cath. Mti. referenda, ad que opportune litere s. Mtis. vre. venerunt, quarum vigore, rebus nostris agendis sic exigentibus, iterum suam Mtem. Catholicam nomine S. Mtis. vestre salutavi et rogavi rerum nostrarum justam et celeriorem expeditionem. Salutationem s. Mtas. gratissimo suscepit animo, multa de amore et benivolentia, qua s. vram. Mtem. amplectitur, disserendo, presertim quod secretarium suum ad Mtem. vestram mittit, qui mentem Mtis. vre. explorare debet si vellus aureum, cujus sua Mtas. hoc tempore princeps est, quod Gallie, Anglie, Portugalie et Hungarie reges ferunt, et fraternitatem ejusdem inire dignabitur. Et quod per felicem successum electionis brevi cum s. Mte. vestra convenire sperat, quam post mortem cesaris loco parentis habere intendit et cum eadem majorem amorem et amicitiam quam unquam fuit cum cesare contrahere, et plurima alia, que, ut scribam, tempus non patitur. Preterea in negotiis Illme. dne. ducis Mediolani talem se exhibitura pollicita est, qualem decet bonum et sincerum fratrem Mtis. vestre, cui hac in re non solum quod juste debet, verum etiam ultra vult gratificari. In fine dicendi me certiorem sua Mtas. reddidit, quod iste secretarius per postas in duabus horis hinc sit abiturus et si velim scribere Mti. vre., quod venire deberet in hospitium meum et accipere literas. Proinde quanto potui citius has exaravi. Dabit s. Mtas. vra. precipiti calamo veniam. Pompam introitus Mtis. Catholice in hanc civitatem funebrem, exequiarum et deinde velleris aurei, que hic magna solennitate est celebrata, commodiore tempore sic ut ipse vidi et interfui s. Mti. vre. describam.

Ut ad res mihi a Mte. vra. commissas redeam, bonam cum Illme. dne. ducis Mediolani oratoribus habemus spem. Sermus. dnus. rex Catholicus, quum res non sit parvi momenti quinque centena milia ducatorum, primis suis consiliariis discutiendam commisit. Jura pro nobis, privilegia et clarissimas inscriptiones, etiam per ipsum hodiernum regem Catholicum confirmatas Brussellis Brabantie, tenemus, contra quas quia testamentum infringi non potest, Sermus. rex Catholicus non nisi summa cum injuria agere potest. Queruntur tamen

per

per dictos consiliarios quedam media, et prout conjicio, talia, ut rex etiam aliquid ex he- MDXIX.
reditate relicta haberet. Quod ferendum videbitur, inibimus. Nisi haberetur respectus ad s. Mtem. vram. in eo statu, quo nunc res sunt, Illma. domina dux Mediolani nihil aliud quam id, quod nunc habet, h. e. bona ista mobilia consequeretur. Sua Mtas. Catholica magnam spem rerum suarum in Mte. vra. deposuit, hinc res agende melius se habent, facitque mihi hic intuitu s. Mtis. vre. eum honorem, et meo judicio majorem, quam aliorum regum Gallie et Anglie oratoribus, licet ego reclamo sepius et me non oratorem, ut ex creditivis patet, sed servum et secretarium s. Mtis. vestre dico. Misit pro me ad primum ejus huc introitum primos suos duos aulicos, qui me usque ad monasterium, in quo pernoctabat ante civitatem, duxerunt. Deposito bireto coram omnibus me honestissime suscepit et locum cum Anglie oratore dedit. Precedebant pontificis et Galliarum regis, sequebantur Venetarum, Ferrariensium et Januensium oratores. Sic et in pompis funeralibus et in ecclesia accommodabam me ad ea omnia, non parcendo pecuniis pro vestibus et aliis ea spectantibus et spero, quod s. Mti. vre., prout aliquando ex aliis intelliget, non fui dedecori. De his, que mihi Mtas. vra. pro expensis dedit, restat mihi tantum, quod adhuc per unum mensem vivere possum. Non servatur hic mos iste, qui est apud Mtem. vram., nihil mihi datur neque datum est preterquam ex penu regio semel quatuor lagene vini.

Sacra Mtas. vra. pro sua erga me clementia ulterius providere dignetur, interea tamen dabo omnem operam, ne nimia quedam per me committatur levitas, et sicut consuevi, semper fideliter atque accurate rebus mihi per s. Mtem. vram. commissis quantum ingenii et industrie mee est inserviam. Confido, quod aliquando mee longe jam servitutis erit memor.

Veni huc XIV. mensis Januarii. Introivit hanc civitatem Sermus. rex Catholicus XV. Februarii. Data mihi est prima audientia in magna consiliariorum frequentia XXI ejusdem. Hodie habui privatam, quam credo negotiis nostris prodesse plurimum. Que quomodo succedent cum primis s. Mti. vre. describam.

De falconibus me hodie Sermus. dnus. Catholicus rex interrogavit, quibus multum delectatur, dixitque, quod vult propediem aucupes suos ad s. Mtem. vram. transmittere, et si rursus habet aliquid, quo Mti. vre. posset placere, offert omnia. Ivit ista hora venatum Mtas. sua, comitatus est eam Illtris. dnus. Joannes, marchio Brandeburgensis, cui pridie literas S. Mtis. vestre cum verbis res agendas spectantibus obtuli; preseferebat bonum vultum et fuit gratissimus de Mtis. vre., ut mihi hunc videbatur, literis, pollicitus est omnem operam; nollem tamen illam, quam in Brabantia impendebat. Fertur pro certo, quod ducturus est in uxorem reginam relictam viduam Sermi. regis Ferdinandi nuper defuncti. Habet magnam apud Sermum. regem Catholicum auctoritatem; sunt tamen plures qui majorem, presertim Illris. dominus Guliernus de Croy, dux Sore, regni Neapolitani admiratus, quem Mtas. ces. in celebratione velleris aurei in marchionem creavit, titulus nunc mihi non occurrit. Et est iste, quem dicunt de Szeveres, qui apud regem habet in manibus omnia. — Maluissem ad illum habuisse s. Mtis. vestre literas. Nihilominus ego imprimis, antequam primam haberem audientiam, eum nomine s. Mtis. vre. salutavi et quod notus esset fama ingenti Mti. vre. per oratorem, qui a Mte. vra. superioribus annis fuit in Brabantia apud cesarem, persuasique ei, magnam habere s. Mti. vre. gratiam etc. Iste rebus nostris non no-

MDXIX. cuit, immo promovit plurimum. Accepit ab Illma. dna. duce Mediolani corruptiones facturusque est omnia, si adhuc litere Mtis. vre. ad eum darentur, in omnem eventum, nam suspicor, mihi adhuc esse in negotiis istis immorandum, que tam subito confici non possunt, quia omnia desuper jura conquiruntur. Non parum juvaret nos ista curia, habet etiam practicas suas. Sunt hic ut fuerunt in aula cesaris plurimi, qui merito „geswindt“ dici possunt. Bene tamen speramus.

Novi hic nihil habetur, quam quod istis diebus iste, de quo supra scripsi, de Szeveres debet ire et convenire cum Gran magistro Francie ad utriusque regis negotia tractandum. Quid erit postea experiemur.

Magna est spes istius electionis pro Sermo. rege Catholico, dicitur etiam sepius de Mte. vra., ego taceo, addo tamen hoc, quod Mtas. vra. pro sua prudentia, quid expedit, facile perpendet. Sunt tamen hic multi, potissimum Itali, qui Mtem. vram. Cracovie et Vienne viderunt, qui Mti. vre. imperium imprecantur. Sed jam adest iste secretarius, qui literas has expectat. Commendo me suppliciter s. Mti. vre. Datum Barcinone XII Marcii.

XXXV. Joannes Dantiscus, Orator, Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. G. Rme. in Christo pater et dne., dne. gratiosissime. Humillimam commendationem. Non rebar tantum mihi suppetere temporis, ut etiam Dtioni. vre. rme. scribere possem, propterea tumultuarie, que obiter in buccam venerunt, ad s. Mtem. regiam scripsi. Dtio. rma. vra. pro sua in me gratia veniam mihi impetrabit, neque etiam diutius datur esse cum Dtione. vra. rma., prout ipse cuperem, instante tabellario. Ut tamen rem omnem habeat paucis, inclusi his, que coram Sermo. rege Catholico dixi et que tunc mihi respondit. Ut ab oratoribus Illme. domine ducis Mediolani instructus sum, videbatur mihi expedire orationem meam in hunc modum ponere, quam prout scripta est de verbo ad verbum, presentibus oratoribus Illme. dne. ducis Mediolani, sine quibus ut testes essent, audiri nolui, exposui. Si quid vel plus vel minus, quam debui, dixi pro sua in me gratia Dtio. rma. vra. coram Sermo. dno. nostro moderabitur. Quantum potui, feci. Accepi decima hujus mensis literas regie Mtis., quibus mihi mandat, ut hic immorer, donec negotia mihi commissa expediam. De viatico verbum nullum neque Dtionis. rme. vre. litere, quas ardentissime cupiebam, continebant. Facilis est conjectura, quomodo res mee hic se habent, cum quatuor equis et metquartus hic ago; hoc, quod timui semper, mihi accidit. Rogo per immortalem Deum Dtionem. vram. rmam.: pro me ad Mtem. regiam intercedat, et prout commode poterit aliquando ad me scribere dignetur, ne mihi ipsi ita ab omnibus in isto ultimo terrarum orbe videar destitutus.

Quidquid in vita spei reliquum est, in sola Dtione. vra. rma. dependet, cui me humiliter commendo et rogo, ut facio in omnibus literis, si nulla poterit rerum mearum alia esse fortuna, saltem illa mihi in reditum meum, que sicut novit Cracovie mihi offertur, maneat. Datum Barcinone XII Marcii.

XXXVI. SIGIS.

XXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Hungarie et Bohemie Regi.

Serme. princeps et dne. nepos noster charissime. — Facti sumus certiores, designatum esse terminum ad electionem novi imperatoris et cum alios electores tum vram. Mtem. esse jam pro eodem termino ad conventum Francofordiensem vocatam, quod quare nobis Mtas. vra. non communicavit, valde miramur. Expedit enim cum nos tutores illius simus et ipsius etas non sufficiat ad tantum actum per eam solam, quo sit validus, exequendum, ut mutuo de hac re inter nos consilio habito id ageremus, quod in primis auctoritatem et privilegium hoc Mtis. vre. non imminueret, deinde etiam honorem et commodum aliquod utrique nostrum et communibus regnis nostris afferret. MDXIX. Cod. G. R.

Ceterum manifestum facimus vre. Mti., venisse ad nos oratores insignes Christianissimi dni. regis Gallie, cui referentes qualiter adhuc vivente cesarea Mte., demum ipsa defuncta, nonnulli principes christiani et electores etiam imperii postulassent ab illius Mte. ut ipsius imperii sedem acceptaret et qualiter illa solo studio ac desiderio bene merendi de re christiana et ne frustra nomen Christianissimi habere videretur, munus suscipere non recusaret. Postularunt a nobis illius Mtis. nomine, ut ubi res in electione ad parem electorum dissensionem veniret, ubi tum Mtis. vre. suffragium plurimum valeret, nos cum Mte. vra. simul tanquam tutores ipsius suffragium pro eodem Sermo. dno. rege Gallie preberemus, offerentes nobis ambobus ex illius Mte. non vulgaria commoda tum ad conjunctionem et affinitatem inter nos mutuam tum etiam ad defensionem et bonum statum communem regnorum nostrorum pertinentia.

Venit deinde ad nos nuncius a consiliariis in Germania Sermi. dni. regis Catholici hoc itidem a nobis postulans et agens.

Verum nos scientes una ex parte, que sit affinitas vestre Mtis. cum Sermis. nepotibus olim cesaree Mtis., que illam filii loco diligebat, ornabat et multis paternis officiis est prosecuta, quodque ad postulationem illius cesaree Mtis. jam nos in conventu Augustensi nonnullam de ipsa imperii sede pro Sermo. dno. rege Catholico significationem communis voluntatis nostre feceramus, cui amore illius defuncte Mtis. uti amici et fratris nostri desideratissimi, non secus omnes fortunas et honestas accessiones faveremus quam filio nostro proprio.

Perpendentes item alia ex parte ancipitem ejus electionis eventum et quod multum intersit utriusque nostrum et communium regnorum nostrorum, propensum habere illum in nos, quisquis sit cesar futurus; intelligentes etiam plane, quali nunc opus esset cum toti rei christiane tum maxime regnis vre. Mtis. imperatore, non visum nobis fuit quidquam ipsis oratoribus absque scientia et voluntate vre. Mtis. et consiliariorum ejus, quibus etiam de hoc rescribimus, respondere, ne quid sub hoc munere tutorio difficultatis et detrimenti vre. Mti. fecisse videremur. Quare plurimum rogamus Mtem. vram., ut, discusso secum diligenter tanto negotio, nobis quam primum declarare dignetur, quid eisdem oratoribus in summa respondere debeamus Nam id a nobis exigunt, ut plane illis referatur: utrum ipsorum regi Mtas. vra. et nos adherere velimus in casu dissensionis electorum nec ne; quo-

modo

MDXIX. modo item hunc alterum nuncium consiliariorum dni. regis Catholici mittere a nobis debeamus. Deinde etiam nos Mtas. vra. edoceat, qualiter nos et cum qua resolutione mittere ad conventum electionis oporteat, ut suffragium Mtis. vestre in auctoritate et valore suo conservaretur et occasionem hanc devinciendi utrique nostrum cesarem, quisquis ille fuerit, non amittamus.

Videtur autem nobis, ut ad electionem hanc unus nuncius Mtis. vre. ex regno Bohemie et alter noster tanquam tutoris proficisceretur essetque mandatum ad utrumque sigillo regni Bohemie et nostro obsignatum. Et proinde nos tempori Mtas. vra. certiores faciat, qualiter nos in his omnibus gerere deberemus, nam tempus breve est et nos de illo nunc primum quando nobis ex Germania significatum est intelleximus. Faciet Mtas. vestra rem summe necessariam rationibus tam suis quam nostris ac nobis quam gratissimam. Que felicissime valeat et nos uti facit et debet amet.

XXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Prelatis et Proceribus regni Hungarie.

Cod. G. R. Rnde. in Christo pater et domine, amice nobis sincere dilecte. Venerunt his diebus ad nos oratores insignes Sermi. dni. Francisci, regis Gallie, referentes qualiter vivente adhuc cesarea Mte. deinde etiam post ejus Mtas. obitum nonnulli principes christiani et electores imperii eundem Sermum. dnum. regem Gallie postularunt, ut ad sedem imperii consequendam animum suum induceret, quodque illius Mtas., ne postulatis ipsorum deesse et frustra nomen Christianissimi habere videretur, consensit ad onus hoc suscipiendum eo solo desiderio, ut hoc difficillimo rei christiane tempore, dum etate et animo nec minus facultate valet, possit aliquid boni de re ipsa christiana mereri.

Sciens autem, Sermum. dnum. regem Ludovicum, nepotem nostrum charissimum, ut regem Bohemie votum habere in electione plurimi momenti, ubi inter electores par dissensio contingeret, neque, dum ille etatem legitimam ad hunc actum, ut sit validus, habeat, petierunt impense, ut nos tanquam tutor ejusdem Sermi. dni. regis Ludovici, ejus Mtis. nomine votum et suffragium pro ipso Sermo. dno. rege Gallie prestaremus, offerentes plurima eidem domino regi Ludovico et nobis communibusque regnis nostris ex ea re commoda ad conjunctionem et affinitatem inter nos ac bonum statum et defensionem communium regnorum nostrorum pertinentia.

Venit item nuncius consiliariorum Sermi. domini Caroli, regis Hispanie, ex Germania, idem agens et a nobis postulans. Nos vero ante omnia intelligentes, terminum electionis imperialis esse jam designatum et ad illum Sermum. dnum. regem Ludovicum uti alios electores vocatum, plurimum miramur: non esse id nobis per vram. Ptem. et alios dnos. regni Vngarie et Bohemie declaratum. Memoria vero retinentes olim ces. Mtis. erga nos et ipsum Sermum. dnum. regem Ludovicum summam benivolentiam et multa in illum paterna officia prestita et quod ad illius Mtis. ces. postulationem jam nonnullam significationem de sede imperii pro Sermo. dno. Carolo fecimus in conventu Augustensi, cui amore ipsius defuncte

functe ces. Mtis. nil est adeo felix et honorificum, quod illi non eque faveremus, quam fi- MDXIX.
lio nostro proprio.

Perpendentes item e diverso ambiguum hujus rei exitum et quod multum intersit Sermi. domini regis Ludovici et nostra, propensum et faventem habere imperatorem, intelligentes etiam, quali opus sit nunc rei christiane imperatore et presertim regnis ipsius dni. regis Ludovici in majori discrimine constitutis, sciremus, quid affinitati et affectui privato, quid item communi bono reipublice christiane dandum foret. Verum in tanto negotio presertim polliceri simpliciter vel negare operam ejusdem Sermi. regis Ludovici et nostram, ita ut a nobis exigitur, non visum fuit nobis absque scientia illius Mtis., cui de hac re pariter scripsimus, deinde etiam absque consilio vre. Ptis. et aliorum dnorum. regni Hungarie et Bohemie quidquam statuere, sed retinuimus ipsos oratores apud nos donec ab eodem Sermo. dno. rege Ludovico et a vra. Pte. aliisque consiliariis regni Hungarie ac Bohemie, quid potissimum censeant, edoceamur.

Quare rogamus vram. Ptem., significare velit nobis quam primum suam sententiam et quid ipsis oratoribus ad summum respondere debeamus et qualiter nos quoad futuram electionem gerere oporteat, ne nobis id pretermittentibus et Sermo. dno. rege Ludovico etatem legitimam de jure ad hunc actum non habente, aliquid illi auctoritatis in posterum aut juris super eligendo imperatore detrahatur. Vellemus autem et videtur nobis consultum, ut res debitam habeat firmitatem, ut nuncius unus ex regno Bohemie et unus noster tanquam tutoris ad ipsam electionem proficisceretur cum mandato sigillis regni Bohemie et nostro obsignato. Et proinde rogamus, quo nobis vra. Ptas. de his omnibus consilium et sententiam suam perscribat. Faciet rem valde necessariam dignitati regis sui et nobis gratissimam. Que valeat feliciter et nos diligat. Datum Cracovie.

XXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Statibus et Ordinibus regni Bohemie.

Spectabiles, mgci., generosi, nobiles et famati nobis sincere dilecti. Facti sumus certiores, Cod. G. R.
designatum esse terminum ad electionem novi imperatoris, et cum alios electores tum Serenissimum dnum. regem Ludovicum, Hungarie et Bohemie regem, nepotem nostrum charissimum, esse pro eodem termino ad conventum Francofordiensem vocatum. Quod quare nobis vestre Dtiones. non communicarunt, valde miramur. Expedit enim cum nos tutores ejusdem Sermi. dni. regis Ludovici simus, et ipsius etas non sufficit ad tantum actum per eum solum, quo sit validus, exequendum, ut id ageremus quod in primis auctoritatem et privilegium hoc illius Mtis. et regni ejus Bohemie non imminueret, deinde etiam honorem et commodum aliquod utrique nostrum et communibus regnis nostris afferret.

Ceterum manifestum facimus vestris Dtionibus., venisse ad nos oratores etc. ut supra.

Venit deinde ad nos nuncius a consiliariis Sermi. dni. Caroli etc. ut supra... respondere debeamus, nam id a nobis exigunt, ut plane illis referatur, utrum ipsorum regi Sermus. do-

MDXIX. minus rex Ludovicus et nos adherere velimus nec ne, quo modo item hunc alterum nuncium consiliariorum dni. regis Catholici remittere a nobis debeamus.

Deinde etiam nos vre. Dtiones. edoceant, qualiter nos et qua resolutione mittere ad conventum electionis oporteat, ut suffragium Sermi. dni. regis Ludovici in auctoritate et robore suo conservaretur, et occasionem hanc devinciendi utrique nostrum cesarem, quisquis ille fuerit, non omittamus. Videtur autem nobis, ut ad electionem hanc unus nuncius ipsius Sermi. dni. regis Ludovici ex regno isto Bohemie et alter noster tanquam tutoris proficisceretur, essetque mandatum ad utrumque sigillo regni Bohemie et nostro obsignatum. Et proinde nos tempori per hunc nuncium vre. Dtiones. faciant certiores, qualiter nos in his omnibus gerere deberemus, nam tempus breve est et nos de illo nunc primum intellexi-mus. Facient vre. Dtiones. rem summe necessariam rationibus et dignitati Sermi. dni. regis sui nobisque quam gratissimam. Que feliciter valeant. Datum Cracovie.

XXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Statibus, Ordinibus Bohemie. (Protectoribus Regni Bohemie. Cod. R.).

Cod. G. R. Spectabiles et mgci., generosi, nobiles et famati nobis sincere dilecti. — Accepimus literas vrarum. Dtionum. quibus in primis nobis scribunt, qualiter ipsi Sermum. dnum. regem Ludovicum, nepotem nostrum charissimum, non expectatis annis suis legitimis, jam in plenam administrationem et regimen regni sui Bohemie suscipere decreverunt et susceperunt, deinde, quod ejus Mtas. et vre. Dtiones. sint ad conventum electionis futuri imperatoris per Rmum. archiepiscopum moguntinensem vocate de more, postulantque a nobis vre. Dtiones., ut dicto Sermo. dno. regi Ludovico pro eo imperiali culmine et sede consequenda consilio et auxilio nostro non deessemus.

Quod igitur ad regimen regni Bohemie attinet, nos quidem illius Mti. ut nepoti et tanquam filio nostro amantissimo, omnem dignitatem, honorem, auctoritatem non secus favemus quam nobis ipsis, et proinde libenter videmus probamusque, quod vestre Dtiones. illius Mti. omnem administrationem et auctoritatem regni sui Bohemie jam deferunt, dummodo id ad bonum statum illius Mtis. et regni sui cedat. Verum miramur, ut cum aliqui ex vestris Dtionibus. nomine tamen omnium nos tutorem una cum cesarea Mte. defuncta usque ad legitimos annos dicti regis Ludovici susceperant, non eam rem prius nobis significarunt; utcunque tamen est, grato animo, ut diximus, id videmus et probamus.

De imperiali vero sede et regno Romanorum assequendo meminimus quidem nos, id cesaream olim Mtem. nobis fuisse in conventu nostro mutuo viennensi pro eodem Sermo. dno. rege Ludovico pollicitam, vero significaverat nobis postea illius Mtas. secreto, se in ea re omnem impendisse operam apud electores, sed efficere aliquid nullo modo potuisse ceperatque ob id illius Mtas. eam operam pro nepote suo Sermo. dno. Carolo, Hispanie rege, facere, ad ejusque Mtis. postulationem nos quoque oratores in hoc negotio tanquam tutores Sermi. regis Ludovici ad conventum augustensem preteritum miseramus et jam nonnullam signi-

ficationem

ficationem voluntatis et suffragii nostri pro eodem Sermo. dno. rege Carolo nomine tutorio dederamus, nunc autem ea sede vacante competunt et certant pro illa duo potentes reges, Gallie et Hispanie, suntque apud nos in presens utriusque nuncii id quisque eorum agens, ut regi suo cum Sermo. rege Ludovico adessemus, prout vris. Dtionibus. paulo ante literis nostris declaravimus. Et utcunque intelligimus, predictos duos reges magis viribus et favoribus ad eam sedem contendere, nescientes tamen, quorsum res inclinabit et nos in omnibus, uti tenemur, potissimam rationem ad commodum et honorem nepotis nostri Sermi. regis Ludovici habemus eique hanc dignitatis accessionem libentissime et omni studio faveremus, si intelligeremus id aliquo modo ad effectum procedere posse, dabimus tamen omnem operam cum consilio vrarum. Dtionum., ut aliquid in ea re proficere valeamus. Ubi autem id succedere non posset, curandum erit, ut favore et opera utriusque nostrum is, quisquis cesar futurus sit, nobis devinciatur, ad quod negotium ut esset res solida et auctoritas dicti Sermi. dni. regis Ludovici et regni ejus Bohemie non minueretur, quoniam illius Mtas. in hac etate constituta suffragium de jure prestare non posset ad tantum actum sufficiens et validum, videtur nobis, ut cum illius Mtis. oratoribus ex regno Bohemie nostri quoque ad electionem hanc proficiscantur sitque mandatum utriusque nostrum nomine scriptum et sigillis regni Bohemie et nostro obsignatum. Quare pernecessarium putamus et postulamus a vris. Dtionibus., ut in tanto negotio nobiscum mutuam intelligentiam habeant, nosque quam celerius de ipsa missione oratorum et instructione illis danda certiores faciant, ut sciamus qualiter gerere nos debebimus. Facture pro honore et bono Sermi. dni. regis ac regni sui nobisque rem gratissimam. Datum Cracovie. MDXIX

XL. Sigismundus, Rex Polonie, Maximiliano de Bergkcz, Oratori Caroli, Regis Hispanie.

Mgce. sincere nobis dilecte. Accepimus literas tue Mgcie. quibus nobis mortem in primis cesaree Mtis. declarat, deinde postulat, ut oratorem nostrum Raphaelem istic subsistere faciamus. Nos jam pridem mortem ipsam cesaream compertam habuimus et pro ea ut debuimus cum propter nostram mutuam et fraternam benivolentiam tum etiam rempublicam christianam — utraque enim in re, presertim hoc tempore, summam et incomparabilem cepimus jacturam — magnopere doluimus et etiamnum dolemus. Quia vero cum illius Mtas. in humanis ageret a nobis optavit, ut sua causa et Sermi. domini regis Catholici oratores nostros ad conventum in primis augustensem. deinde etiam Francofordiensem mitteremus, fecimus id non gravate, ut et illius Mti. gratificaremus et ipsi Sermo. regi Catholico studio et opera nostra, qua possemus, commodaremus. Defuncta autem eadem cesarea Mte., que tutorem una nobiscum Sermi. dni. regis Hungarie et Bohemie, nepotis nostri charissimi agebat, prorsus incerti sumus et de conventus tempore, hac presertim, ut accepimus, principum germanorum dissensione, et quibus processibus negotium inceptum transigi debebit, dictum Raphaelem, oratorem nostrum, revocavimus. Sed cum a prefato Sermo. dno. Cod. G. R.

rege

MDXIX. rege Catholico certiores fiemus de conventu electorum et per ejus Mtem. edocebimus, quibus in rebus nostra opera illi usus fuerit, omnia libenter et ex animo que poterimus pro ejus Mte. faciemus. Bene valeat tua Mgcia. Datum Cracovie.

XLI. Matheus, Cardinalis Gurcensis, Casimirus, Marchio Brandeburgensis, Epus. Tridentinus, Maximilianus de Bergkcz, Mandatarii Caroli, Regis Hispanie, Jo. de Sernhein, Villinger, Jo. Renner.

Mgco. dno. Andree de Burgo, Equiti, Catholici regis consiliario.
In ejus absentia aperiantur per Sermum. regem Polonie.

Cod. G. R. Mgce. dne. amice singularis. Scripsimus ad Dtionem. vram. die XV presentis per vicedominum Austrie, jussimusque, ut rebus Catholici regis sic expostulantibus subito ex Hungaria Dtio. vra. recederet et ad Sermum. Polonie regem proficisceretur, quemadmodum existimamus Dtionem. vram. intellexisse, et jam ad prefatum Sermum. Polonie regem pervenisse atque ea, que ad Dtionem. vram. scripsimus, cum Serte. sua egisse.

Interim nos ab Augusta digressi huc pervenimus, ubi inter alios principes confederationis Suevie in persona hic congregatos, etiam reverendissimum dnum. cardinalem moguntinum invenimus. Et quantum circa negotium electionis intelligere possumus, jam ceptum est disputari inter principes electores circa votum electionis regis Bohemie, an ad Sermum. Hungarie et Bohemie regem, vel ad ipsos Bohemos, an ad Sermum. Polonie regem spectare videatur, cognoscimusque ab aliquibus illorum existimari, hujusmodi votum nomine Bohemie regis in futura electione prestandum de jure ad Sermum. Polonie regem tanquam fratrem patris Sermi. Hungarie et Bohemie regis in etate imperfecta constituti pertinere juxta dispositionem articuli Bulle auree Caroli IV., cujus copiam nuper ad Dtionem. vram. transmisimus et in presentiarum denuo mittimus. Et quod eam ob rem in hac electione potius oratores et mandatarii regis Polonie quam Hungarie sive Bohemie per electores admittentur.

Et quamvis nihil dubitemus, quin Sermus. Polonie rex expediverit jam oratores suos cum pleno et amplissimo mandato ad prestandum in omni casu et quacunque dispositione, ad se pertinente, nomine suo votum in hac futura electione in personam regis Catholici, tamen ne ob defectum mandati aliqua oriatur ambiguitas vel difficultas, que electionem turbare seu impedire posset, idcirco velit Dtio. vra. cum Sermo. Polonie rege agere atque omnino efficere, ut Mtas. sua dignetur subito aliud novum expedire mandatum in personas oratorum suorum juxta formam et copiam, quam in presentiarum his annexam Dtioni. vestre mittimus et quam juxta formam in aurea Bulla descriptam fieri et concipi jussimus; quamvis etiam incertum habeamus, si hujusmodi mandatum sit sufficiens atque ipsis electoribus satisfactorium; propter quod ad evitandum omne periculum et ad majorem cautelam

atque

atque securitatem, velit etiam Dtio. vestra ultra hoc omnino apud hunc Sermum. Polonie MDXIX.
regem efficere, ut una cum prefato mandato dignetur etiam oratoribus suis, quos jam in itinere constitutos credimus, cum omni celeritate transmittere sigillum suum, sicuti id etiam nuper in Augusta oratoribus suis dederat. Ut si forte hoc novum mandatum seu procuratorium per Sertem. suam jam in personas predictorum oratorum suorum expediendum non esset sufficiens, aut auree Bulle non consonum et conforme, possit per oratores suos novum expediri mandatum desideriis et voluntati principum electorum satisfactiorum et ad omnes occasiones opportunum. Aut si Sertas. sua sigillum oratoribus suis destinare valde gravaretur, saltem ultra hoc novum mandatum etiam transmittat oratoribus suis albam sive chartam pergameni mundam seu nudam manu Sertis. sue subscriptam appenso sigillo, ut supra illa per oratores suos possit ibi in Francfordia scribi et expediri aliud mandatum sufficiens, necessarium et opportunum in tali forma, quod alii electores eosdem oratores ad electionem non admittendi occasionem querere nequeant. Oportet autem, ut Dtio. vra. omnem operam det ac sollicitet, ut omnia ista quantocius et sine omni mora fiant et ut oratores supradicti regis cum omni celeritate possibili Francofordiam veniant. Jam enim circa tempus electionis inter principes electores etiam actum est, et jam videtur pluribus dies peremptorius ad comparendum electoribus constitutus non esse XVII Junii sed X ejusdem mensis, propter quod electionem longe citius futuram videmus quam prius credebamus. Eritque tanto magis necessarium, ut oratores Sermi. regis Polonie ad Francfordiam accelerent et Mtas. sua supradictum novum mandatum una cum sigillo et charta alba eisdem subito transmittat, ne aliquis error contingat, qui non solum rebus regis Catholici, sed etiam juribus electionis Sertis. sue et Sermi. nepotis sui regis Hungarie et Bohemie prejudicare possit, quemadmodum hec omnia Mtem. suam libenter facturam non dubitamus. Nosque ob importantiam hujus rei voluimus hos duos proprios ad Dtionem. vram. expedire cursores, ut cum omni celeritate et secure has literas ad Dtionem. vram. perferrent et quantocius cum responso vestro ad nos Francofordiam redeant. — Datum Eslingen die penultima Maji.

Post scripta dum has clauderemus, accepimus literas vestras ex Buda de XXI presentis, ex quibus cum inter alia intelligamus, Bohemos adhuc constanter in hac persistere sententia, votum in futura electione prestandum pertinere ad eos, existimamus tanto magis opportunum immo necessarium, ut Sermus. Polonie rex oratoribus suis, ut supra diximus, sigillum suum aut chartam albam subscriptam et sigillatam celeriter transmittat, ut ad omnem occasionem simus muniti et provisi, et presertim si forte per Bohemos votum in electione esset prestandum, possit novum super hujusmodi charta alba pro illis in Francofordia expediri necessarium atque opportunum, ne ex hoc defectu mandati aliquis emergat error, intricatio, perplexitas, difficultas vel impedimentum. Propter quod, cum a Dtione. vestra nunc intelligatur hujus rei importantia, tanto magis ab ea elaborandum erit, ut sepe dictus Polonie rex — ut totiens reiteramus — sigillum suum aut album oratoribus suis confestim transmittat. Datum ultima Maji.

XLII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Caroli, Regis Hispanie.

MDXIX. Cod. G. R. Rme. in Christo pater et dne., amice noster charissime, ac spectabiles et mgci. nobis sincere dilecti. Quando venit ad nos iste nuncius vrarum. Dtionum. Joannes Ferrebenger et literas illarum nobis reddidit ac commissa exposuit, egimus diligenter apud Sermum. dnum. regem Ludovicum, nepotem nostrum amantissimum, ac ejus Mtis. consiliarios tam Hungaros quam Bohemos, ut quod nos ad postulationem olim ces. Mtis. felicibus auspiciis in conventu augustensi inchoaremus, ad id perficiendum ipsi quoque consentirent. Nam egre tulerunt, quod nos inconsultis illis prius in hac re fecimus, et ea causa retinuimus hucusque ipsum nuncium, ut cum certiore responso illum absolvere possemus. Et congruit quidem nobiscum ipse Sermus. dnus. nepos noster et ejus Mtis. consiliarii regni Vngarie, prout Dtiones. vre. clarius ex oratoribus his, qui illic fuerunt, cognoverunt; sed dni. de Bohemia nobis contraveniunt, cum quibus caute et modeste agendum censentes, ne quam perturbationem in hoc negotio facerent, presertim ubi intelligerent nos in unam partem absque eorum consensu inclinatos, non visum est nobis in presens quidquam dnis. electoribus et principibus scribere sicut Dtiones. vre. postularunt. Nam ipsi Bohemi graviter de nobis queruntur, quod absque illis per nos in conventu augustensi est actum. Verum mittemus oratores nostros ad conventum Francofordiensem et in mandatis illis dabimus omnia agere, que per nos prestari poterunt. Vre. etiam Dtiones. curabunt dnos. Bohemos, qui illuc venturi sunt, inducere, ut ab oratoribus nostris non dissentiant, declarando illis facultatem nostram in eo negotio, tam ex jure quam etiam dispositione Bulle auree, dentque operam, ne oratores ipsi nostri aliquam illic ignominiam subeant. Nam veremur profecto, ne iidem Bohemi cognito studio nostro in eo perficiendo, quod cepimus, aliquas turbas excitent. Voluimus autem hunc nuncium premittere, antequam oratores nostros absolveremus, ut hec Dtionibus. vris. nunciaret. Que valeant feliciter et nos diligant. Datum Cracovie.

XLIII. Leo, Papa decimus, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod G. Charissime in Christo fili noster. Salutem et apostolicam benedictionem. Que venerabilis frater Erasmus, eps. plocensis, tue Mtis. apud nos et hanc sanctam sedem orator, de tua primum in conventu augustense, quod ad generalem expeditionem contra hostes attinebat, deinde iterum, Maximiliano cesare defuncto, ut discordiis et dissensionibus, que ex nova electione oriri possent, occurreretur, opera, virtute, providentia nobis retulit, ea nec inexpectata nobis et solita tua pietate ac magnitudine animi visa sunt dignissima. Cum autem nobis quoque superioribus diebus, stimulante nos nostro pastorali officio, ut in novo deligendo imperatore christiane reipublice, hoc maxime necessario tempore, consuleretur, literas

ras ad omnes eos principes misissemus, qui in hac electione suffragii habent potestatem, MDXIX.
inque iis ad regem Bohemie, dubitantes quadam ratione, ne ille interciderint aut intercepte fuerint litere, has denuo nominatim ad Mtem. tuam scribendas censuimus, primum et tibi et christiane reipublice gratulatum, quod tu tutorio nomine nepotis tui regis vices Bohemie gerens, huic creationi autoritatem tuam adhibiturus sis, sive enim fides et consilium in actione ista requiritur, nec majori prudentia, neque eminentiori in christianam fidem pietate ac studio regem ullum potuimus postulare, sive honos et dignitas aliqua hoc suffragio comparatur, hoc nos in te optamus semperque omnique amore amplificationem tue dignitatis appetivimus. Cui etiam ut ad altiorem gradum sublimetur, quantum in nobis fuerit, defuturi non sumus. Deinde vero Mtem. tuam cohortando, quamquam hoc more magis officii nostri, quam quod hortatoris egeas duxerimus faciendum, ut et tu meditationem curamque adhiberes ceterosque tuos collegas in eandem cogitationem adduceres, ut his durissimis temporibus christiane reipublice velint esse consulturi. Que in quem locum deducta sit immanitate et potentia teterrimorum hostium et quibus periculis exposita, non est opus docere te in ipso pene conflictu periculorum atque hostium assidue laborantem. Cum autem eligendus sit his imperatoriis comitiis christiane universe religionis dux quodammodo et propugnator, omnia sunt summo consilio, rectissimo studio ad communem utilitatem Christianitatis dirigenda, quod utinam totum in tue Mtis. sapientia et auctoritate situm esset. Spem enim haberemus certam, tutiora et feliciora tempora videndi. — Quod autem nunc, utcumque se habet res, maxime petimus et expectamus a Mte. tua, hoc illud est, quod cum duplex ratio sit communi bono consulendi, si et pax inter Christianos teneatur et belli mine ac terrores in impios hostes transferantur: cumque pax nostra illius sanctissimi belli sit fundamentum, ea imprimis et maxime cura adhibeatur, ne quis eligatur, qui aut naturam habeat et voluntatem aut causam aliquam sanctissimam sedem hanc et cum ea Christianitatem totam perturbandi. Plura non scribimus ad prudentissimum regem, nec enim est necesse, illud tantum adjungimus, si Mtas. tua, re optime pensitata, sua auctoritate et sapientia hoc negotium rexerit, ingentem te gratia a Deo primum, deinde etiam laudem a nobis et omnibus hominibus reportaturum, sicut latius cum supradicto oratore tuo de toto animo nostro collocuti sumus, quem nos honorifice et cum dignitate oratoris tui locum sustinentem multisque virtutibus preditum paterne diligimus, eundemque judicamus, si idem Mti. tue videatur, proficiscentem tuo nomine ad futurum super hac electione conventum, et que honori tibi et que huic sancte sedi commodo futura sint, omni fide atque industria curaturum. Sed de his omnibus illius literis Mtas. tua fidem habebit. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXVII Marcii.

XLIV. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao, Epo. Olomuncensi.

Reverende etc. Priusquam reddite fuissent nobis litere vre. Ptis., deposuerat coram nobis querelam generosus Martinus Mischkowski, dapifer cracoviensis, de nonnullis subditis fratris ejusdem Ptis. Ex cod. mss. bibl. Ossol.

MDXIX. *Ptis. vestre de ducatu plezinensi, quam illi literis nostris declaravimus, verum cum ille et Ptas. vestra se judicio et cognitioni nostre submittit, ipse etiam Mischkowski se submittere cogeretur, et nos libenter volumus huic negotio terminum statuere et inibi cognita utrinque re id decernere, quod equum et justum videbitur. Volumus enim, ut subditi nostri equanimiter cum vicinis et presertim cum vestra paternitate et fratre ipsius agant. Que bene valeat.*

XLV. Sigismundus, Rex Polonie, Eidem Episcopo.

Ex cod. mss. bibl. Ossol. *Reverende etc. Mittimus in Osswianczim consiliarios nostros ad feriam sextam proximam ad componendas nonnullas controversias inter illustrem dnum. Cazimirum, ducem theschnensem et filium olim ducis zatoriensis, quibus etiam committemus, ut differentiam, que est fratri Ptis. vre. et ejus subditis de terra plezinensi cum generoso M. Mischkowski examinent et discutiant, jamque eidem Martino, ut illic quoque coram consiliariis nostris compareat atque id, quod illi decreverint, observet, per literas nostras mandavimus. Libenter enim favorem et benivolentiam nostram regiam in omnibus rebus Pti. vre. et ejus domui impartimur et exhibemus.*

XLVI. Andreas Cricius, Canonicus Crac., Secretarius regius, Petro Tomicio, Epo. Premisl., Vicecancellario.

Cod. G. R. Rme. mi dne. Fui apud oratores gallicos invenique eos in magno fastidio constitutos adeo, ut, nisi eos verbis quibus potui demulsissem, jam crastina die Mtem. regiam accedere volebant, licentiam abeundi petituri, dicunt enim se conjicere, non habituros se responsum ex sententia et non esse regem suum hic in pretio, et nisi eos benignitas Rme. Dtionis. vestre, qua sola fretos se esse affirmant, hic detinuisset, jam obtestantur se dudum discedere voluisse.

Hec propterea nunc scribo, ut istic aliqua Rma. Dtio. vra. de illis expediendis operam facere dignaretur.

XLVII. Andreas Krziczki, Secretarius regius Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. G. R. Mi Rme. dne. Rediens ab oratoribus et jam non offendens domi Dtionem. vram. Rmam., necessarium putavi, ut priusquam cum Mte. regia vim totam responsi formaret, intelligeret, qualiter illi sunt animati.

Nolunt in summa, ut eis responderetur aliquid ambigue, sed simpliciter: vel facturam esse Mtem. regiam pro rege ipsorum quod petunt, vel non facturam.

De

De hoc vero, quod ei non sit integrum absque consiliariis regni Bohemie aliquid maxime MDXIX.
de mutatione rei incepte facere, suscipere aliter nolunt quam pro verbis coloratis ad evadendum regem ipsorum, multa cum fastidio vel importunitate potius gallica referentes de certitudine sua, illum et non alium imperatorem futurum, deque ista propensione, quam fecit eorum rex erga Mtem. regiam, nunquam alias predecessoribus ejus factam, et quod ejus parva ratio haberetur, tale enim responsum, dicunt, sibi potuisse dari in crastino adventus et id genus. Jamque nil aliud petunt, quam ut Mtas. regia cito vel aiat vel neget. Ego diu cum illis disputavi modo ad rancorem, modo ad risum, nihil tamen persuadere potui, ut essent contenti.

XLVIII. Responsum ultimum datum Oratoribus Regis Gallie. Die S. Floriani.

Intellexerunt vestre Dtiones. ex priori responso, quam grata extiterit s. Mtas. regia de hac Cod. G. R.
propensione et benivolentia in se christianissimi domini regis Gallie, quam ejus Mtas. per vras. Dtiones illi exhibere dignata est. Intellexerunt ejus pariter Mtis. summum affectum et studium gratificandi et conciliandi sibi Mtem. illam Christianissimam in his, que per easdem Dtiones. vras. a se postulavit.

Que autem causa compulit Mtem. suam, illas hactenus apud se detinere et quare non erat integrum Mti. sue quidquam absque scientia Sermi. dni. nepotis sui et consiliariorum ipsius statuere, ut quibus id pollicita fuit et literis etiam suis firmavit tunc, cum munus id tutorium susceperat, se nil in rebus alicujus momenti absque illis agere, etiam abunde cognoverunt.

Et proinde egit diligenter per literas et nuncios suos ejus Mtas. apud dictum Sermum. dominum nepotem suum et ejus consiliarios, ut eos in eandem sententiam et voluntatem gratificandi Christianissimo dno. regi Gallie inducere possit.

Licet vero nuncius ex Bohemia nondum redierit, nec quidquam adhuc Mtas. sua compertum habet de voluntate illorum regnicolarum, tamen quia Sermus. dnus. nepos suus jam illi animum suum per nuncium, qui noviter huc venit, declaravit, quod videlicet sequi velit consilium ejus Mtis. et Christianissimo dno. regi Gallie gratificari pariter cupit, Mtas. sua Serma. non expectato etiam reditu sui nuncii ex Bohemia, Dtiones. vras. diutius jam detinere non vult, ne quid hac mora illi Mti. Christianissime incommodare et vras. Dominationes longiori fastidio afficere velle videretur.

Sic igitur in summa Mtas. sua Serma. Dtionibus. vestris respondere mihi mandavit: quod alacri et libentissimo animo suffragium dare vult et est parata Christianissimo dno. regi Gallie in assequenda hac imperatoria dignitate, quando eo ventum fuerit, ut suffragium Mtis. sue locum et facultatem esset habiturum, h. e. in pari electorum dissensione. Nam alias suffragium Sermi. dni. regis Bohemie parvi est momenti.

MDXIX. Pollicetur autem id Mtas. sua Serma. ea lege, ut si Christianissimus dnus. rex Gallie intelligeret perduci hanc rem in persona sua non posse, pariter faveret sua suffragia, que haberet, vel huic Mti., vel Sermo. dno. regi Ludovico, et ipsis opera sua, quo id alteruter eorum consequi valeat, non deesse.

Quod vero ad conjunctionem, affinitates et federa cum dicto Christianissimo dno. rege Gallie ineunda attinet, quia et de hac re significaverat Sermo. nepoti suo, ut pro firmiori nexu, conjunctione et unitate istorum regnorum omnia communibus consiliis et decreto agerentur et illius Vngarie Mtas. renunciari fecit huic Mti., fuisse predecessoribus suis cum regibus Gallie multa federa et societates, haberique in erario literas hujus rei, sed eas tam celeriter comperiri non potuisse, velle tamen postea compertis istis transumpta et copias illarum ad Mtem. suam mittere, ut vel antiqua federa renovarentur, vel, si quid addendum mutandumve videretur, in commune consuli possit commodius. Mtas. sua, que aut predecessores sui forte nulla adhuc federa cum Christianissimis dnis. regibus Gallie habuerunt et cui cum Sermo. nepote suo et regnis illius conjunctio et societas arctissima intercedit, nolens quidquam in tam angusto tempore de his rebus statuere, et antequam ex copiis sibi mittendis conditionem federum antiquorum cognoscat, tractare et Dtiones. vras. inaniter, que dudum festinant, occupare, vult alio tempore communi consilio et processu cum Sermo. nepote suo apud Christianissimum dnum. regem Gallie cuncta, que ad fedus, benivolentiam et conjunctionem perpetuam inter Mtes. suas attinent, per oratores communes agere et singula fine et auspiciis felicibus constituere.

Quod reliquum est: s. Mtas. regia Christianissimo dno. regi Gallie plurimam salutem et optimos quosque successus dicit et precatur, seque illius Mti. in mutuum et fraternum amorem ex corde commendat offerens ad ejus Mtis. omne desiderium et commodum se, regnum, populos, vires et facultates suas omnes, ut illis ejus Mtas. Christianissima in his omnibus, que huic Mti. factu possibilia et licita fuerint, non secus utatur quam suis propriis rogatque Mtas. sua Serma. illius Celsitudinem, ut de se non aliter sibi persuadeat neque aliam fidem habeat, quam de his habet, quos sibi fidissimos et faventissimos esse cognoscit.

XLIX. Sigismundus, Rex Polonie, Francisco, Regi Gallie.

Cod. G.R. Revertuntur ad Mtem. vestram a nobis ejus oratores, mgci. Joannes de Langhack, magister ordinis requestarum hospitii ejusdem Mtis. vre. et Antonius de Lamet, quos hactenus nonnullas ob causas, que tunc inciderant, apud nos detinuimus. Referent hi abunde Mti. vre., quid eis ad illius postulata respondimus, neque dubitamus illam eis ut suis et quorum fidem compertam habet plene credituram. Cui nos ex corde commendamus cupimusque, ut felicissime valeat et nos mutuum amet.

L. SIGISM.

L. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Hungarie et Bohemie Regi.

Serme. princeps. Discedentibus a nobis oratoribus Christianissimi dni. regis Gallie, mgci. etc. et illis iter tutius nostro etiam consilio per regnum et dominium Mtis. vre. sibi futurum judicantibus, dedimus illis conductorem nostrum usque ad eandem Mtem. vram., quam plurimum rogamus, ut in gratificationem ipsius regis cum insignis tum nostri communis consanguinei et affinis, pariter conductorem suum eisdem oratoribus per reliquum iter regni et dominiorum suorum, ut illud secure transeant, concedere dignetur. Quo etiam nobis rem non vulgariter gratam faciet. Felicissime valeat Mtas. vra. et nos diligat. MDXIX. Cod. G. R.

VI. Maji. Oratores regis Gallie ex Cracovia discesserunt, qui suffragium regi suo, ut imperator eligeretur, post Maximilianum poposcerunt.

XXI — Raphael Lesczinski profectus est Francofordiam ad conventum electionis cesaris.

LI. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo, Epo. Plocensi.

Rev. in Christo pater. In conventu piotrkoviense preterito retulerunt nobis consiliarii nostri, se compertum habere, qualiter vra. Ptas. sub hoc legationis munere affectare deberet dignitatem cardinalatus, quam etiam dudum sub minori occasione illius consequende adipisci laborabat, supplicaruntque nobis impense, ut quia hec res cederet in magnam seniorum et qui meritis suis antiquis loca superiora in senatu obtinent ignominiam et injuriam, neque id fieri posset absque gravi et perniciosa cum nostri consilii, tum etiam status ecclesiastici perturbatione, hoc propositum vre. Ptis. contineremus. Nos omnino id habere nolentes, ut aliquis subditus noster tanti momenti rem absque consensu nostro aggrederetur, ea que dissensiones et odia intestina regni nostri suboriri possent, mandamus Pti. vre., ut dignitatem ipsam cardinalatus non solum istic non ambiat, sed nec oblatam quidem sponte suscipiat absque scientia et consensu nostro, memineritque eorum, qui apud pontifices oratores existentes dignitates absque voluntate principum et superiorum suorum acceptabant, qualiter illis ea res succedebat. Aliter non factura pro gratia nostra. — Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

LII. Sigismundus, Rex Polonie, Mathie de Drzewicza, Epo. Vladislaviensi, Oratori.

Rnde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Non mutavimus neque mutamus priorem sententiam nostram de mittenda Pte. vra. ad conventum Francofordiensem pro novo imperatore Cod. G. R.

MDXIX. tore eligendo et cum putamus illam adhuc ex morbo, quem habuit, aliquantum languere, nolumus illam huc ad nos fatigare, sed permittimus, ut recta per Posnaniam proficiscatur. Itaque jam istic domi se preparet et quidem expeditius, opus enim est, ut in vigilia Pentecostes Francofordiam applicet, et ita suum iter, perpenso temporis et vie spatio, dirigat et instituat, ut illam diem non negligeret.

Et quia ad tam solennem actum expedit dignitati nostre etiam oratores nostros (itidem ut de aliis audimus) solenniter venire, postulamus a Pte. vra., ut quanto honestius possit pro honore nostro et patrie se expediat, et nos pro viatico commismus Joanni Boner illi mille aureos Vngaros et sex stamina panni rubei lundensis dari, volumusque, ut in eo colore triginta vel quadraginta habeat equites preter alios, qui aberunt ab ordine, utque nobis celeriter significet, quando Posnaniam sit ventura et qua deinde illinc iter faciet, ut collega, quem cum ea sumus hinc missuri, sciret, ubi cum illa et quo die convenire deberet, quem quidem collegam nondum designavimus, sed jam etiam id faciemus et Pti. vre. postea declarabimus. Que bene valeat.

LIII. Plenipotentia a Rege Polonie Sigismundo data oratoribus ad electionem novi imperatoris.

Cod. G. R. Nos Sigismundus etc. nomine tutorio Sermi. principis et dni. Ludovici eadem gratia Hungarie et Bohemie etc. regis, marchionis Moravie et sacri romani imperii principis electoris, nepotis nostri charissimi, notum facimus tenore presentium universis: quod cum electio Romanorum regis ex rationabilibus causis imminet facienda, Nos de honore sacri imperii sollicitudine debita intendere cupientes, ne tam gravibus dispendiis periculose subjaceat de fide et circumpectionis industria Rndi. in Christo patris, dni. Mathie, epi. Vladislaviensis, et mgci. Raphaelis de Leschno, castellani landensis et capitanei slochoviensis, consiliariorum nostrorum nobis sincere dilectorum obtinentes utique presumptionis indubie singularem fiduciam, ipsos et quemlibet ipsorum in solidum ita, quod non sit melior conditio occupantis, sed quod per unum inceptum fuerit per alium finiri debeat et licite terminari, jure, modo et forma, quibus melius et efficacius possumus seu volumus, nostros veros et legitimos procuratores et nuncios speciales facimus, constituimus et ordinamus ad tractandum ubilibet una cum aliis principibus electoribus tam ecclesiasticis quam secularibus et cum ipsis concordandum, conveniendum et concludendum de persona quacunque abili et idonea in regem Romanorum eligenda, ac de ipsis tractatibus super electione talis persone habendis pro nobis loco et nomine nostro interessendum, personamque nominandi et in ipsam consentiendi ac etiam in regem Romanorum promovendi et sacrum imperium eligendi ac in animam nostram prestandi quodcunque juramentum quod necessarium, debitum seu consuetum fuerit, circa premissa et quodlibet premissorum alium vel alios procuratores in solidum substituendi et revocandi omniaque alia et singula faciendi, que in premissis et circa premissa etiam usque ad consumationem tractatuum nominationis, deliberationis et electionis

nis hujusmodi de presenti faciende necessaria aut utilia fuerint, seu etiam quomodolibet MDXIX.
opportuna etiamsi premissa vel eorum quodlibet mandatum exigant speciale, etiam si majora vel magis singularia fuerint supra dicta, et que nos ipsi facere possemus, si hujusmodi tractatuum deliberationis, nominationis et electionis future negotiis presentes et personaliter adessemus, gratum et ratum habere volentes et nos perpetuo habituros firmiter promittentes, quidquid per antedictos procuratores et nuncios nostros nec non substitutos ab eis seu eorum altero in premissis seu ipsorum quolibet actum, gestum seu factum fuerit aut quomodolibet ordinatum. In cujus rei testimonium firmissimumque robur presentes literas manu nostra subscripsimus sigilloque nostro obsignari fecimus. Datum Cracovie XX Maji.

LIV. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie et Bohemie.

Serme. princeps et domine. Fuit apud nos Rndus. Hieronymus Balbus, prepositus posoni- Cod. G. R.
ensis, et que sit sententia Mtis. vre. de prestando suffragio pro Sermo. dno. Carolo, rege Hispanie, in electione futura cesaris, nobis declaravit, equidem congruam nostre voluntati et sententie, et proinde libenter nos illi accommodabimus.

Quod vero illam in literis nostris non aperuimus et de Sermo. dno. rege Gallie diffusius scripsimus, fecimus, ut Mtas. vra. intelligeret: rem magni esse momenti et minime precipiti consilio indigere. Utcunque autem nobis molestum sit, quod dni. Bohemi nos ab hoc munere excludere velle videntur, tamen nolentes, ut Mtis. vestre facultas in ea re aliquo modo diminueretur, mittemus libenter oratores nostros ad eum conventum et qualiter se juxta voluntatem nostram communem pro dno. rege. Hispanie, inquantum ad suffragium ventum fuerit, gerere debebunt, eos ad plenum instruemus. Cetera ipse Rndus. dominus Balbus clarius referet.

Ceterum sub hac opportunitate suffragii nostri Sermo. dno. Carolo, regi Hispaniarum, prestandi opus esse arbitramur, cum nonnulla alia communia negotia nostra, tum vero de statu Serme. domine Anne, sororis vre. Mtis. et nepotis nostre charissime, cum dicto dno. rege Hispanie tractare et constituere. Et proinde rogamus plurimum Mtem. vram., ut, antequam Mtis. vre. oratores ad conventum electorum Francofordiensium proficiscantur, premittat illis suum privatum nuncium, qui cum commissariis dicti domini regis Hispanie et nostris oratoribus tractare et constituere ea omnia, que expediri videbuntur, possit. Rem apprime necessariam Mtas. vra. et nobis plurimum gratam faciet. Que valeat felicissime et nos diligat.

LV. Instructio summaria a Sigismundo, Rege Polonie, data Mathie Drzewiczki, Epo. Vladislaviensi, et Raphaeli de Lessno, Oratoribus ad Convèntum Francofordiensem, ad electionem novi Imperatoris.

Quod cum significatum fuisset Mti. regie per Sermum. dnum. regem Ludovicum, eum, uti Cod. G. R.
principem electorem, ad novi imperatoris electionem fuisse a Rmo. dno. cardinali mogun-

 tino

MDXIX. tino de more vocatum, et intelligeret Mtas. sua, eundem Sermum. dnum., nepotem suum, etatem legitimam non habere et se cum tutorem illius esse, tum sanguine propinquiorem, miserit Dtiones. vras. ad eum conventum Rmorum. ac Illmorum. dominorum electorum: ut que ipse Sermus. dnus. nepos suus ex se prebere deberet, neque tamen per etatem posset, et ad que ipsi dni. electores eos admittere dignarentur, quantumque esset ex facultate Mtis. regie pro commodo rei christiane prestare, hec omnia obirent et exequerentur.

Preterea utcunque non dubitet Mtas. sua, dictos dnos. electores pro virtute et prudentia sua, talem imperatorem electuros, qui pre omnibus utilior reipublice christiane videbitur, illosque potissimum rationem habituros communis salutis magis nunc quam alias fluctuantis; cum tamen Mtas. sua sit, que plus sentiat et experiatur, in quod discrimen sensim eat respublica christiana, queque immensam Infidelium et Scismaticorum molem suis humeris adeo absque ullo externo adminiculo sustinet, ut ab hoc labore et bellis assiduis ne minimum quidem tempus regni sui respirare potuit, agerent Dtiones. vre. cum eisdem dnis. electoribus rogarentque illos nomine Mtis. sue, ut in eam curam incumberent idque potissimum in electione ipsa imperatoris pre oculis haberent, quod et s. romano imperio et toti reipublice christiane proficuum sit et salutare. Ceteraque id genus cum debita modestia et sine suspicione, que inde concipi posset, rem ampliando prout occasio se offeret et prudentia Dtionum. vrarum. dictabit.

Ad oratores Ludovici, Hungarie et Bohemie regis.

Quod cum oratores Sermorum. dnorum. regum Gallie et Hispanie ad Mtem. regiam venissent pro impetrando quisque regi suo suffragio, noluerit Mtas. sua quidquam, inconsultis dnis. regni Bohemie, illis respondere, significaveritque literis suis eam rem primoribus illis dominis consilium et sententiam illorum perquirens, qui de absolvendis dictis oratoribus nihil respondentes, retulerunt se in rescribendo ad eas literas, quas Mti. sue communitas et ordines omnes regni ejusdem Bohemie ex conventu pragensi novissimo scripserant: videlicet, accepisse se jam Sermum. dnum. regem suum in plenum et perfectum dominum ac ad omnem administrationem regni sui Bohemie admisisse, vocatumque eum Sermum. dnum. regem suum et principem electorem ad conventum Francofordiensem pro novo imperatore eligendo. Cumque Serma. olim cesarea Mtas. promiserat in conventu viennensi eundem dominum regem Ludovicum in regem Romanorum creari facere, adesset nunc illi Mtas. sua, ad eandem dignitatem consequendam, suo consilio et auxilio, miserit Dtiones. vras. ad ipsum conventum electionis, ut communi studio cum ipsis dnis. oratoribus Bohemie et concordibus animis agerent et curarent ea, que in rem ipsius Sermi. dni. fore viderentur. Neque in aliquo ab illis dissentirent. Preterea ut agerent cum dnis. electoribus, quo talis imperator eligeretur, qui utilior esset rei christiane et ut saluti communi consuleretur. Nam Mtem. suam ad hoc curandum discrimina regni sui et Sermi. nepotis sui et regnorum ipsius urgent et exigunt.

Quod vero sua Mtas., inconsultis dnis. Bohemis, prius ad conventum augustensem miserat, id quod omnes ordines regni Bohemie egre tulisse intellexit, fecit propterea, quia olim ces. Mtas.

Mtas. optavit, ut secreto id ageret, putavitque, illius Mtem. cum eisdem dnis. Bohemis aliquam prius de hac re intelligentiam habuisse, ac intelligebat etiam, rem ipsam in ipso conventu augustensi terminari non potuisse. Et proinde significare hec dnis. Bohemis, non necessarium Mtem. suam existimavisse neque per angustiam temporis potuisse. MDXIX.

Rogare vero ejus Mtem. dnos. oratores ejusdem regni Bohemie, ut pro unitate lingue et conjunctione et propinquitate regis sui cum ejus Mte. concorditer agerent cum vris. Dtionibus. ea omnia, que pro bono regis sui et communis rei christiane ac etiam pro commodo et honore horum regnorum esse viderentur, quandoquidem hac potissimum causa easdem Dtiones. vestras Mtas. illuc miserit, ut in quibus opus esset opera et facultate Mtis. sue pro Sermi. dni. nepotis sui commodo et ornamento, in iis illi non deesset.

Et in summa sic agent et tractabunt omnia Dtiones. vre. cum ipsis oratoribus Bohemie, ut in nulla re contra eorum voluntatem aliquid agere velle viderentur nullamque suspicionem illis darent de propensione Mtis. sue ad partem aliquam presertim contra eorum sententiam, ne qua inde perturbatio et incommoditas ac impedimentum illi sequeretur, quem Mtas. sua imperatorem fore optaret; tamen, ubi eo ventum erit, ut suffragium prestare deberent, ita se in eo casu gerent, ut a Mte. regia ad id speciale documentum habebunt.

Ad Legatum apostolicum.

Quod pro comperto habens Mtas. regia, Sctmum. dnum. nostrum ad conventum electionis novi imperatoris esse missurum, dedit in mandatis vris. Dtionibus. ejus Sctis. legatum visere ac declarare suum studium et curam de eligendo utiliori imperatore reipublice christiane, ut illius principis, qui continue tantum Infidelium et Scismaticorum molem suis humeris sustinet, adeo, ut ab eo labore et bellis continuis non potuerit vel minimum tempus imperii et regni sui respirare. Cum vero Mtas. sua non ignoret, quo affectu et sollicitudine studeat illius Sctas. rem christianam et pacare primum, et deinde ab impendentibus nunc summis periculis vindicare, cuperet, ut is imperator eligeretur, qui cordi esset sue Scti. Et proinde commisisse Mtem. suam vris. Dtionibus., referrent ipsi dno. legato, ut, cum ad se pertineret pro Sermo. dno. nepote suo suffragium inter alios electores prestare, id libenter Mtem. suam in illum collaturam, qui esset ex sententia illius Sctis. Quam quidem papalem sententiam, si eidem dno. legato placeret, vris. Dtionibus. aperire persuaderent, quod id tuto facere posset, et offerrent in ea re omnem curam et operam ipsius Mtis. sue tanquam deditissimi illius Sctis. et qui vehementer cuperet, statum ipsius et universalis ecclesie Catholice augeri semper et in dignitate ac auctoritate debita conservari, et alia id genus palpamenta.

Agenda privatim cum Mandatariis Sermi. domini Caroli, Regis Hispanie.

Quia Mtas. regia accepto consilio cum Sermo. dno. nepote suo expedire existimat nonnulla necessaria negotia cum mandatariis dni. regis. Hispanie tractare et constituere, sed periculum

MDXIX. lum esse, ne inde daretur occasio vel dnis. Bohemis vel etiam aliquibus dnis. electoribus suspicandi, Mtem. suam rem partis illius agere, opus est, ut id Dtiones. vre. neque statim illuc venientes nec sine magna dexteritate et cautione faciant.

Sunt autem hec negotia: in primis agendum de matrimonio Serme. domine Anne, neptis Mtis. regie, ut contractui et conclusioni Vienne facte satisfieret, ne tanta princeps in hac incertudine et perplexitate, in qua est constituta, diutius teneatur.

Et hec res tractari per vras. Dtiones. debebit simul cum nunciis dni. regis Ludovici juxta mandatum ad id negotium pertinens, quod et dnis. Bohemis communicari poterit et dici illis, vel hac sola causa Dtiones. vras. illuc esse missas, quia Mtas. regia non dubitat, eam rem matrimonii Serme. domine Anne illis non displicituram, cum ad regnum Bohemie pertineat. Quam ita constituent et firmabunt modo meliori quo poterint, ut jam Sermus. dnus. rex Carolus eandem dnam. Annam reginam in uxorem ducturum se promittat. Nam Mtas. regia est edocta, illud matrimonium, quod ipsa dna. Anna regina per verba de presenti cum domino rege Ferdinando seu illius procuratore contraxit, esse nullius momenti, cum ad eam rem ipse dnus. rex Ferdinandus legitimam etatem nondum habuit.

Quod si rem ita Dtiones. vre. constituere poterunt, agendum erit, ut dnus. rex Ferdinandus duceret Illmam. dnam. Hedwigim, filiam primogenitam Mtis. regie, idque etiam, si fieri posset, firmandum: siquidem dni. mandatarii tantum facultatem habuerint, vel id se posse constituere non dubitarint, sin minus, fierent saltem tractatus et fundamenta, que meliora fieri possent jacienda.

Sunt preterea alia negotia Mtis. regie inferius descripta, que opus erit valde caute cum ipsis dominis commissariis tractare, ne, ut dictum est, suspicium daretur, Mtem. regiam et Sermum. dnum. regem Ludovicum partem unam favere. Vultque Mtas. sua, ut eadem negotia sua agerent medio nuncii dni. regis Ludovici, qui erit forte dnus. epus. Jauriensis vel dnus. Balbus, eoque internuncio commodissimum erit et sine ulla nota uti, et si etiam esset Dantiscus, non ab re per ipsum agi posset.

Primum est de re pruthenica, ut Sermus. dnus. rex Hispanie operam suam impenderet et se ad id faciendum inscriberet et obligaret, quo illam componere ex dignitate et commodo Mtis. regie posset. Et similiter bellum moscoviticum. Quod si rem ipsam pruthenicam componere non posset, obligatio fieret ad aliquod adminiculum adversus eum ordinem prestandum vel pecunia vel militibus, ut melius Dtiones. vre. constituere possunt.

Item, ut hereditatem Illme. dne. ducis barensis, quam domina regina neapolitana nuper defuncta illi reliquit, dnus. rex Hispanie non adimeret, sed testamentum ipsius regine in suo robore tam in mobilibus quam in immobilibus rebus conservaret.

Ubi autem premissa omnia Dtiones. vre. constituerint, darent operam, ut se dni. commissarii seu mandatarii Catholice Mtis. ipsi obligarent, singula dnum. regem Hispanie rata habiturum et literis suis firmaturum. Agerentque si fieri posset, quod ipsa confirmatio omnium premissorum a dicto dno. rege Hispanie afferri ad vras. Dtiones. posset, dum adhuc ibi in conventu essent, idque agerent ipsi dni. mandatarii cum eodem dno. rege Hispanie per postas celeres ante quam conventus solveretur.

Et inter agendum hoc pre se ferent et pollicebuntur illis Dtiones. vestre, quod Mtas. regia

hanc

hanc operam et significationem, quam in conventu augustense fecit pro ipso domino rege Hispanie, sit, quantum in ea erit, opera et studio suo prosequutura. MDXIX.

Quando vero ipsi dni. mandatarii postularent, ut Dtiones. vre. agerent cum aliis electoribus de re dni. regis Hispanie, non videtur Mti. regie, ut id ullo modo facere deberent, sed ut se excusarent, non licere Mti. sue se aperte pro una parte declarare, ne et dnos. Bohemos et reliquos alios offenderet majoremque difficultatem rei dni. regis Hispanie pararet, ubi Bohemi contravenirent, sed agerent ipsi dni. mandatarii cum principibus electoribus que expedirent, et Mtas. regia, ut dictum est, quantum in illa erit, opera et studio suo, quo ipsa res ad optatum finem deduceretur, adjuvabit.

Si querentur vre. Dtiones. a mandatariis dni. regis Hispanie, utrum Mtas. regia stare vellet pro rege secundum inscriptionem et obligationem Auguste factam cum quatuor principibus electoribus, quod unanimibus votis et concorditer eligere deberent illum in regem Romanorum, respondebunt Dtiones. vre., staturam constanter Mtem. suam dummodo et ipsi dni. principes electores idem facerent, quoniam Mtas. sua sola id pervincere non posset, quod tamen ad hoc studium et curam omnem impendere vellet.

Si ibidem querent ipsi quatuor principes electores aut singillatim aliquis eorum, respondebunt: Mtem. regiam commisisse vris. Dtionibus., ut in ea re se voluntatibus et sententiis illorum conformarent et qualiter ipsi procedere vellent, ita et illi sequerentur, quoniam intelligit Mtas. sua ipsos dominos electores pro sua prudentia et virtute scire qualiter in eo negotio se gerere debebunt.

Si dni. Bohemi volent esse cum Dtionibus. vestris concordes et oratori regis Ludovici ad tractandas res privatas illic misso ita visum fuerit faciendum, poterint cum ipsis vel de scientia ipsorum res privatas suprascriptas cum mandatariis seu commissariis Catholice Majestatis tractare et concludere.

Sigillum Mtis. regie ad obsignandum decretum electionis, postquam factum fuerit, brevi mittetur ad vras. Dtiones. Nam quod anno preterito datum fuit ad conventum augustensem, dnus. eps. plocensis Romam secum apportavit.

Si principes electores requirerent a vris. Dtionibus. specialem obligationem pro fienda ratificatione electionis per Sermum. regem Ludovicum, ubi is decimum et octavum annum attigerit, facere illam poterint et debent vre. Dtiones. vigore mandati sibi concessi promittentes, curaturam omnino Mtem. suam, quod hujusmodi ratificatio fiat ab ipso Sermo. rege Ludovico.

Licet quasi pro comperto habeatur, quod vre. Dtiones. admittentur ad tractatus electionis et suffragium ferendum — nam id jus Mti. regie competit etiam ex tenore Bulle auree, ut et tutori et patruo Sermi. regis Ludovici — si tamen aliter eveniret, exponent nihilominus vre. Dtiones. necessitates regni et dominiorum Mtis. regie et postulabunt a dnis. principibus electoribus: agere velint apud futurum imperatorem eique consulere, ut de propulsandis christiane religionis hostibus et subsidio ferendo iis regnis, que eorundem hostium impetum suis humeris assidue sustinent, mature ac diligenter provideat et a tam sancto et pio opere imperium suum feliciter auspicetur.

MDXIX De omnibus, que in illo conventu agentur et publice et privatim, vult Mtas. regia, ut vre. Dtiones. illam plene et assidue faciant certiorem et literas suas mittant per postas celeres, que ordinabuntur; et si quid tale se offerret, quod opus esset referre ad Mtem. suam, et ejus consilium requirerent, id quoque Dtiones. vestre illi perscribant, documentum ab illa quam primum accepture.

Articuli et capitula cum Oratoribus Francisci, Regis Gallie, conficienda.

In primis, quod inter Christianissimum dnum. Franciscum, Gallie regem etc. et Sermum. dnum. Sigismundum, regem Polonie etc. ac successores, regna, dominia et subditos ipsorum communes quoscunque fieri debet perpetua et insolubilis conjunctio, fedus, amicitia et societas et coli ab illis mutuo amore et fidei integritate, nec quibusvis illegitimis causis infringi aut violari.

Quod unus alterum pro virili sua consilio, auxilio, assistentia et omni favore ac in omnibus eventibus juvare debet.

Quod alter alteri, ubi honori et accessioni sue commodare se posse intelliget, omnem operam, studium et facultatem suam, quantum poterit, prestare debet.

Quod Christianissimus dnus. rex Gallie adesse Sermo. dno. regi Polonie debebit contra magistrum Prussie, si ille aliquid contra antiqua federa moliri vellet et ea observare contemneret, dabitque omnem operam et studium illius Mtas. Christianissima apud sedem apostolicam, ut pax et concordia dudum inter regnum Polonie et ipsum ordinem facta confirmaretur.

Quod ubi se occasio offeret, qua illius Mtas. posset Sermum. regem Polonie contra ducem Moscovie juvare aut pacem medio oratorum suorum cum dignitate ejusdem Sermi. dni. regis Polonie conficere, in eo operam et studium suum intendere debebit.

Quod ubi illius Mtas. Christianissima imperator crearetur, curabit quam celerius fieri poterit et pro virili sua, Sermum. dnum. regem Ludovicum in regem Romanorum eligi.

Quod eadem Christianissima Mtas. procurare et conciliare debebit Sermo. dno. regi Polonie generos ejus Mte. dignos et sanguini regio congruos.

LVI. Sigismundus, Rex Polonie, Matheo, Cardinali Gurcensi, Casimiro, M. Brandeb. Episcopo Tridentino, Maximiliano de Bergkcz Mandatariis Caroli, Hisp. Regis.

Cod. G. R Rmi. Illmi. et Mgci. domini, amici charissimi. Allate sunt huc litere vrarum. Dtionum. ad mgcum. Andream de Burgo, Sermi. dni. regis Hispanie oratorem, quas eo apud nos nondum existente ipsi, ut inscriptum erat, aperuimus et singula, que in illis continebantur, intelleximus.

intelleximus. Quod igitur eundem oratorem apud nos agere voluerunt, sciant, nos ipsos MDXIX.
dudum fecisse. Misimus enim insignes oratores nostros ad conventum electionis cum instructione, sigillo et mandato sufficienti. In majorem cautelam mittimus illis aliud juxta tenorem exempli per Dtiones. vestras missi scriptum et instructionem ampliorem super his omnibus, que in rem esse Sermi. dni. regis Hispanie ex literis earundem Dtionum. vrarum. cognovimus, ipsis oratoribus nostris dedimus, ac deinceps alia omnia, que illius Mti. expedire intelligemus, libenter et ex integro affectu faciemus. Feliciter valeant vre. Dtiones. et sint incolumes. Datum etc.

LVII. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Cardinali Moguntino.

Rme. in Christo pater et dne., amice noster charissime ac honorandissime. Mittimus istuc Cod. G. R.
presentes oratores et consiliarios nostros: Rndum. dnum. Mathiam, epum. vladislaviensem et Mgcum. Raphaelem de Leschno, castellanum landensem et cap. slochoviensem, et commisimus illis nostro nomine singillatim cum Rma. Dtione. vra. conferre, quam plurimum rogamus, ut et fidem illis adhibere et quod utile ac salutare sit rei christiane, id pro virtute et prudentia sua curare dignetur. Valeatque felicissime et nos diligat. Datum.

LVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Mathie de Drzevicza, Epo. Vladislaviensi, Raphaeli de Lessno, Cap. Slochoviensi. Oratoribus.

Rnde. in Christo et mgce. sincere nobis dilecti. Expectavimus usque huc resolutionem ex Cod. G. R.
Vngaria super negotio principali, h. e. de ferendo suffragio in electione ista imperatoris, et propterea non potuimus Sinceritatibus vestris hanc instructionem nostram mittere.

Scripsit vero nobis Sermus. dnus. rex Ludovicus, quod ad evitandum dnorum. Bohemorum dissensionem et turbas, quas excitare possent, commisit oratori suo Illmo. dno. marchioni Georgio, ut votum seu suffragium, quod nomine suo prestare deberet, deferret ipsis dnis. Bohemis, et ut nos idem faceremus nobis suadet. — Volumus nos tamen, ut Sinceritates vre. ita se in hac re gerant, ut quidquid prestari deberet et posset absque vris. Sinceritatibus nomine ipsius Sermi. dni. regis Ludovici, permittant dnos. Bohemos totum agere, neque ad aliquod sponte sua se ingerant. Ubi vero auctoritate nostra requireretur et agendum esset aliquid nostro nomine, Sintes. vre. id omne juxta instructionem hanc nostram obeant cum debita tamen moderatione et equanimitate, ita ut animos dnorum. Bohemorum, quantum fieri possit, non offendant neque ab illis dissentiant.

Ceterum, quia ipse Sermus. dnus. rex Ludovicus aliter de agendis rebus nostris privatis cum commissariis Sermi. dni. regis Hispanie constituit, quam conventum erat inter nos et ipsum

MDXIX. ipsum oratorem Balbum, non misso enim ejus rei gratia nuncio particulari, commissum est totum negotium Illmo. dno. marchioni Georgio et Andree Burgos agi. Qui quod ad res nostras attinet, presertim pruthenicas, haud dubie nihil sinceriter et ex commodo nostro agent. Et propterea committimus rem ipsam pruthenicam cure et industrie vrarum. Sinceritatum, quo ipse eam tractent et agant, ut consultius ipsis videbitur. Si aliter constituere non possent cum dictis commissariis Sermi. dni. regis Hispanie de componenda et transigenda per illum cum dignitate nostra eadem re pruthenica, hoc saltem efficerent, ut illius Mtas. ita se gereret in eo negotio, quemadmodum erat inter nos et defunctam cesaream Mtem. conventum: h. e. ut ordini adversus nos neque adhereret neque ullum favorem et patrocinium prestaret. Hoc autem negotium et alia omnia sita sunt in bona consideratione et prudentia vrarum. Sintum., ut quas tempus et occasio istic clarius de omnibus, quam nos hic existentes, edocere potuerunt. Quibus sigillum nostrum ad ea, que opus fuerint factu, ad hunc actum denuo mittimus. Valeantque feliciter vre. Sinceritates. Datum Cracovie.

LIX. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V. Regi.

Ex cod. mss. bibl. Ossol. *Serme princeps. Accepimus literas vre. Mtis., quibus nos in primis certiores facit de honesta mentione nostri facta pridem Barchinione in capitulo generali ordinis aurei velleris deque suo aliorumque militum et confratrum suorum desiderio, nos in eundem ordinem asciscendi, requiritque super ea re voluntatem et responsum nostrum, deinde nobis declarat Mtas. vra., qualiter causam Illme. dne. ducis Barii et matris nostre charissime super bonis in regno neapolitano illi testamentaliter relictis, nonnullis consiliariis suis audiendam et sibi deinde referendam commiserit, quodque in ea re diffinienda velit et a justitia ac equitate non discedere et rationem nostre commendationis habere, postremo rem provectionis sue non pridem in conventu Augustense ceptam nobis commendat, postulatque, ut eam ita cum apud Sermum. dnum. nepotem nostrum, tum etiam alibi, ubi opus fuerit, dirigere curemus, ut pro voto Mtis vre. feliciter confici possit. Quod igitur ad ordinem aurei velleris attinet: nos plurimas agimus gratias Mti. vre., quod ea conjunctione et ornamento nos dignatur quodque affectu in nos ducitur, ut, que intelligit ad conjunctionem et amorem nostrum mutuum conducere, ea nobis ultro exhibeat et offerat. Volumus hanc propensionem et benivolentiam in nos Mtis. vre. omni studio et amore fraterno illi semper referre, verum quia nos latet, quod ordo ipse contineat et ad que obliget eos, qui eum profitentur, rogamus Mtem. vram.: describi nobis faciat ejusdem ordinis constitutiones et capitula, ut scire possimus, quid suscipere et ad que obeunda nos obligare deberemus. Quibus acceptis Mti. vre. voluntatem nostram cum summa etiam gratitudine significabimus.*

Causam vero Illme. domine ducis Barii putavimus quidem pro nostra mutua benivolentia facili negotio transigi per Mtem. vram. debuisse, cum tamen ea aliquibus consiliariis suis cognoscendam de jure commiserit: roganus Mtem. vram., ut in illa diffinienda non solum id prestare dignetur quod

quod unusquisque justus princeps etiam infimo suo subdito debet, sed quod etiam amor et conjunctio et affinitas nostra requirit, quandoquidem nos, ut jam demum ultime particule literarum Mtis. vre. respondeamus, honorem et accessionem illius aeque cordi habemus atque nostram propriam, pro qua et egimus omnia diligenter cum Sermo. dno. nepote nostro, que opportuna fuerunt, et oratores nostros insignes ad conventum frankfordiensem proximum misimus, ut curarent et agerent omnia, que ad decus et provectionem Mtis. vre. pertinere videbuntur, prout id latius ex commissariis suis Mtas. vra. postea intelligere poterit. Et proinde rogamus illam plurimum, ut et grata habeat hec officia nostra et mutuum amorem conjunctionemque et affinitatem nostram sic observare et complecti dignetur, ut ea est per Sermum fel. mem. avum Mtis. vre. et fratrem nostrum desideratissimum optimis fundamentis jacta et constituta. Nam quod ad nos attinet, equidem nihil unquam Mti. vre. in nobis deerit, quod pro honore et votis ipsius efficere et prestare studio aut facultate nostra poterimus. Cujus benivolentie nos ex corde commendamus et cupimus, ut sit diutissime felix et incolumis. MDXIX.

LX. Sigismundus, Rex Polonie, Mathie de Drzewicza, Epo. Wladislaviensi, Raphaeli Lessczinski, Cast. Landensi, Oratoribus.

Rme. in Christo et mgce. sincere nobis dilecti. Cum superioribus diebus essent apud nos oratores Sermorum. Gallie et Hispanie regum et pari conatu, dispari vero studio ac voluntate, pro futuris imperatoriis comitiis suffragium nostrum, quod nobis tanquam tutori et patruo Sermi. dni. Ludovici, Hungarie et Bohemie etc. regis, competit, suo quisque regi efflagitaret, cum neutri illorum quidquam constituere voluimus, nisi exploratis prius animis consiliariorum Hungarie et Bohemie regnorum, presertim cum ipsorum regis nomine nos acturi simus, et cum ne rex quidem ipse, etiam si sibi per etatem agere liceret, quidquam illis inconsultis acturus foret. Quorum quidem sententias varias et plurimum inter se dissidentes cognovimus, vendicantibus sibi jus omne suffragii pro rege suo dnis. Bohemis, atque inde quoscunque alios ac nos denique excludentibns, dnis. vero Hungaris aliter sentientibus, utpote qui ejus rei jus omne nobis tanquam tutori et patruo equissime quidem et merito deferunt, suadentque, ut suffragio et voto nostro Sermo. Carolo Hispaniarum regi adsimus. Cod. G. R.

Nos vero etiam vicinitatem regnorum Sermi. dni. nepotis et ejusdem regis Caroli ac communium regnorum nostrorum attendimus, habemusque rationem debitam affinitatis, que nobis ac dicto Sermo. dno. nepoti nostro cum eodem ipso rege arctissima intercedit, atque etiam cavemus, ne Serme. domine Anne, neptis nostre, designata et constituta jam conditio interturbetur, simulque prospicimus, ne Illme. domine nostre socrui dominium et barensis in regno neapolitano status in aliquas difficultates incidat, maxime vero nos permovet,

MDXIX. quod vivente adhuc cesare Maximiliano anno superiore in conventu augustense voluntatem nostram pro rege ipso Carolo declaravimus et firma obligatione promisimus.

Et proinde his summis rationibus permoti perstamus quidem in proposito studemusque mirifice ejusdem regis Caroli exaltationi. Quia tamen nobis adhuc plane incognitum est, utram in partem plura electorum suffragia inclinabunt, et Christianissimi dni. regis Gallie oratorum apud nos petitio nihil, nisi moderatum atque honestum continebat, noluimus eos nisi letos et cum bona spe a nobis dimittere.

Hactenus autem fuimus in hac opinione Sermo. dno. Bohemie regi et pro eo nobis nullum in imperatoris electione jus competere, nisi in pari electorum discordia, et tunc demum gratificationi et voto nostro locum esse, quando videlicet tres ex eis ab aliis tribus dissentirent. Hoc idem gallici oratores nobiscum arbitrabantur, qui ea duntaxat conditione suffragium et votum nostrum regi suo deposcebant, si is prius trium electorum suffragia haberet, ut nos quartum adderemus, in quo spem illis bonam dedimus, certum habentes ad hoc rem minime venturam.

Quia vero postea ejus constitutionis, quam Bullam auream vocant, prescriptum ac formulam diligentius intuentes, ex ipsius dispositione tenoreque comperimus, in ipso jam scrutinio hanc formulam et ordinem servari, ut videlicet Rmus. dnus. Moguntinus sententias roget primum a dno. Treveriense, secundo a domino Coloniense, tandem vero tertio a dno. rege Bohemie votum et suffragium requirat, liquido ea ratione apparet, tertium nobis respectu omnium electorum, primum vero inter seculares electores suffragium competere.

Si igitur hec erit eligendi ratio, tunc vestris Sinceritatibus singulari dexteritate et cautela summopere cavendum erit, ne dubia adhuc re contrario voto eum nos offendere contingat, qui plurium electorum suffragiis, aut quoquo alio modo futurus sit imperator. Scripsit enim nobis Sctmus. dnus. noster pro rege Gallie et itidem aliis electoribus, et cum pro eo tam manifeste se declarat, non dubium est, quin illius Sctas. et tota Italia omnia prius experietur, quam ut alius provehi deberet. Et proinde quam maxima industria nunc utendum erit vris. Sinceritatibus, ut super omnia priusquam se aperiant, considerare possint, qualiter sit res processura. Videturque nobis et volumus, ut hanc eandem cautelam in ferendo voto observent, ut videlicet primo suffragio nominent Sermum. dnum. regem Ludovicum, nepotem nostrum, idque ad cognoscendas et clarius eliciendas ceterorum voluntates. Non enim dubium est, quin primo comitiorum die nil concludetur. Que nostra sententia, si patienter audita fuerit, constanter in ea persistite, qua neutrum competitorum offensum iri arbitramur et bohemice nationi mirifice complacebimus. Si vero vobis tunc statim et continuo objiceretur, vos nostro, ac verius Sermi. dni. regis Ludovici vice et nomine eligere atque ea propter hunc nominare non posse, quod nullus se ipsum quovis modo eligere possit, atque adeo pertinaciter instaretur, ut vos ea sententia decedere et alium nominare oporteret, tunc per vos nominari volumus Sermum. dnum. Ferdinandum, ducem Burgundie, regis Caroli germanum; sic enim fieri posse credimus, ut et regi Carolo satisfaciamus et non tedamus in re adhuc dubia Galliarum regem, alio cuicunque quam ipsius emulo et competitori suffragantes.

Quod si tandem ad extremum jam rem eo devenire oporteret, ut alterum ex his competitoribus

toribus videlicet Gallie aut Hispaniarum regema perte et jacta, quod ajunt, alea, nominare oporteret, tunc illi adherendum erit, cujus plura erunt suffragia. In omni autem alia differentia votorum, h. e., si pro una parte tria erunt electorum suffragia et pro altera similiter tria, aut si forte principes electores in plures partes se dividerent, producendum erit mandatum seu suffragium regis Ludovici, quod erit manu propria in favorem regis Caroli scriptum et obsignatum, ad idque auctoritas seu consensus noster adjungendus. MDXIX.

Quod quidem mandatum seu suffragium vobis istic consignabit regis Ludovici orator, qui eam potissimum ob causam et ob privatos quosdam tractatus vobis jam non incognitas eo mittetur. Nobis siquidem Hieronymus Balbus, oratorem apud nos agens, perinde ac scribimus futurum pollicitus est, quod ipsum ipse quoque Sermus. nepos noster dnus. rex Ludovicus literis suis nudius tertius nobis redditis confirmavit. Si tamen sinistro, quod absit, eventu dictum regis Ludovici suffragium nobis firmiter promissum vobis afferri non contingeret et vos utique, omni tergiversatione semota ac opera facie, dicere sententiam et suffragium nostro nomine oporteret, accedatis ad ultimum aperte ac libere ad eos, qui honori regis Caroli favebunt, sibique in Dei nomine suffragemini.

Volumus autem hec consilia nostra vre. Sintes. penitus et quam maximo fieri potest silentio celent et nulli prorsus mortalium pandant ita ut decet fideles subditos et consiliarios quin etiam non curatores istic partis unius, sed oratores nostros agant cum nulla significatione voluntatis nostre, priusquam ad rem deveniatur.

Reliqua non possumus tam exacte vris. Sinceritatibus describere, quam tempus, locus et res ipsa eos melius docere poterit, quod earum prudentie et virtuti committimus, ut hoc tanquam scopum pre oculis habeant, quod volumus et cupimus Sermo. dno. Carolo regi opitulari: sed nullo etiam modo Sermum. dnum. regem Gallie offendere vellemus. Et proinde res ita librande erunt, ut favorem unius querentes, nobis ab altero aliquas difficultates non pariamus, si quo modo aut consilio istud caveri poterit, quod istic vre. Sintes. clarius considerare poterint.

Non censet Sermus. dnus. rex Ludovicus et ejus consiliarii regni Hungarie, committendum esse ab utroque nostrum, ut, ubi res in partem Christianissimi dni. regis Gallie inclinare deberet, nos illum quoquo modo offendamus, sed ut in eo eventu ipsi adesse videremur, quo ejus ope ab undique circa regna nostra ingruentibus fidei hostibus aliquando eripi et vindicari possemus. Itaque volumus, ut, cum Sinceritates vre. viderent, rem et suffragia principum electorum in illum vergere debere, ipse etiam ad eum suffragio suo accedant, neque contra ventos navigent. Et quando nos oratores illius Mtis. hic benivole excepimus et a nobis cum bona spe et existimatione dimisimus, volumus, ut Sinceritates vre. istic oratoribus ejus Mtis., si quid cum illis agendum veniret, se humaniter exhibeant favoremque ac operam nostram, quantum ex nobis fieri possit, pro eorum rege declarent, et quod illius Mtis. gratia commiseramus vris. Sinceritatibus agere cum dnis. electoribus, quo talem imperatorem, qui ad ferendum tantum onus et tutandam rem Christianam aptior et expeditior esse videretur et alia id genus verba.

Sctmo. dno. nostro, qui ut diximus voluntatem et desiderium suum pro rege Gallie nominatim et aperte nobis declaravit, humaniter et apposite respondimus ac firmam spem proposuimus

MDXIX. posuimus suffragium nostrum ejus Sctis. studio pro nostra in eam observantia minime defuturum. Quod Sinceritatibus vris. non incognitum esse voluimus et brevium Sctis. sue exempla presentibus annexa illis transmittimus, ut illius Sctis. desiderio et nostra item illi oblatione clarius perpensa cum legato istic apostolico ita sermonem instituant et votum nostrum cum Sctis. sue voluntate maxime convenire atque ex ea pendere pre se ferant, re ipsa tamen ab instructione et prescripto nostro in nihilo recedant. Que bene valeant.

XXVIII Junii. Carolus V., rex Hispaniarum,
imperator Romanorum electus est.

LXI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius. Oratoribus Regis Galliarum.

Cod. R. Spectabiles et mgci. dni. amici honorandi. Post discessum vestrarum Dtionum. expediverat Mtas. dni. mei ad electionem imperialem oratores suos, alterum quidem non ex sententia illarum, sed totum id, quod erat necessarium et constitutum, alteri soli, qui suffragium ferre debuit, singillatim commissum fuit. Qui illuc venientes, omnia hominum studia aliter se habere, cognoverunt, quam putavimus, quin etiam coacti sunt nostri talem concordiam cum Bohemis facere, ut suffragio dando cederent, ea fortasse causa, quod suboluerit aliquibus de his, que Dtionibus. vris. ad summum fuerint promissa, unde facile judicare poterunt, cujus culpa factum est, quod res ex sententia nostra non successerunt, credantque mihi vre. Dtiones., quod id nuncium fuit cum Mti. regie, tum omnibus nobis passim molestum. Nemo enim nostrum est, qui nesciat, quali imperatore res christiana nunc indigeat; et proinde nulla hic facta est non solum publica, sed ne in vultibus quidem hominum letitie significatio.

Scribo ego de his rebus aliquid etiam de mente domini mei Sermo. et Christianissimo dno. regi vro. immo de meo, quibus etiam literis gratias ago Mti. sue Serme. de munere mihi et nepoti meo ex Venetiis per vras. Dtiones. misso. Eas Mti. sue dignentur offerre modo quo possunt secretiori, quod earum virtuti et prudentie committo.

Ago etiam pro me et nepote meo gratias immortales, et simul de eodem munere ex Venetiis misso et benivolentia et fide, quam erga nos exhibuerunt, dabimus operam, ut aliquando id eis per quamcunque occasionem referre et demereri possimus, idque illis declaremus, quod tantam humanitatem et beneficentiam in homines non immemores neque ingratos collocaverunt. Commendo me plurimum vris. Dtionibus. et rogo illas enixe mihi aliquando respondere velint et Venetias ad oratorem suum literas mittere; nam illinc facile ad me pervenire poterint. Datum.

LXII. SIGISM.

LXII. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V., Imperatori electo.

Serme. atque excellentissime princeps et dne. frater et consanguinee noster charissime ac honorande. Cum primum nunciatum nobis esset, vram. Mtem. Romanorum regem declaratam, e vestigio id, quod debiti et desiderii nostri in ea re fuit, cum summa letitia affecti sumus, tum etiam dno. Deo gratias egimus, quod vota et studia nostra, que vivente adhuc cesarea Mte. conceperamus, illius divina benignitas tam feliciter et tranquille ad optatum finem perduxerit. Gratulamur igitur in presens majori animo et affectu, quam explicare possumus vre. Mti. optamusque, ut hec amplissima dignitatis ejus accessio sit illi decori et ornamento perpetuo: rei vero christiane saluti, firmitati et continuo incremento. Non dubitamus vero, compertum jam satis esse, quo studio, quave cura nos cum Sermo dno. Vngarie et Bohemie rege, nepote nostro charissimo, egimus et adnixi sumus, ut hoc faustissimum negotium vre. Mti. sub manus cederet, utque in conventu Francofordiense oratores utriusque nostrum ad id feliciter conficiendum nihil fecerint reliquum. Et proinde rogamus illam plurimum, ut hanc operam nostram gratam habere et res ac negotia nostra regnorumque nostrorum sic complecti dignetur, uti mutua nostra necessitudo et fides ac integritas nostra erga illam postulat. Et habemus quidem hanc spem firmam et existimationem de Mte. vra.; sed mirari satis tamen non possumus, que causa sit, quod hactenus negotium Illme. dne. Isabelle, ducis mediolanensis et matris nostre charissime, quod ad bona testamento relicta pertinet, in suspenso teneat, et preces ac commendationem nostram minoris pendere videtur, quam amor et propensio nostra erga illam requirit. Rogamus igitur plurimum eandem Mtem. vram.: dignetur tandem id ipsum negotium pro voto et postulatione nostra determinare nobisque in ea re gratificari, quam eque cordi habemus atque nostram propriam, et erimus nos cum dicta Illma. dna. matre nostra tam ex usu semper et honestate vestre Mti. quam quivis alter, cui bona ipsa conferret, ac curabimus etiam omni studio et facultate nostra, id vicissim Mti. vre. referre. Cujus fraterno amori nos commendamus et quam sanam, sospitem et semper felicem ex animo esse cupimus. Datum Cracovie die XVIII Julii. MDXIX. Cod. G. R.

LXIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Langihaco.

Mgce. dne. amice charissime ac honorande. Scripsi jam pridem literas tue Dtioni. de his, que acta sunt in conventu electionis imperii, et quam longe aliter illic apparuit, quam promissum Sermo. dno. regi vestro dicebatis; cum autem mihi nihil vra. Dtio. respondit, conjicio, illam alienato a me esse animo et forte illis magis credere, qui ad velandam perfidiam suam in nos culpam conjiciunt cum magna injuria Sermi. dni. mei et nostra. Nam ejus Mtas. sincero animo prestitit omnia, que fuit pollicita, sed nec orator vester, nec summi Cod. G. R.

MDXIX. pontificis admissus erat, cum quibus communicare rem nostri potuissent, ita caventibus de industria electoribus, ex quibus nullus vel minimo indicio se pro Sermo. rege vro. fuisse ostendit, prout hec et alia Dtio. vra. ex hoc dno. Antonio clarius cognoscet, quem Mtas. regia mittit istuc ad Sermum. regem vrum. cum commissis ad firmam amicitiam pertinentibus, quam colere et servare cum eo vellet. Itaque Dtio. vestra agat et curet benivolentiam utriusque Mtis. inter se procurare: fieri enim poterit aliquando, quod isti Mti. christianissime Mtis. hujus dni. mei amicitia ex usu fiet non vulgari. Felicissime valeat vestra Dtio. et me diligat.

LXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Ladislao de Sternberg, Cancellario regni Bohemie.

Cod. G. R. Spectabilis et magnifice nobis sincere dilecte. — Accepimus literas tue Sinceritatis, quibus nobis scribit, se intellexisse de nostro alienato a se animo, et que Proczek illi referre debuit, petitque a nobis, ut illam de hac re certiorem faciamus, subinferens multa in excusationem sui et de veteri sua erga nos propensione et observantia. Non ignorat Sinceritas tua, quo affectu et favore nos illam sumus semper complexi et quam solliciti fuimus semper, ubi opus fuit, de communi bono et rebus ad regnum Bohemie pertinentibus, non secus, quam de regno nostro proprio, prout id ex oratoribus nostris, quos istuc frequenter misimus, clare quisque intelligere potuit; verum edocti sumus ab oratoribus nostris, qui in conventu cesaree electionis Francfordie fuerunt, quam ipsa Sinctas. tua longe aliter se gessit erga illos, quam fuerit nostra de illa existimatio, quod et prius literis suis indicaverat, quas nobis ac illis rescribebat, cum illi et aliis dominis Bohemis significaveramus, quid a nobis Sermi. dni. Hispanie et Francie reges optabant; acrius enim nobis quodammodo quam ceteri scripserat: ne nos ad electionis munus intromitteremus; scripserat et ante mgco. Christophoro de Schidlowyecz, palat. cracoviensi et regni nostri cancellario, de sublata nobis auctoritate tutele et delato Sermo. dno. Ludovico regi mero dominio in regno ejus Bohemie. Cum tamen nos non ulla nostra causa, sed ad postulationem ejusdem Sermi. dni. regis Ludovici, et ut debito nostro satisfecissemus, miseramus ad eandem electionem oratores nostros, magnis etiam impensis non parcendo, ne quid illius Mti. et regno Bohemie facultatis in hac re detraheretur, commiseramusque illis, ne quid agerent absque consensu tue Sinceritatis et aliorum collegarum suorum, neque ad aliquid se ingererent, nisi ad quod opus illis esset cum scientia et consilio unanimi vro., omniaque ad bonum et honestum Sermi. dni. regis Ludovi et regni Bohemie agerent, quod abunde ex legatione illorum Sinctas. tua cognoscere potuit, et propterea fuit nobis nonnihil grave et molestum, quod ipsi oratores nostri fuerunt illic aliter accepti operaque nostra estimata, quam putavimus. Nihil tamen propterea mutati sumus in affectu et animo erga Sinctem. tuam, sed ut consuevimus illam integro favore complectimur et complecti volumus semper, ipsa duntaxat se vicissim erga nos ita gerat, ut existimatio et fides nostra de illa postulat. Valeatque feliciter. Datum.

LXV. Vota Electorum in eligendo Cesare Carolo quinto.

Ubi ventum est ad deliberationem, Moguntinus, communicato prius consilio separatim cum Saxonie duce Frederico, cujus erat autoritas permagna, rem inchoat, et de tribus omnino sententiis ait esse questionem: an Gallie rex Franciscus, an Hispanorum rex Carolus, an vero Germanus quispiam sit eligendus. Ad Gallum quod attinet, legibus, inquit, nostris et jurejurando nos, arbitror, impediri, quibus cautum est, ne decus hoc imperii transferatur ad ceteros; quin autem peregrinus ille sit princeps, nulli dubium esse puto. Deinde, etiamsi natio non impediret, tamen e republica non est, quia fines ac ditionem suam Gallus amplificare volet et Carolo, quem odit, bellum faciet: imo, jam illud denunciavit. — Itaque fiet, ut Germania maximis motibus implicetur. Nos autem providere decet, ne civile bellum excitemus. Ad Caroli ditionem pertinet Austria, si Gallus hanc oppugnet, ut omnino faciet: an eam prostituemus? Itane de nobis et imperio meritus est Maximilianus cesar? Illis autem regionibus oppressis, an incolumem diu nobis libertatem nostram fore putabitis? Mediolanensem agrum suis finibus nuper adjecit, idem in Germania conabitur. Magnificis autem illorum promissis minime nos oportet commoveri, nam cupiditas et ambitio plerumque rapit homines transversos, ut ab officio discedant. Multi fuerunt olim in Gallia viri principes, nunc autem in angustum redactus est eorum numerus, nam rex prope solus omnia tenet; animi fortitudinem ei tribuunt, sed ad monarchiam illa spectat, nobis autem imprimis aristocratia est retinenda. MDXIX. Cod R.

De bello Turcis inferendo grandia pollicentur. Optabile quidem istud esset, ac imprimis omnium maxime salutare; neque scio quanti sit momenti Germanie cum Galliis et Italia facta conjunctio; verum ille potentiam atque vires omnium primo volet in Caroli provincias experiri, tentabit Belgium, aggredietur Neapolim eamque velut sibi debitam et hereditariam recuperare volet. Quid? an ut ista faciat nos illum armabimus? Nec est, quod de rebus incertis ac dubiis vaticinari me quis dicat; jam enim exercitum ille conscribit. Quoniam igitur et lege et jurejurando et charitate communis patrie impedimur, equidem profiteor et censeo, minime illum esse creandum. Nunc ad reliquas partes veniam. Ut ne Carolus eligatur, moveri nonnullos e vobis puto, quod a nostris finibus remota sit Hispania quodque per illius absentiam non commode sit habitura Germania, vel propter bellum turcicum vel civiles etiam dissensiones. Ego sane non solum ista fateor, sed dum attentius cogito, moveor etiam et prope inhorresco; nam et hoc mihi venit in mentem, si quando cesar iratus veniat in Germaniam et Hispanos adducat, libertati nostre magnum fore periculum. Cogito etiam, posse fieri, ut imperii dignitatem hanc vix egre nobis aliquando restituant Hispani, et si virtute viribusque suis Mediolanum recuperent, futurum, ut sibi retineant. Itaque prope satius esse videtur, nostre gentis aliquem creari, qui sit idoneus exemplo majorum, qui sepe, preteritis externis, contenti fuerunt indigenis. Non equidem istud negare velim, sed alius tunc erat temporum status et etas multo felicior. Nunc vero, si quis erit cesar infirmior an qui sunt ditionis Caroli, Belgas et Austriacos, dicto fore putatis

MDXIX. tatis audientes? Quod si Gallus etiam arma sumet in Carolum, ut omnino facturus est, vel in Belgio, vel Italia, nunc otiosus erit spectator, nunc patietur novus hic noster cesar, ut imperii bonam partem extere nationes diripiant? — Imo que nunc sunt tempora: credibile est, fore, ut, imperatore suo contempto, Germanie principes alii se conjungant Austriacis, alii Gallis. Friderico tertio imperatore, Carolus, Burgundie dux, per Germaniam, Philippus autem Maria, dux Mediolani, per Italiam bellum circumtulit, impune quidem, sed nobis id certe dedecori fuit, illud etiam turpius, in Austria circumsessum cesarem, imo finibus tunc fuisse pulsum ab Vngaris. Et tamen eo tempore cesari fuerunt conjuncti Bohemi, meus etiam avus Albertus Brandeburgensis et Saxonie dux ejusdem nominis. Id si tum accidit, quid hodie sit expectandum, videtis, quum stipendiis erunt alii principes aliis addicti. Mitto quam multe possint incidere cause, quam ob rem obedientiam prestare principes atque civitates recusent. Nunc etiam de religione videntur imminere gravissimi motus. Etenim de indulgentiis, de potestate pontificis, de legibus ecclesiasticis nate sunt disputationes, que nunc quidem sanabiles adhuc videntur, sed paulo post magnam secum trahent ruinam et ecclesie mutationem, nam et plerique subscribunt et fortissime gentes causam hanc agunt, Saxones et Helvetii, neque sanari malum istud poterit, nisi per concilium: imbecillior autem cesar, quomodo concilium vel coget vel etiam defendet, maxime si ceteri reges adversentur? Superest quoque turcicum bellum, quod nobis plane non modo defendendum, sed inferendum est etiam, ut amissa recuperemus et Greciam imprimis libertati restituamus. Hoc autem ut fiat, opus est multarum nationum copiis, eas vero cesar, si potentie parum et autoritatis habeat, quomodo comparabit? His ergo de causis prepotentem aliquem creandum, et Carolum Austriacum ceteris Germanie principibus anteferendum esse duco, et si que sunt incommoda, que deterrere possint, ea longe puto esse illis minora, que sunt nascitura, si quidem ad alium quempiam rei summa deferatur; nam et origine est Germanus et multas obtinet provincias imperii beneficio, neque communem patriam aliqua volet opprimi servitute et de non transferendo imperio vel imminuendo jure ac libertate nostra fidem nobis dabit per jusjurandum.

Magne sunt nimirum, quas dixi, cause, verum tamen ne ille me permoverent, nisi de ipsius indole compertum esset, nam et religionem et justitiam et pudicitiam amat et sevitiam omnem odit, et ingenio certe valet. He scilicet virtutes illum officii perpetuo commonefacient, ut rempublicam curet. Qui familiariter norunt, valde predicant, et si patrem ejus Philippum, si avum Maximilianum consideremus, dubitare non possumus. Etate quidem est non magna, sed tamen idonea nunc et matura rebus gerendis, utetur etiam avi sui consiliariis et Germanie principibus aliquot delectis.

Dixi quidem antea, permagnum in eo fore incommodum, si quidem a Germania diutius illum abesse contingat, sed ea de re certis legibus cum ipso transigetur, deinde quoniam et ipse peramplas habet in Germania regiones, fieri non potest, quin eas aliquando revisat. Turca pellendus erit a Pannoniis, ab Italia vero Gallus, constituenda erit et emendanda ecclesia, multis etiam aliis auxilia ferenda, que dum cogito, minus eo moveor, quod propter ejus absentiam metuendum esse videtur; nam et animi insitus vigor et patrie charitas et ipsa rerum necessitas eum, ut subinde ad nos redeat, exuscitabunt.

Ubi

Ubi dicendi finem Moguntinus fecit, hortatus, ut singuli dicerent. College paucis collocuti MDXIX.
Treviriensem monent, ut succedat, nam hujus erat celebre nomen propter singularem industriam usumque rerum; prefatus igitur nonnulla de quodam vate, qui Maximilianum dixerat ultimum fore cesarem germanum, nunc, inquit, eo mihi res propemodum spectare videtur, quandoquidem Moguntinus, qui sane prudenter multa dixit, omnino suadet, ut ad externum deferatur imperii summa; sed valde miror: cur Gallo preferat Hispanum? Certe dolet mihi Germanie conditio; quodsi majorum insisteremus vestigiis, nihil opus erat alieno presidio, nunc autem, quando peregrinos evocamus, quid aliud quam servitutem nobis comparamus ipsi? Verum, hac obmissa querela, quem Moguntinus, eundem et ego sequar ordinem deque lege et jurejurando primum dicam. Legis autem illius hanc opinor esse causam atque fundamentum, ne, si quis eligeretur externus et qui domicilium non habeat in Germania fixum, imperii decus hoc sensim ad alienigenas transferretur. Si quidem hec est mens atque sensus ejus legis, non magis eligi potest Hispanus quam Gallus. Jam vero si Carolus, quoniam habet ditionis imperii provincias, ideo creari potest, necesse est, ut idem in Francisco valeat, qui et Insubriam et Arelatense regnum obtinet, que sunt reipublice nostre partes. Duobus ergo ex propositis, videamus, utrum sit prestabilius. Sane, quo tempore Gallia fuit conjuncta Germanie, quod fuit Francorum etate, florentissimum extitit hoc nostrum imperium, et quidem ejus temporis recordatio non mediocriter me delectat, quoties in historiarum lectionem et res anteactas incido. Nunc autem plane consimilis est oblata nobis occasio, que certe minime pretermittenda videtur. Sentiunt idem extere quoque gentes, pontifex romanus, Veneti, principes omnes atque civitates Italie. Gallica nimirum gens et origine nobis est conjuncta et iisdem prope legibus utitur atque moribus et amorem omnem atque benivolentiam nostris hominibus prestat, deinde propter vicinitatem valde nobis est ac Italis opportuna. Si quis orietur tumultus, erunt illico parati exercitus, ad quos alendos Gallia subministrabit pecuniam, et si vel Pannoniam, vel Italiam invadet Turca, sicut plane facturum arbitror, pacata nunc videlicet Asia, nonne erit optatissimum, habere tam propinquum et florentem imperatorem utriusque nationis viribus instructum? Hispani vero, licet predicentur bellicosi, quid tamen unquam preclare gesserunt in Italia sine Germanorum auxiliis? Ad hec qui longissime a nobis absunt, non est, quod ullum ab eis auxilium in tempore expectemus, quod etiamsi velint, tamen non multum nobis poterunt commodare, nam quia navigationibus perpetuis exhauritur Hispania, non potest ullas majores emittere domo copias. Huc accedit, quod Gallos habebimus commilitiones et omnium laborum socios, Hispani vero, si quid recte gestum erit, omnem ad se gloriam traducent et victoriis nostris fruentur et provinciis ipsi preerunt. Tunc demum servitutem nostram sero deplorabimus. Verum, hac omissa collatione, veniam ad electionem. Si Gallie rex assumetur, non erit ulla per Italiam belli causa, nam Mediolanum jam ante tenet, ne quid autem Neapoli moliatur, nos ei suasores erimus, et plane quidem persuadebimus: idem est facturus et de Belgio, modo et illi quiescant. Cur autem ad nos magnopere Belgium pertinere putemus, non video; sunt enim nobis vicini, multo jam tempore, sed societatem nobiscum aut fedus nullum habent, nec imperii leges ad se quidquam pertinere ducunt, nec ad publicos usus quidquam contribuunt non magis quam Britanni vel

MDXIX. Scoti. Cum ergo maxima sit Gallie regis potentia, cum Insubriam habeat pacatam, cum sit a rebus omnibus paratissimus, multo suscipiet ampliora magisque gloriosa, bellum videlicet in Turcum geret et omnes eo vires convertet, ut a Pannonie finibus et Italie, pulso vastatore, tutam efficiat Germaniam. Si vero Carolum ei preferemus, Deum immortalem, quantos excitabimus in Italia motus? volet ille recuperare Mediolanum et erit bellum diuturnum, et interea dum sic conflictabitur omnium pulcherrima provincia, Turce vires omnes in Ungariam expedient. His, obsecro, quis resistet? quis justum opponet exercitum? hec sane consideranda sunt paulo diligentius, neque leviter pretereunda. Jam italici belli qui sit futurus exitus, incertum est. Gallus quidem victor Neapolim affectabit, et fieri potest, ut pontifex illius impulsu nostram electionem rescindat. Ex eo quanti sint orituri motus, nemo non intelligit. Contra, si Carolus rerum potiatur, non est, quod Italiam nobis redditum iri putemus, occupatam perpetuo sibi retinebunt Hispani, nec id modo, sed nec imperium quidem hoc nostrum e manibus facile dimittent. Ut Neapolim sibi servarent, in cujus possessionem quomodo venerint, satis notum est, quid non pertulerunt! — In Italiam igitur nequaquam sunt evocandi. Nunc de utroque rege nonnulla dicam: placido et modesto ingenio Carolum esse, non dubito, sic enim a multis predicatur, sed cum etate sit adolescens, quomodo potest de illis virtutibus, que in summo principe requiruntur, judicium in eo fieri? Talem respublica desiderat, qui preter alia constituat et emendet ecclesie statum, quod Moguntinus etiam prudenter admonuit. Hoc sane Franciscus rex omnium rectissime poterit prestare, nam et ingenio valet et judicio, et de religione subinde cum doctis hominibus conferre solet et legit ipse multorum scripta. Deinde presens temporum status principem requirit atque ducem rei militaris peritum, diligentem, fortunatum. Cedo, quis hac in parte palmam eripiet Francisco? jam ejus cognita est et exlorata virtus. De Carolo nihil habemus comperti, nisi quod indoles aliquid promittit; ille vero suos majores omnes rerum gestarum magnitudine vincit; Helvetios enim, fortissimam et inde a C. Cesaris etate prope invictam gentem, prelio nuper superavit. Non est igitur tanto duci preferendus adolescens. Moguntinus incommodum quidem esse dicit, siquidem Carolus a Germania diutius absit, sed tamen otioso nos animo hic esse jubet: ego autem summi rem esse periculi puto, cesarem extra fines imperii longinquius abesse: quis enim Turcarum impetus, quis repentinos tumultus, quis offensiones atque motus civiles coercebit? orta tempestate, quis navim gubernatore destitutam servabit? — Absens nihil prope certi de rebus nostratibus cognoscet, falso multa deferuntur ad ipsum, habebit in consilio non Germanos sed Hispanos tantum, edicta subinde faciet et ad nos transmittet tempore alienissimo. Postea si calumniis et criminationibus aliquorum irritatus in Germaniam aliquando venerit, adducto milite peregrino, qualem hujus imperii fortunam fore putatis? — Quapropter, si vobis ita videtur et si fata volunt, ut in hoc tempore diadema nostrum capiti suo rex alienigena superimponat, equidem Gallum censeo preponendum Hispano, neque subtili quadam interpretatione Carolum pro Germano ducamus, verum aliquem ex omni principum numero circumspiciamus, qui nullum habeat, nisi in Germania domicilium, qui sit origine, moribus, ingenio, lingua Germanus. Incommoda multa Moguntinus in contrarium adduxit et propter infirmitatem, tenuemque fortunam contemptibilem fore putat ejusmodi

modi cesarem: atqui si deligamus idoneum, satis habet Germania nervorum atque potentie, qua sustineat hoc onus. Qui fuit undecimus ante Maximilianum cesar, Rudolfus, non magnum quidem attulit robur, sed virtute prestabat, et quod pertenue tunc erat multisque bellis afflictum imperium, ita restituit, ut vicinis regibus metum adferret. Quam preclare senserint etiam exteri principes, ac in his Ludovicus XII., Gallie rex, de Maximiliano cesare solum propter ingenium atque virtutem, non ignotum vobis esse puto: nimirum fuit semper illustre Germanie principum nomen et fama celebris. Ea non est extincta, sed viget incolumis, et sunt inter alias Germanie tres hodie precipue familie: bavarica, saxonica, brandeburgica, sunt in iis etiam nonnulli prestantes viri. Si quem igitur ex illis rerum summe preficiemus et nostris copiis adjuvabimus, ut certe debeamus, non est, quod exteros metuamus, modo idem sentiamus et velimus omnes, in tuto res erit. Omissis ergo peregrinis, e medio nostrorum hominum cetu quempiam diligamus, non deerit successus, et sunt testimonia multa domestica nostrorum virtutis. Ex iis unum recitabo. MDIXX.

Pannonie rex Mathias, bellator potens ac fortunatus, bellum aliquando parenti tuo, Fridrice, denunciavit, sed cum exercitum sibi justum opponi videret, impetum et ardorem omnem facile remisit. Sic etiam nunc rationem inveniri posse puto, quemadmodum nostre gentis cesar aliquis designatus et domi retineat et foris autoritatem.

Tertio loco verba facit Saxonie dux Fridericus, et ubi Gallum excludi lege, Carolum vero Germanum esse principem inque Germania domicilium habere demonstrasset, opus esse reipublice aliquo prepotente dicebat, sed qui cum Carolo sit conferendus, neminem se talem novisse, placere ergo sibi, ut is renuncietur cesar, verumtamen certis legibus, ut et Germanie sua libertas constet et ea, de quibus facta sit mentio, pericula vitentur.

Hanc demum sententiam ubi reliqui comprobassent, Trevericus Germanie fatum, inquit, et jam impendentem mutationem agnosco, sed tamen, quia ita vobis visum est, a vestro juditio voluntatem meam non removebo.

Fuit hoc Junii die XXVIII. Jam multa nox erat, itaque disceditur et postridie rursus convenitur. Ibi ceptum est agi cujusmodi conditiones Carolo sint ferende. Disceptata res fuit per aliquot dies, ubi demum convenisset, perscripte leges Moguntiam ad Caroli legatos mittuntur. Cum eas illi recepissent, in literas referuntur singulorum suffragia sicut fieri consuevit et obsignantur.

Ad Fridericum Saxonem pridie fuerat delatum imperium, sed is ingenti animo recusabat et suo suffragio Carolum, sicut diximus, designabat et oblatam eo nomine magnam pecunie vim a legatis Caroli rejecit et suis, ne vel teruncium acciperent, mandabat.

Convocata deinde nobilitate ac omni multitudine, Moguntinus in ede divi Bartholomei pro concione Carolum, Austrie principem et regem Hispaniarum, in demortui locum Maximiliani Romanorum regem declarat, et quod tanta consensione sit electus, Deo gratias agendas esse dicit, et ut illi fidem omnem ac officium prestent hortatur et in ipsius laudationem digressus, quam ob rem ex omnibus unum hunc elegerint, demonstrat. Eam orationem subsecutus est multitudinis et ordinum applausus et admurmuratio.

LXVI. JOANNES

LXVI. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

MDXIX. Cod. G. Serme. rex et domine, dne. clementissime. Quod si omnes mee litere pervenissent ad Mtem. vestram, foret mihi gratissimum, ex literis enim, que hucusque hic acta sunt, intellexisset omnia, et quia in dubio sum, cogor quedam, que antea a me fuerunt scripta, sed breviter repetere. Superioribus diebus scripsi quomodo omni diligentia, quantum mihi erat possibile, negotium hoc, in quo me Mtas. vra. huc misit, sollicitassem semper, etiam sine intermissione sic etiam, quod orator iste, qui hic ab Illma. domina duce Mediolani agit, me, nescio quam ob causam, rogavit, ut me a tam crebra sollicitatione continerem. Sed quum viderem quod expediret, ut sollicitarem, feci nihilominus que potui omnia, at in hodiernum diem in procrastinatione fuerunt posita et nihil aliud de die in diem, quam verba mihi dabantur. Ivi igitur prout hactenus feci sepius ad regem tunc adhuc Catholicum, et Mtem. ejus nomine Mtis. vre. sacre omni studio rogavi, ut tandem post tot promissa me expediret. Sua Mtas., ut est optimus juvenis, et qui videtur Mtem. vram. plurimum amare, promisit mihi expeditionem antequam dnus. de Szeveris et magnus cancellarius irent in montem Pessulanum ad Gallicum conventum. Eo die, quo illi ituri erant iterum regem accessi, admonendo eum de promisso. Respondit: „verum est, promisi tibi, sed nequeo pro „nunc servare promissum, nunquam curia mea magis fuit occupata quam nunc. Rogo, te„ras moram hanc patienter, donec isti abierint, omnia erunt tunc transquilliora, intendam „quantum est possibile citius, ut bene expediaris.“ Immorabar post illorum discessum aliquot diebus, et iterum ad Mtem. ejus veni petens ut supra. — Sua Mtas. statuit quosdam consiliarios cum prioribus commissariis, ut omnia jura reviderentur et postea ei fieret relatio. Isti boni consiliarii detinuerunt me fere ad duos menses invenieruntque multas inconvenientes excusationes ad ulteriorem dilationem. Coactus itaque iterum ivi ad regem conquerendo, quod omnia hec fierent cum indignitate Mtis. vestre, que per me nihil aliud quam justitiam peteret et quereret, rogabamque, quia diutius immorari non possem, ut finem faceret. Respondit: quod me tam diu detinuisset, nihil fuisset in causa aliud, quam imprimis mors cesaris, deinde electio et conventus iste cum Gallis, que curiam suam multa turbatione affecissent, atque etiam quod res ista esset non parvi momenti, ut bene desuper consultaretur foret necessarium, expectaret etiam quedam consilia suorum consiliariorum ex regno Neapolitano et quoddam privilegium serviens huic negotio et in summa expectaret istos duos suos consiliarios, ut redirent ex Gallia, sine quibus res hec confici non posset; rogabatque, ut patientiam haberem, donec isti redirent, promittendo, quod me sic velit expedire, quod Mti. vre. non displiceret. Redierunt isti ex Gallia, accessi eos exponendo omnia et rogabam, ut darent veniam tandem, ut expedirer. Promiserunt maria et montes; ivi etiam ad regem, promisit ut supra, tamen nihil fiebat. Intervenit hoc electionis tempus, et s. Mtas. vra. aliquando et diu fuit in ambitu suspecta, potissimum, quia venerunt ex Urbe litere, quod pontifex et Veneti cum aliis promittebant in subsidium Mti. vre. ducenta milia ducatorum et plus, ut daret pro se operam, ut eligeretur. Quod postquam magnus

magnus cancellarius mihi dixisset, respondi: bene est possibile, quod illi talia apud Mtem. MDXIX.
vram. quererent, sed Mtem. vram. tam constantis animi esse principem, quod ea, que vivente cesare promisisset, immutaret nunquam, addidique plurima, que dignitatem Mtis. vre. spectare pro rudi mea industria videbantur, de quibus omnibus magnus cancellarius optime fuit contentus et sequenti die, quo cum rege fui ad missam, omnia regi et consilio a me audita exposuit. Paulo post venerunt litere, quod Mtas. vestra cum oratoribus Hungarie et Bohemie suos etiam misisset in favorem regis Catholici, que Mtem. vram. ab omni suspicione liberarunt. Statim etiam allate fuerunt litere Mtis. vre. date Cracovie VI. Junii et XXV. hic in presentia mea lecte. Quanta voluptate regem ipsum atque omnes consiliarios et me potissimum affecerunt, scribi non potest. Regem, qui jamjam se electum sperabat, ex magna incertitudine solverunt et omnia ea, que semper hic de constantia Mtis. vre. predicabam, comprobarunt. Habuit rex Mti. vre. ingentes gratias pro tanto amore et benivolentia, qua eum resque ejus prosequeretur, promisitque iterum quicquid pro Mte. vra. unquam facere posset, corpore proprio et bonis suis omnibus nunquam se Mti. vre. defuturum, et in hoc negotio Illme. dne. ducis Mediolani velit facere omnia, que justitia exigeret, ut, ubi justitia non esset, gratiam suam impartiret, sic, quod Mtas. vra. liquide cognoscere deberet, quod ea in re Mti. vestre gratificaretur. Et quia paulo post venerunt nova, quod sua Mtas. Catholica fuisset rex et Romanorum imperator electus, habuimus hic, luctu deposito ex morte Maximiliani, magnos triumphos, et in his letis diebus usque nunc nihil fieri potuit. Non cessavi tamen quotidie fere et tandem quadam importunitate, prout aliquoties vidit et audivit Illris. dnus. Prosper, sollicitare, deduxique rem ad eos terminos, quod magnus cancellarius, adjunctis sibi quibusdam consiliariis, accepit ad se omnes scripturas, allegationes, inscriptiones et privilegia, et eis quotidie incumbit, ut se in eis resolvat et deinde novo imperatori relationem faciat. Tantum effeci in re justissima per septem menses cum magna diligentia continue sollicitando. Potest hinc conjectari Mtas. vra., qualis hec sit curia. Princeps ipse optimus est et semper mihi visus est, quod libenter pro Mte. vra. plurima faceret, sed quia adhuc juvenis etc.

Accepi paulo ante literas ex conventu Francofordiense a rmo. dno. Vladislaviense epo., et mgco. dno. castellano Landense, quibus mihi injunxerunt, ut articuli, qui ibidem in conventu cum mandatariis cesaree Mtis. tractari debuerunt, per me hic sollicitarentur. Feci ut servus et subditus humillimus Mtis. vre. quantum potui et omni diligentia, quam ingenioli mei vis proferre voluit, habita privata audientia a Mte. sua, ne Marchio Brandeburgensis propter fratrem obesset. Articulos illos ex ordine exposui et ubi opus erat declaravi, ut cum dignitate Mtis. vestre omnia fierent et bene intelligeretur, quantum omnes illi articuli honorem et bonam fortunam Mtis. vre. spectant, dixique prout dni. oratores prefati mihi scripserunt: quod mandatarii sue ces. Mtis. ante electionem plenum mandatum tractandi de omnibus se habere predicabant, et in eo post electionem defecerunt, igiturque eis oratores Mtis. vestre credidissent, quia habuissent in commissis a Mte. vra., ne quovis modo vel pacto viderentur in minimo etiam velle urgere suam Mtem. cesaream. — Quia Mtas. vestra ullis, ut alias factum est, pollicitationibus, sed solo nudo fraterno amore pro ejus cesarea Mte. fecit omnia. Quapropter cesarea sua Mtas. deberet habere ad effectum

MDXIX Mtis. vre. diligentem respectum et in his articulis Mti. vre. gratificari, quo sibi perpetuo Mtem. vestram devinctam faceret et ad majora paratiorem. In hac audientia fuerunt rex, dnus. de Szeveris et magnus cancellarius et nemo alius, isti tres desuper satis diu et rex ipse longo sermone commentabantur et deinde, revocato me, responderunt super quolibet articulo, ut in carta inclusa videbitur. Disputavi etiam postea seorsum cum magno cancellario de his omnibus et quantum potui in rebus tam ducis Masovie quam etiam magistri generalis eum instruxi. Est vir bonus et inter omnes alios hic mihi videtur esse melior et plurimum rebus Mtis. vre. afficitur. Hodie fui mane apud Mtem. cesaream et dixi: si quid velit, quod per me Mti. vre. describeretur. Respondit: quod Mti. vre. scripsisset, sed hoc unum possem Mti. vestre scribere, quod pro futuro vere velit se ad partes inferioris Germanie conferre pro coronatione et deinde brevi cum Mte. vestra convenire et uberius Mtem. vram. cognoscere. Inde magnus cancellarius me vocavit ad prandium (solet me sepius vocare) et hoc mihi, que pro novis habentur, dixit: quod pontifex, qui multum adversatus ante fuit novo imperatori, nunc per mirabiles practicas querit amicitiam, itidem rex Francie, qui nuper per literas suas congratulatus est multum cesaree Mti., scribens, quod post se ipsum nullus in orbe esset, cui imperium hoc quam sue Mti. faveret. Rex Anglie declinans a Gallis totus est novi cesaris et plus in eum quam in defunctum confidit. Veneti summopere pacem et amicitiam querunt. Helvetii contenti quadam pensione annua, relictis omnibus aliis, novo cesari et imperio volunt adherere. Speraturque, quia iste cesar non vult bellum, quod brevi tota Christianitas erit pacata, ut aliquid fiat contra Infideles. Nihil aliud habemus novitatis, quicquid evenerit deinceps, ut facio semper, s. Mti. vre. describam. Cui me suppliciter ut dno. meo clementissimo commendo et rogo absentis sui servi rationem habeat. Datum Barcinione penultima Junii.

LXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V., Cesari Christianorum.

Cod. R. Serme. et excellentissime princeps. Agimus immensas gratias vre. Mti., que de componendo inter nos et ducem Moscovie bello studium et operam suam adhibere dignetur, quo pacatis itidem rebus nostris et aliorum principum Christianorum possemus commodius unitis viribus arma nostra illuc convertere, unde rei christiane major calamitas et discrimen imminet. In quo negotio quanto magis cessatur, eo periculum acrius invalescit. Verum hunc nuncium Mtis. vre. non permisimus in presens ad ducem Moscovie proficisci, quod rationes hujus temporis id minime postulare videbantur. Et proinde remittimus eum rursus Mti. vre., quem quod sedulum et fidelem esse in negotio sibi commisso cognovimus, eum Mti. vre. non vulgariter commendamus. Hanc vero benivolentiam et curam Mtis. vre. de rebus et statu nostro, volumus illi vicissim omni studio, viribus et facultate nostra semper referre. Cui nos ex animo commendamus et cupimus, ut sit diutissime felix, sospes et incolumis.

LXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Locumtentibus Cesaris provinciarum australium.

Illme. princeps, Rmi. in Christo patres et spectabiles ac mgci. dni. amici nostri charissimi. MDXIX. Cod R.
Fuit apud nos Hildebrandus iste profecturus in Moscoviam nomine Sermi. dni. Romanorum et Hispaniarum regis ad denunciandum illi duci adventum oratoris ejus cesaree Mtis., qui de pace inter nos et illum ageret et ad obtinendas simul ab illo literas securitatis pro eodem oratore. Nos ipsum Hildebrandum per id omne tempus apud nos detinuimus, expectantes occasionem, per quam ille dictum ducem cum profectu aliquo et citra indignitatem tam illius cesaree Mtis. quam etiam nostram adire potuisset, ne importuno tempore agressa res ita inutiliter succederet, ut Serme. olim Mti. contigit, que suis crebris nunciis nil in hac proficere potuit. Quare intelligentes hoc tempus non satis aptum esse profectioni ejusdem Hildebrandi ad ipsum ducem Moscovie, remittendum illum duximus ad vras. Dtiones. et agimus immensas gratias imprimis ces. Mti. demum etiam illis pro ea benivolentia et cura de nobis et re christiana, cui magis expediret, ut nostra et aliorum principum arma illuc converterentur, unde illi magis periculum et calamitas imminet. Et proinde rogamus vras. Dtiones., ut alias, quando tempus et rationes nostre postulare videbuntur, agere velint apud ces. Mtem., ut mittere velit oratorem ad ipsum ducem causa ejusdem pacis componende, si reipublice christiane commodare dignabitur, adversus quam Turce se magis in dies accingunt. Referemus hanc operam illius ces. Mti. et vris. Dtionibus. vicissim omni officio et studio nostro. Que felicissime valeant et nos diligant. Datum Thorunii XV Julii.

LXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo, Epo. Plocensi.

Rnde. etc. Scripsit nobis vra. Ptas., Sctmum. dnum. nostrum causa pacandarum rerum nos- Cod. G. R.
trarum velle nuncium suum in Moscoviam mittere, qui juxta instructionem ejus Sctis. curaret pacem inter nos et ducem illum constituere, quem affectum et studium de rebus nostris ejusdem Sctis. habemus longe gratissimum ac agimus illi gratias quas possumus ampliores. Verum nos cognitos habentes mores gentis et ducis illius, apud quem persone spirituales parve sunt existimationis et religiose adhuc minoris, volumus, ut roget vestra Ptas. illius Sctem., quo nuncium mittat personam secularem, si velit quidpiam per eum boni effici. Et hec potissimum causa fuit, quare nos censuimus et scripsimus vre. Pti., ut religiosus huc non mitteretur. Alioquin fratrem Nicolaum Schombergum libenter vidissemus et nullum magis idoneum arbitraremur; tamen si illius Scti. visum foret commodius personam spiritualem mittere, nos etiam id boni consulemus, utcunque melius esset secularem, dummodo id fiat ocius. Nos vero, quando huc venerit, de viatico et rebus omnibus necessariis illi providebimus, Sctmo vero dno. nostro hanc curam paternam omni studio et obsequiis nostris referemus.

Ceterum

MDXIX. Ceterum quia jam electus est imperator, et non is, cujus gratia illius Sctas. de confirmatione pacis et concordie pruthenice rem distulerat, agat vra. Ptas. apud Sctem. ejus, quo tandem nobis rem justissimam ac paci communi summe necessariam petentibus annuere dignetur, et profecto sua Sctas. nulla recta ratione nobis id negare debet, nam, que confirmationem ipsam impediret, lis coram judice nulla pendet, et que extra judicium humana cupiditate orte sunt simultates hac ratione compescentur. Quod ut fiat Sanctitatem suam officium suum et utilitas [publica hortari debet. — Cum enim bella pactis et conditionibus litis fere finem accipiunt, exigit communis utilitas, ut que pacta sunt, etiamsi parum equa sint, observentur: ne velut caput hydre unius belli finis plurimorum sit initium, maxime cum pacis et concordie observatio non solum de jure gentium sit, sed et divino. Unde dubium non est, initam concordiam solo partium consensu ratam esse. — Confirmari autem, vel ex partium voluntate vel etiam ea non accedente sola superioris autoritate posse. In nostra quidem perpetua pace utcunque concurrit et partium consensus et autoritas superioris per legatum interposita, demum et voluntas partium ad priores consensus et concordie confirmationem denegari non debere. Cum enim in ipsa confirmatione antea legati apostolici autoritas intercesserit partesque ad majorem cautelam confirmationi faciende per pactum dispositivum consenserint, Sctas. dni. nostri, cujus officii est pacem fovere et dissidentes, ubi imminet Reipublice perturbatio, vel invitos ad pacem compellere, qua ratione jam firmate pacis confirmationem negabit? Populare est per Germaniam et Poloniam, ut in privatis factionibus, que per vim extorte sunt promissiones in latronum captura et ludis etiam tanquam legitime habeantur ad majora mala vitanda: quid igitur in tali pace faciendum, a qua sine multorum exitio discedi non potest? In ea tamen, si que capitula tanquam illicita Scti. sue displicuerint, parum interest, si ea tanquam reprobra ex certa sententia et ejus motu proprio tollantur, approbatis aliis, cum utile per inuitile vitietur. Quod etiam magis convenire putamus rebus nostris, quam si ipsi in illarum cassationem consentiremus. His rationibus et aliis vestra Ptas. inducere Sctmum. dnum. nostrum curet ad confirmationem ipsam, agatque id totum, quantum fieri potest, secretissime, nulli rei vel impensis parcendo. Nam si id nobis illius Sctas. denegabit, nos qui continue per magistrum lacessimur variis et multiplicibus modis, quibus subditos nostros premit et infestat, non poterimus ulterius ferre et quod hactenus causa illius Sctis. fecimus et illi per fratrem Nicolaum promisimus, a bello gerendo nos continere nequibimus, quod procul dubio universa vicina regna et dominia sic invicem commovebit, ut hec turba difficillime deinde sisti poterit. Itaque Ptas. vra. diligentiam adhibeat, ut id apud illius Sctem. obtinere possit, quod alioquin ipsa sponte sua causa publici boni et quietis facere deberet. Referemus autem hanc operam vre. Pti. abunde gratia et beneficentia nostra regia. Que bene valeat.

LXX. Restes contra Tartaros scripte, sed non publicate fuerunt.

Cod. G. R. SIGISMUNDUS PRIMUS, REX POLONIE, universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis, officialibus, burgrabiis et nobilitatum communitatibus, advocatis et scultetis

tetis ceterisque subditis nostris, terras regni nostri ubique incolentibus et presertim ter- MDXIX.
ram cracoviensem et districtum proschovicensem, de jure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, sincere nobis dilectis gratiam regiam. Mgci., generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis ac fideles dilecti. Nemini jam incognitum esse arbitramur, qualiter his diebus vis ingens Tartarorum terras regni nostri Russie et lublinenses invaserit et illas damno inestimabili et cedibus affecerit, cum qua congressi milites nostri, quos illic pro presidiis tenuimus, una cum Illri. duce Constantino et aliis illis proceribus, majori quidem virtute et animo, quam ratio sue paucitatis contra hostium multitudinem suadere videbatur, et domino deo nobis adverso existente, fracti sunt ac profligati. Non dubitantes vero nos, quod immanissimus hostis ea vi existens, et rebus pro libidine sua sic actis acrius contendet rabiem suam explere, neque in tam subito et inopinato casu aliud remedium afferri posse videntes, quam universos pro vindicanda Reipublice salute et tanto periculo arcendo ad arma concitare, motionem bellicam decrevimus, cui etiam nos ipsi non solum deesse noluimus, sed etiam hinc propere, Deo bene juvante, egredimur, personam nostram regiam tam atroci et insperate necessitati cum subditis nostris exhibituri. Quare has presentes literas in vim primarum, secundarum et ultimarum restium emittimus, quibus vobis et omnibus singulis districtius precipientes mandamus et volumus, ut mox visis illis, non expectatis aliis nostris, sub amissione bonorum vestrorum arma capiatis et quilibet vestrum capiat ad diemque S. Bartholomei proximum circa villam Valwa in terra premisliensi sitam armati compareatis et ad nos omnino conveniatis, ut Tartarorum ipsorum impetum cum Dei auxilio ita retundere una nobiscum possitis, ut inde amplius res ipsa publica nullum sentiat detrimentum, et vos laudem et gloriam in re bellica pluribus victoriis jam adquisitam, quoad fieri poterit, augere et ampliare valeatis. Et ne quispiam vestrum de hac expeditione bellica et mandato nostro aliquam ignorantiam suam pretendat, volumus, ut unus ad alium sibi viciniorem presentes literas restium, cum illas perlegerit, transmittat, ultimus vero easdem loci capitaneo representet, similiter sub bonorum suorum amissione aliter facere non ausuri. Dat. Cracovie fer. II. prox. ante festum S. Laurentii.

LXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Castellanis Terrarum.

Mgce. sincere nobis dilecte. Accidit nobis adverso dno. deo non mediocris casus et calami- Cod. G. R
tas; Tartari enim magno numero et vi terras Russie et lublinensem irrumpentes cum damnum ingens fecerunt, tum etiam stipendiarios nostros cum Illri. duce Constantino ac proceribus aliisque compluribus nobilibus primo congressu circa Sokal obruerunt et profligaverunt, ita ut ipso duce Constantino egre elapso de eo solo qui vivit compertum habemus. Non dubitantes vero nos, immanissimos hostes tanto numero existentes et rebus ex sententia sua gestis non contentos fore, sed acrius rabiem suam exercituros, et non videntes, quod aliud tam subito discrimini remedium afferri possit, misimus literas restium, et universos ad arma concitavimus. Nosque ipsi persona nostra regia quam celerius hinc egre-

 dimur,

MDXIX. dimur, ut nulla in parte tante necessitati deesse videremur. Quare mandamus tue Sinceritati, ut quantocius cum terra et districtu ad se pertinente ad arma consurgat ac pro die Sct. Bartholomei proximo ad locum circa villam Valwa veniat, aliisque ad occurrendum tanto periculo persuadeat, pro virtute et officio suo ac gratia nostra factura. Dat. Cracovie fer. II. prox. ante festum S. Laurentii.

Eodem exemplo scripte sunt litere regie ad capitaneos terrarum cum clausula sequenti.

Quare mandamus tue Fidelitati: ut literas nostras restium, quas ad eam mittimus, statim et omni mora posthabita per terras et districtus sui capitaneatus transmitti et circumferri, ut moris est, faciat bellumque in foris civitatum et oppidorum ac circa ecclesias diebus solennibus proclamari et ad notitiam universorum et singulorum ad expeditionem bellicam de jure vel consuetudine obligatorum deduci faciat, ut non expectatis aliis literis nostris ad arma consurgant et pro die S. Bartholomei proximo circa villam Valwa sub bonorum suorum amissione compareant et cum suo castellano ordinati damna non inferendo proficiscantur. Tua vero Fidelitas nihil, quod ejus officii est, negligat pro gratia nostra.

Eodem exemplo litere regie scripte ad civitates regias cum hac clausula.

Cod. R. Quare mandamus vobis, omnino habere volentes, ut ad diem et locum supra scriptum currus ad expeditionem bellicam dari solitos et debitos cum omnibus necessariis ac preparamentis et peditibus armatis expediatis et sub bonorum vestrorum omnium privatione nobis mittatis, et aliter facere non audeatis.

LXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni.

Cod. G. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Accidit his diebus etc. ut supra: milites mercenarios, quantum potuimus, numerum suscipi curavimus; verum timentes, ne si hostes eadem vi et impetu redirent, et presidia hec resistere illis non possent et Respublica majus caperet detrimentum, volentesque opportuno remedio tam magno et presenti malo succurrere et consulere, conventum pro die S. Bartholomei proximo in civitate nostra Sandomiriensi his literis indiximus, ad quem et proficiscemur ipsi et quodcunque aliud factu in tanto tamque subito periculo res postulabit, id exequemur, etiam personam nostram regiam ad omnem necessitatem exposituri. Quare significare hec Sinceritati tue voluimus, ut non ignoret, quid nobis et Reipublice dispendii et difficultatis acciderit, utque homines commonefaciat, quo parati sint, ne etiam istic ab aliis vicinis hostibus aliquid tale quod absit eveniret.

Clausula

Clausula ad episcopos.

Valeat vra. Ptas. et dnum. deum pro successibus nostris cum clero suo universo diligenter oret. MDXIX.

Chronica.

V milia lectissimorum militum a XL milibus Tartarorum ad Sokal profligati. Cod. R.

XX Aug. rex ivit ad Sandomiriam.

LXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Optimatibus Russie.

Mgce. sincere nobis dilecte. — Nemini jam incognitum esse arbitramur, qualiter his diebus vis ingens Tartarorum terras regni nostri Russie et lublinensem invaserit et illas damno inestimabili et cedibus affecerit, cum qua congressi milites nostri, quos illic pro presidio collocaveramus una cum Illri. duce Constantino aliisque nobilibus, majori quidem virtute et animo, quam ratio sue paucitatis contra hostium multitudinem suadere videbatur, et domino deo nobis adverso existente, fracti sunt et profligati, ita ut ex illa manu, que non mediocris fuit comparata, pauci admodum et id egre quidem evaserint. Non dubitamus vero nos, immanissimos hostes tanto numero existentes et rebus ex sententia sua sic actis non contentos fore, sed abducta preda rursus et celerius opinione redituros, rabiemque suam acrius exercituros. Quod primum fieri posse in tam subito et inopinato casu videbatur: milites mercenarios, quantum potuimus, numerum suscipi curavimus. Verum timentes, ne si hostes eadem vi et impetu redirent et presidia hec resistere illi non possent et respublica majus caperet detrimentum, volentesque opportuno remedio tam magno et presenti malo succurrere et consulere, conventum pro die Sct. Bartholomei in civitate nostra sandomiriensi his terris indiximus, ad quem et proficiscemur ipsi, et quandocunque aliud factu in tanta tamque subito periculo res postulabit, id exequemur, etiam personam nostram regiam ad omnem necessitatem exhibituri. Quare significare hec Sinceritati tue voluimus, ut non ignoret consilia et deliberationes nostras, hortamurque illam: ut et ipsa parata sit et homines commonefaciat, quo sint parati, ut ad omnem necessitudinem, si qua ingrueret, accurrere tempestive possint. Cod. G. R.

LXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Palatinis, Castellanis, Officialibus, Nobilitati primarie terrarum Cracov., Sandomir., Lublin.

Mgce. sincere nobis dilecte. Accidit nobis his diebus etc. ut supra. Hortamur et mandamus, ut ad conventum eundem veniat, subite necessitati et periculo consultura pro fide sua et gratia nostra. Dat. Cracovie ipso die S. Laurentii. Cod. G. G.

LXXV. SIGISM.

LXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao et Janussio, Ducibus Masovie.

MDXIX Cod. G. R. Illmi. dni. sincere nobis dilecti. Agimus et habemus plurimas gratias vris. Illtibus., quod in tanta tamque impendenti necessitate nostra et Reipublice obtulerint se adeo propense et alacriter nobis adesse, quam benivolentiam et officium ipsarum volumus eis vicissim omni favore et gratia nostra regia semper referre. Quia vero discedentibus hostibus ex terris nostris non visum fuit expeditionem generalem belli facere, sed consilium prius super eo eventu cum his terris capere; propter quod conventum Sandomirie pro festo Sct. Bartholomei indiximus. Idque tamen venerabili Joanni Mrokowski, archidiacono warschaviensi, quem ad Illtes. vras. miseramus, literis nostris significavimus, ut illas certiores fecisset, que illum istic non offenderunt, iterum illis id significare voluimus, quod in presens ad bellum non proficiscimur, sed duntaxat ad conventum; parati tamen, ut, quocunque res postularet, presto esse possemus. Et proinde non opus est, ut vre. Illtes. nunc expeditionem aliquam sui ad nos faciant, sed parate tamen sint, ut in omni eventu nobis et communi saluti adesse possint absque mora. Cujus obsequii cognoscent nos non ingratos neque immemores futuros. Que valeant feliciter.

LXXVI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni de Lubbrancz, Epo. Posnaniensi.

Cod G. R. Non possum pre dolore satis explicare casum, qui nobis nunc magna indignatione divina accidit. Tartari enim numero ad quadraginta milia regnum ingressi et longe lateque omnia depopulantes, non solum damnum inestimabile fecerunt, sed milites et ducem Constantinum aliosque Russie proceres tanta strage affecerunt, ut ex septem circiter milibus pauci admodum evaserint et, nisi arx propinqua fuisset, ad unum omnes interiissent. Divina, inquam, indignatione; nolentibus enim capitaneis et duce Constantino, ceteri omnes pertinaciter in eo loco congredi voluerunt, ubi fervore nimio ruentes in angustias et foveas exusti oppidi devenerunt, in quibus constricti et precipitati non referientes cedebantur, hostes vero cum triumpho, vexillis et tubis nostris et preda, quam pre magnitudine vix ducere possunt, discesserunt. Mtas. regia utcunque vehementer conturbata, mox tamen et militem mercenarium conduxit, et conventum Sandomirie indixit, in quo vult consilium cum his terris capere, qualiter tante vi, ubi iterum, ut timemus, rediret, esset resistendum, prout id ex literis ejus Mtis. vra. rma. Dtio. latius cognoscet intelligetque novo (jam post damnum) opus fore consilio de nostra defensione, quando rebus integris id more nostro fieri non potuit.

Significavit Mti. regie capitaneus ravensis, non esse illic nobilem illum Dzierzek, qui conscius est et particeps captionis domini Mirzinecz, sed eum servire in terra belzensi, commisit

misit itaque Mtas. sua dno. palatino lublinensi, mitteret istuc literas, ut caperetur. Qui MDXIX.
cum in manibus erit, poterimus ab illo scire omnia et que necessaria fuerint facere. Itaque non sit cure vre. rme. Dtioni., nihil eorum, que opportuna fuerint, a me pretermittetur. Cujus bone gratie me et obsequia mea commendo.

LXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi et Cap. M. Polonie.

Mgce. sincere nobis dilecte. Tartari post illatam nobis cladem hanc discesserunt, nos vero Cod. G. R.
persuasum habentes, illos adhuc redituros, egimus conventum Sandomirie de resistendo huic malo, et obtulerunt se nobis libenter he terre nostre nobiscum proficisci; tamen quia adhue nil comperti habemus de ipsis Tartaris, movere hos subditos nostros nolumus tantisper donec opus videbitur.

Habemus vero gratias tue Sinceritati, quod se nobis adfuturam in tanta Reipublice necessitate obtulit, et referemus illi hoc officium et studium omni gratia et beneficentia nostra regia. —

Libenter videmus, quod Costenses restituti sunt quieti et paci debite, molestum enim nobis fuit et res indigna est visa, quod tam insolenter et licentiose contra nostram auctoritatem violati et cedibus affecti sunt. Erit tamen nobis gratum non minus, quando ipsi Costenses, si in aliquo excesserunt, id quod promeruerunt jure patientur. Bene valeat.

LXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lubbrancz, Episcopo Posnaniensi, Nicolao de Lubbrancz, Palatino Posnaniensi, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi, Vincencio Swidwe de Ssamotuli, Castellano Gnesnensi, Joanni de Cobilino, Castellano Rosperiensi, Stanislao de Tomice, Castellano Miedzirecensi, Joanni Rozdraszewski, Castellano Premantensi.

Rnde. in Christo pater et mgci. ac generosi sincere et fideles dilecti. Grato animo accepi- Cod. G. R.
mus operam vestrarum Sinceritatum, quod ita, ut eas per literas fuimus cohortati, consuluerint de periculis regno incumbentibus, et homines paratos esse ad omnem eventum fecerunt. Agimusque Sinceritatibus vris. gratias et postulamus ab illis: curent, ut, si necessitas incumberet, possint nobis et Reipublice istinc cum hominibus adesse.

Nos enim post eam cladem, quam Tartari nobis intulerunt, habuimus conventum Sandomirie et ita cum his subditis nostris et consiliariis decrevimus: quod, ubi hostis magna

MDIXX. vi rediret, nos ipsi cum his omnibus terris adversus eum proficiscamur. Et proinde sint istic parate Sinceritates vre., ut si nos cum iisdem terris sustinere hostilem impetum non possemus, aut istic magister aliquid incipiet, possent ad utrumque casum presto esse. Angustie sunt nobis undique, nam preter hanc calamitatem cum Tartaris adest altera cum Moscis in Lithuania, quorum ad quinquaginta milia illuc intrantes recta Vilnam contendebant. Et licet divina aspirante clementia per illos subditos nostros alique speculatorum et predantium cohortes sint fuse, quo totus exercitus timore perculsus fugam cepit, et a nostris investigatur, tamen damnum ingens est illic patratum. Jamque dominium illud adeo deficit, ut nullo modo videatur, tantam belli molem sustinere posse.

Porro magister Prussie alia ex parte nobis impendet et occasionem belli ordiendi expectat et jam anno isto illud orsus fuisset, nisi dux brunswicensis, qui ad eas gentes ire debuit, fuisset per ducem Geldrie profligatus. Tamen magister assidue premit nostros subditos latrociniis, incendiis, cedibus et aliis modis adeo, ut iidem subditi nostri jam pene suis rebus diffidere videantur. Et proinde non licebit nisi illos perdere vel defendere. Unde angustie sunt, ut diximus, undique et hec eo difficiliores, quo segnius et inclementius de salute nostra et Reipublice consulimus. Et proinde hortamur Sinceritates vras., ut, dum adhuc consuli ac provideri possit, ne ad extremum pereamus, dent operam, ut diligentius consulatur Reipublice in conventu futuro et statuatur aliquid solidum magis quam prius. Nam ex iis contributionibus adhuc nil prorsus ad thesaurum est allatum, militem mercenarium usque huc accepta pecunia mutuo servavimus, et nunc post eam cladem tria milia equitum suscepimus etiam ere alieno contracto, quod nescimus, qualiter erit exolvendum. Atque ita vident Sinceritates vre. quam certa sit et sufficiens defensio ex contributionibus, quas quisque pro arbitrio suo contribuit. Et Respublica sensim labefit et in majores in dies vergit difficultates, quibus, quo lentius providetur, eo gravius erit omne onus ferendum. Bene valeant S. vre. Datum Cracovie mense Augusto.

LXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Janussio Swirczewski.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Generose. Non videtur consiliariis nostris, quod hostis noster, ubi mittere vellet gentes in terram nostram, mitteret sub Witepsko aut Poloczko, quia ille terre circum sunt desolate; verum timendum censent magis, ne mitteret sub Braczlaw et propterea volumus, ut ad quingentos equites, quos habet Joannes Boratinski, addas illuc adhuc quingentos, non ut in bonis Braczlaw jaceant, sed illic circum. Volumus etiam, ut absolutis stipendiariis juxta instructionem nostram proficiscaris ad Poloczko et Witepsko et eos stipendiarios, qui illic sunt disloces per districtus et villas, ubi commodius et minori hominum detrimento manere possent; sed ita loca metiaris, ut in omni eventu facile et convenire simul possent et arcibus adesse.*

LXXX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius. Joanni de Lubbrancz, Epo. Posnaniensi.

Post acceptam hanc cladem a Tartaris Mtas. regia timens, ne illi redeuntes parem vel majorem inferrent, habuit nunc conventum Sandomirie de resistendo tanto malo, et obtulerunt se liberaliter omnes hi subditi Mtis. sue cum illa in campum etiam absque terris istis Majoris Polonie proficisci, atque ita Mtas. sua redit Cracoviam parare se, ut, ubi necessitas ingrueret, posset e vestigio laborantibus rebus adesse. MDXIX. Cod. G. R

Accedit huic calamitati, quod Mosci numero quinquaginta milia et cum Tartaris sunt Lithuaniam ingressi et non solum late omnia vastant et populantur, sed Vilnam versus contendunt eamque visere omnino volunt. Dominus deus provideat, ne in tanta nostra incuria de his, que jam dudum prescivimus, videntes viventesque pereamus.

Ceterum Mtas. regia collato episcopatu vilnensi dno. Janussio, contulit preposituram posnaniensem dno. Crziczki, quam etiam, ut meminit vra. Rma. Dtio., dudum illi nonnihil promiserat, atque ita habebit eadem Rma. Dtio. vestra prepositum alumnum et servum suum addictissimum. Que felicissime valeat et me gratia solita complectatur.

LXXXI. Restes contra Tartaros publicate in Terris Min. Polonie et Russie, post Conv. Sandomierien. emisse.

SIGISMUNDUS, REX POLONIE, universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis, officialibus, burgrabiis et nobilitatis communitatibus, advocatis et scultetis ceterisque subditis nostris terras regni nostri incolentibus ubique et presertim terram N. et districtum N. de jure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis sincere nobis et fidelibus nostris dilectis gratiam regiam. Cod R.

Mgci. generosi, fideles, famati et providi sincere nobis dilecti. Post cladem hanc inopinatam, que nobis diebus preteritis per Tartaros est illata, licet ingenti dolore fuerimus affecti, tamen e vestigio id quod opportunum videbatur et facere potuimus, ne quis deterior eventus subsequeretur, militem mercenarium ad tria milia equitum pro presidiis et in locum profligatorum suscepimus, sed veriti tamen: ne hostis pari vel etiam majori vi rediens et presidia hec ut prius perfringeret et que libidinis et rabiei ipsius essent, perpetraret, conventum Sandomirie pro festo S. Bartholomei preterito super eo casu habuimus, in quo cum consiliariis et universa nobilitate illic existente statuimus et decrevimus, quod ubi hostis ipse tanta vi et potentia rediret, ut illi dicta presidia resistere non possent, nos cum universis nobilibus subditis nostris harum terrarum adversus eundem hostem proficiscamur. Qua in re tametsi nos omnem sumus diligentiam et operam adhibituri, ut non nisi in summa necessitate et cum aliter fieri non posset, hanc expeditionem faciamus, tamen, ne periculum aliquod in mora esset, et ne nos aliquid in tanta calamitate neglexisse videremur, vobis universis et singulatim unicuique servitium bellicum debenti, id denunciare voluimus

MDXIX. voluimus et denunciamus, mandamusque omnibus, ut equos, arma et alia bellica necessaria parata habeatis, quo ubi necessitas incumberet, que nonnisi repentina esse solet, et litere nostre in vim ultimarum restium per nos emitterentur, posset unusquisque sine mora ad locum, quem in eisdem literis restium designabimus, proficisci, Rempublicam et patriam suam ab extremo discrimine vindicaturus: pro qua nos non personam solum nostram regiam, sed etiam sanguinem ipsum, si ita expediret, sumus exposituri. Et ne quispiam de hoc mandato nostro aliquam ignorantiam suam pretendat, volumus: ut unus ad alium viciniorem presentes literas, cum illas perlegerit, transmittat; ultimus vero easdem loci capitaneo representet. Pro gratia nostra aliter facere non ausuri. Datum Cracovie fer. VI. prox. post. f. nativitatis domine nostre S. Marie.

LXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Capitaneis Terrarum.

Cod. G. Generose, fidelis, dilecte. Post cladem hanc etc. ut supra.... Quod ut ad omnium notitiam perveniat et ne nos in tanta calamitate aliquid neglexisse videremur, literis nostris id denunciarii et palam facere omnibus voluimus, quas mittimus in manus tue F. mandamusque illi, ut eas statim et omni mora posthabita per terras et districtus capitaneatus sui transmittat et circumferri, ut moris est, faciat ac in foris civitatum et oppidorum ac circa ecclesias diebus solennibus proclamari ac ad notitiam universorum et singulorum ad expeditionem bellicam obligatorum deduci faciat ut equos, arma et alia bellica necessaria parata habeant, ut, cum necessitas incumberet, que nonnisi repentina esse solet, et litere nostre in vim ultimarum restium per nos emitterentur, possit unusquisque sine mora ad locum, quem in eisdem literis restium designabimus proficisci. Factura tua F. pro debito officii sui et gratia nostra. Dat. Cracovie fer. VI. prox. post fest. nativitatis domine nostre S. Marie.

LXXXIII. Joannes Dantiscus, Orator, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. B. Rme. in Christo pater et dne., dne. gratiosissime. — Humillimam servitiorum commendationem. Scripsi penultima mensis preteriti, sed more Laconum, celeriter et breviter Dtioni. vre. rme., quod nunc etiam facere cogor, nam semper breve tempus ante poste expeditionem mihi datur notitie, nolunt fortassis, ut multa hinc scribantur, multum etiam de literarum mearum presentatione dubito, quia nescio, si redduntur, nullum enim ab eo tempore, quo exivi, recepi responsum, jam preteriere undecim menses. Cujus sim animi, facilis est conjectura. Ego toties scripsi et nullum tempus hic jucundius videtur, quam dum scribo illuc et ad illos, ubi et cum quibus libenter essem. Ea voluptate, qua hic afficior, possem pati, quod interdum hostes mei afficerentur. Ago hic hospes et extraneus, ab omnibus ut caveam necesse est, immo etiam ab iis, qui mihi amicissimi esse deberent. Iste

orator,

orator, qui nomine Illme. dne. ducis Mediolani hic agit, Gotifredus Caraczolus, qui omnes MDXIX.
istas moras data opera fecit, vellet enim hic perpetuo in hujusmodi Illme. dne. ducis expensis manere. Quantum solus mihi inferat molestie, et illi, qui cum eo sunt, servitores Illme. dne. ducis sciunt. Cogor ferre omnia, et fero patienter, ne ex nostris dissidiis quicquam mali rebus agendis nasceretur, quod summopere cupio. Peractis vero negotiis, cognoscet, me eum esse, quem hactenus non cognovit. Si illis interdum licet canere, qui compedibus vincti in ergastulis durissimos ferunt labores, cur etiam in hoc labirinto perplexus non jocarer. Sermus. dnus. meus, duce rma. Dtione. vestra, dedit me ut tenellum puerum, quem nostri Gregorianum vocant, scolis, que in hac aula sunt, in quibus quatuor hec magne habentur facultates: prima docet patientiam, sequens, non credere, alia dissimulare, ultima et hec potissima est, ingenue mentiri. Quantum in prima profecerim, ipse mihi sum conscius, in secunda quotidie audio lectiones, due iste posteriores, subtilius quam ego habeo requirunt ingenium, et nemo in his proficere potest, nisi a natura sit ad ea inclinatus. Rogo igitur Dominationem vram. rmam.: ad Mtem. regiam pro me intercedat, ut in primis duabus me non mediocriter eruditum revocet, ne ulterius hic immorando in sequentibus malitia vincat naturam. Credat Dtio. vra. rma., quod mirabile in rebus practicandis hic habetur gymnasium, beatus qui intelligit, datur tamen a me opera, quod hucusque nihil aliud quam moram hanc, quam collega meus fecit, lucrati sunt. Sed exitus probabit omnia.

Istas literas pro confirmatione pacis perpetue ad pontificem facile expedivi, quia fugi illos, quibus negotium cognitum est, et illi officiales, quos adhibui, nesciunt, ut novi in his rebus, quid fecerunt. Si quicquam aliud expediendum pro Sermo. dno. nostro, optima nunc esset commoditas; scribantur litere ad dnum. Georgium Turzo, Augustam. Huic descripsi ordinem, quomodo mihi mittende sunt. Si forsan presens non fuero, litere redibunt. Ego adhuc credo, quod rex me tam cito non expediet, licet causa, in qua hic sum, expediatur. Sic enim intellexi a cancellario. Cur tamen detineri debeam, me preterit, nisi ob eam rem, quod dicatur: hic esse aliquis a rege Polonie, quod nomen ante meum adventum penitus vulgo fuit incognitum. Itaque Dtioni. vre. rme. supplico, quid in his ac aliis rebus mihi amplius faciendum restat, me certiorem reddat et literas ad dnum. Turzo Augustam dirigat. Nullum erit periculum, sic enim hic cum factoribus Welser et Fuccarorum disposui, si in mea absentia litere ad me perferrentur, ut rursus Augustam remittantur. Velim enim ex quo in fatis mihi fuit, ut tamdiu hic agerem, ut Sermo. dno. nostro bene servire possem.

Cui queso Dominatio vra. rma. per occasionem me et servitia mea longamque meam a viginti annis servitutem commendet et me sibi in dies commendatiorem habeat. Omnis spes mea et si quid adhuc boni in orbe mihi reliquum est, omnisque mea fortuna in manibus Dtionis. vestre rme. sita est. Cui me iterum iterumque commendo. — Ex Barcinone die XVII Augusti.

LXXXIV. SIGISM.

LXXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo, Epo. Plocensi.

MDXIX. Ex cod. mss. bibl. Ossol.

Reverende. Quando nonnulli consiliarii regni nostri nos certiores fecissent, idquecum querimonia, quod Ptas. vra. istic cardinalatum affectaret commemorarentque et priorem ipsius curam, quam in ea re habuit, et que difficultates et dissensiones inde in regno accidere possent, ex priori ejusmodi eventu facile intelligi potest, cum rmus. olim dnus. Fridericus frater noster, cardinalis esset creatus, qui tametsi filius regis erat, magnus tamen secutus fuit motus et dissensio pro locis et aliis officiis exercendis: nos vero nolentes seditiones ac turbas intestinas domi videre, cum alias satis sit nobis externarum difficultatum, admoneramus secreto vram. Ptem., ut ab hoc cepto desisteret, putavimusque, quod eam rem in meliorem partem accipere et gratior esse debuisset, quam ejus litere declararunt, quod videlicet non aliquo alio modo, qui existimationi illius officere potuisset, id prohibere et continere voluimus, miramurque, quod ista metiens secum, quasi se lesam et male sibi gratiam referri queritur, cum tamen nos dignam et congruam rationem semper habuimus. Utcumque est, quando Ptas. vra. scribit: se in ea re nihil contra voluntatem nostram esse facturam, volumus et hortamur illam: ut ipsum cardinalatum non affectet, neque se creari curet, cum inde odia et simultates in regno posse excitari et nos id nolle intelligat. Pro fide sua et gratia nostra factura. Que bene valeat.

LXXXV. Pasquillus de quodam, qui Rome Epus. et Cardinalis esse laborabat.

(De Erasmo, Epo. Plocensi Cricius).

Ex cod. mss. bibl. Korn.

Istum quem pueri videtis ire
Septum tot famulis, equo superbo
Germanoque nimis tumere fastu,
Hic qui regis agens potentis Rome
Legatum, proprio sed istud ere
Ambit purpureum male galerum
Externosque subinde presulatus,
Nugis te, Leo, teque Cesar implens,
Nostis quod genus et quod iste stemma
Ducit: non facile est referre verum
Nec mirus mage Proteus videtur,
Ut qui patre fuit sutore primum
Dehinc, quod volgus ait malo, lirista;
Incertum tamen hic parens an alter
Caupona et meretrice matre natus
Querens Nobilium nitere signis

Gessit

Gessit cornipedem: sed inde constat MDXIX
Perjuros volucrem dedisse testes
Fronti nulla fides, minorque verbo
Et quam Sardanapalus egit olim
Vitam, nunc agit iste presul omnem
Idque matre bonam gerente Lenam
Et que preterea pudet referre
Patratasque neces, venena, falsum
Et quid non! meminisse prorsus horret,
Hunc curruca tuo Dea illa nido
Accepit cucullum, male Camenas
Tractantem et Citharam, tulitque ad astra
Celo illudere sic volens et orbi
Illa, inquam, Dea, ceca, stulta, et illa
Vulgo que spuriis favere fertur.

LXXXVI. Litere regie obligationis Custodie piscium Cracovien. pro fl. 6000 in moneta Salomonibus facte.

Sigismundus, dei gratia Rex Polonie, Mg. Dux Lithuanie etc., etc. Significamus tenore presencium quibus expedit universis. Quia exigente reipublice Regni nostri magna ac subita necessitate, cum Magister Prussie, coniuratione cum Moscis et Thataris aduersus nos facta, conductisque ex Germania gentibus, eripere nobis volebat terras nostras Prussie, que iure ad regnum nostrum pertinent et quas predecessores nostri nobis multo sanguine et impendio partas reliquerunt, de consilio Consiliariorum nostrorum status utriusque sex milia florenorum in moneta Regni nostri, triginta grossis quemlibet florenum computando a Nobilibus Andrea, Stanislao et Nicolao, filiis Nobilis olim Imbrami Salomonis, ciuis Cracovien., pro suscipiendis militibus mercenarijs in mutuum recepimus. Que quidem sex milia florenorum illis pro festo S. Martini anni futuri videlicet Millesimi quingentesimi vigesimi in verbo nostro Regio soluere promittimus et pollicemur. Quod si illis eadem sex milia fl. per annum pro die Sct. Martini predicto non soluerimus, extunc eis illa in et super custodia piscium, alias strosza, in suburbio Cracovien. sita et censu nostro Regio ex ea proveniente inscribendum et demonstrandum duximus inscribimusque et demonstramus harum serie literarum per ipsos Andream, Stanislaum et Nicolaum fratres et ipsorum successores legitimos custodiam piscium predictam et censum ex ea quotannis proventem cum omni iure, dominio et proprietate prout illam soli ad presens tenemus et possidemus, tenendum, habendum, vtifruendum, pacificeque et quiete possidendum tamdiu, donec illis aut illorum legitimis successoribus prefata sex milia fl. in moneta, modo premisso inscripta, fuerint per nos aut successores nostros plenarie et integre persoluta, quo facto possessio tandem dicte Custodie

Ex cod. mss. bibl. Korn.

MDXIX. *stodie piscium et census annui ex ea provenientis ad nos et successores nostros redibit et deuoluetur pleno iure. harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum Cracouie fer. quarta prox. ante fest. beatorum apost. Simonis et Jude.*

LXXXVII. Carolus Quintus, Rex Imperator, Basilio, Duci Moscovie.

Cod. G. R. Carolus divina favente clementia Romanorum rex imperator semper augustus, ac Hispaniarum, utriusque Sicilie, Hierusalem etc., archidux Austrie, dux Burgundie, Brabantie etc. comes Flandrie, Tirolis etc. Sermo. principi dno. Basilio, magno principi Ruthenorum, fratri nostro charissimo.

Postquam divina aspirante gratia ad s. imperii romani culmen nuper provecti fuerimus, nihil eque in hujus regni nostri primordio ad nos pertinere existimavimus, quam ut reipublice christiane quam maxime consuleremus illiusque conservationi atque exaltationi studeremus. Cui instituto nostro prosequendo cum inter alia potissimum christianorum regum ac principum concordia nobis admodum videatur necessaria, ut concordibus consiliis junctisque viribus christiani nominis hostes arceri et, que in communem omnium utilitatem facerent, aliquando possent promoveri. Cumque circa differentias, inter Sertem. vestram ac Sermum. fratrem nostrum Polonie regem jam dudum versantes, non ignoremus, felicis memorie divum cesarem Maximilianum, avum nostrum colendissimum, summo studio elaborasse, ut hujusmodi inter Sertes. vras. differentie sedarentur atque honestis mediis componerentur fueritque ea res immatura Mtis. sue morte interturbata et derelicta, dignum duximus, non tam pro nostra in hunc avum nostrum observantia, vestigiis illius inherendo, quam ob communem reipublice christiane utilitatem negotium istud resumere, studiumque nostrum inter Sertem. vram. et prefatum Sermum. Polonie regem interponere, quo hujusmodi inter vos differentie concordari, aut saltem inducie usque ad nostrum in Germaniam adventum, quem Deo favente intra paucos dies futurum speramus, firmari possent. Cogitavimusque ejus in causa propediem oratorem nostrum ad Sertem. vram. destinandum, qui hujusmodi inter eam atque Sermum. fratrem nostrum Polonie regem differentias componere aut saltem inducias usque ad adventum nostrum in Germaniam concludere et conficere debeat.

Ut autem hujusmodi oratori nostro ad Sertem. vram. venturo major bene negotiandi occasio detur, Sertem. vram. plurimum hortamur: velit contemplatione nostri interim nihil contra prefatum Sermum. Polonie regem via facti sive armorum attemptare, quod etiam fratrem nostrum, Polonie regem, ad requisitionem nostram facturam minime dubitamus. Cui etiam opportune de ea re scripsimus, ne nove interim difficultates, quibus concordia inter Sertes. vras. turbari posset, oriantur, et rei bene gerende spes et occasio tollatur et auferatur. — Velitque Sertas. vra. in securitatem oratoris nostri ad se venturi et totius comitive sue liberum ac salvum conductum pro prefati oratoris et suorum persona cum presenti nuncio

ad

ad nos transmittere. De quibus omnibus eandem Sertem. vestram duximus per presentes MDXIX.
certiorem reddendam, cui omni fraterno atque honesto studio respondere sumus parati. —
Datum ex Molendino regio die VI mensis Novembris.

LXXXVIII. Summa Legationis Hieronymi Balbi, Prepositi Posoniensis, Oratoris Ludovici, Regis Hungarie et Bohemie.

Imprimis que mala evenerunt in regno Hungarie ex dissensione omnium ordinum inter se, Cod. G. R.
presertim vero plebis et baronum, et quomodo in conventu vaciensi, qui habitus est anno preterito, multa indigna fuerunt constituta, que furor plebis exegerat, et quod assessores, qui tunc fuerunt electi et ad consilium regie Mtis. adhibiti, plus auctoritatis in omnibus actionibus et negotiis regni vendicare sibi volebant, quam utilitas publica et eorum conditio postulare videbatur.

Quod domini videntes nimiam plebis et eorundem assessorum licentiam indigneque ferentes, quod plebs tantum auctoritatis et imperii sibi arrogare volebat, depositis omnibus suis privatis simultatibus, convenerunt in unam sententiam, quod volunt esse concordes inter se et unanimiter consulere pro bono Sermi. regis et regni sui, illosque assessores excluserunt de consilio regio et soli absque plebe, ut prius erat factum, res omnes et negotia regni agere volunt.

Quieti ergo animi dominorum inter se, plebs etiam tranquilla est, cum desunt, qui eam excitent. Preterea inducias cum regno Hungarie Turcus firmiter observat, atque ita hodie in regno Hungarie et foris et domi est pax et tranquillitas.

Et quoniam vivente olim cesarea Mte. domini Hungari et nobilitas nunquam volebant recte et plene consentire in tutelam eidem olim cesaree Mti. et Sermo. regi Polonie delatam, eo quod videbant, quod utraque Mtas. omnia communiter agebat per oratores suos, apud eos vero invisum fuit nomen cesaris germanicum, negotium tutele nunquam potuit venire ad effectum, non propter Mtem. dni. nostri, cui jure nature et sanguinis nexu eadem tutela debetur, sed propter defunctum cesarem.

Nunc vero mortuo cesare et sublato hoc impedimento, domini consiliarii deferunt tutelam regis et regnorum suorum Sermo. dno. regi nostro, habent tamen et habere volunt hanc rem in magno secreto apud se; timent enim, ne, si permanaret ad plebem, intervenirent ita, ut prius est factum, multe difficultates. Sperant autem, quod et dominus vojevoda Transilvanie ibit in eorum sententiam, qui nunc est absens a Buda. Qui si etiam adversari huic rei vellet, certum esse, eum contra multos non prevaliturum, presertim quod favor plebis in eum est multum diminutus.

Deinde dixit, quod oratores utriusque Mtis., qui missi erant ad conventum electionis cesaree, valde et inepte et negligenter se gesserunt in rebus illis commissis, presertim in negotio matrimonii. In quo hoc responsum retulerunt: quod Sermus. rex Carolus petit in ea re

MDXIX. habere adhuc inducias unius anni, ut intra illum possit se explicare cum auctoritate sedis apostolice a priori nexu et connubio, quod contraxit cum filia Serenissimi domini regis Gallie. —

Que res multum permovit animos dominorum Hungarorum, considerant enim, quod Serma. dna. Anna, que est jam XVI annorum, manet tamdiu in suspenso in manibus alienis cum magna indignitate tam domini regis sui, quam etiam Sermi. dni. nostri, resque videtur iis ridicula, quam pretendunt commissarii Sermi. dni. regis Caroli de induciis unius anni et dispensatione apostolica, nam nulla sunt sponsalia ante septennium.

Quod etiam attinet ad ducem Ferdinandum, licet ejus nomine quidam fictus procurator contraxerit matrimonium cum dna. Anna per verba de presenti; certum tamen est, illum tunc imo nec adhuc etatem legitimam ad contrahendum matrimonium habuisse, et ob hoc Carolus rex posset nunc optime contrahere cum domina Anna, nam sponsalia solvuntur per matrimonium per verba de presenti contractum.

Quia autem scripserunt commissarii Sermo. dno. regi Ludovico, quod futuri sint circa festum omnium Sanctorum in Insbrug ad componendas res illius provincie et deinde in Lincz et tandem ad Austriam circa festum Scti. Martini venire deberent, postulando, ut illuc Mtas. sua oratores suos mittere velit, cum quibus tractare possint de negotio matrimonii predicti, dixit, quod Sermus. dnus. rex Ludovicus deliberavit, omnino mittere illuc oratores aut oratorem suum, et quod etiam Sermus. dominus rex noster mittat illuc oratorem suum, ut ibi tractetur etiam de matrimonio Sermi. Ferdinandi cum primogenita Mtis. sue. Et quod si ibi non posset concludi negotium hoc matrimonii, quod oratores ipsi vadant inde recta ad Sermum. dnum. Carolum.

Dixit post hac, quomodo domini Bohemi a multo tempore postulant, quod Sermus. dnus. rex Ludovicus vadat in Bohemiam, et quod nullo modo posset componi debite status illius regni absque presentia illic Mtis. sue, interponendo etiam minas, quod nisi venerit, vellent sibi constituere alium regem et dnis. Ungaris et regno Hungarie bellum movere. E diverso vero dni. Hungari non censent, ut illuc vadat, timent enim, ne subeat discrimen corporis et vite sue illic Mtas. sua. Et jam nunc responderunt oratoribus dnorum. Bohemorum, quod Mtas. sua non potest nunc ad eos venire. Designarunt vero oratores ad eos cum plena facultate omnia agendi et concludendi ac si solus rex ibi esset: dnos. ducem Carolum et episcopum Jawriensem, qui tamen omnino nihil ibi facient. Sed et dominus Jawriensis ire non poterit propter adversam valetudinem suam.

Referunt igitur hanc rem dni. Hungari cum Sermo. rege suo ad Mtem. regiam et rogant, ut consulat, quid sit faciendum.

Hic dixit, quod cum tutela, que defertur Mti. regie, publicari non possit, neque modus illi statui, nisi cum Mtas. regia cum Sermo. rege Ludovico nepote suo conveniret, dominis vero Hungaris non esset tutum neque integrum, Mtem. suam ad se vocare propter suspicionem, que de eis haberi possit, in eam devenerunt sententiam et ita nunciarunt per ipsum dnum. Balbum: quod Mtas. sua declararet per eum Mti. illi, quod propter negotium matrimonii et alia multa cuperet Mtas. sua cum illius Mte. convenire Posonii aut in Moravia in aliquo loco, et prefigeret diem, quo is conventus fieri deberet, si id fieri posset,

sin

sin minus, quod de die conventus nihil adhuc statueret, sed quod illum per literas suas MDXIX.
Mti. illi posthac tunc cum esset soluta his difficultatibus, quibus nunc est implicita, significare vellet. Ita enim putant hoc secretum suum occultum futurum et nulli impedimento obnoxium fieri posse.

Ceterum de negotio pruthenico quod cum allate essent ad Sermum. dominum regem Ludovicum litere Mtis. regie, quibus declarata sunt molimina magistri Prussie, et quomodo conjurasset contra Mtem. suam cum Moscis et Tartaris et gentes adversus Mtem. suam ex Germania duceret, molesto animo id tulit Mtas. illa et domini Ungari, qui non minus eam rem in animum suum induxerunt ac si capiti uniuscujusque illorum grande incendium ac periculum immineret. Norunt enim si quid adversi accideret regno Mtis. sue, id etiam in regnum Hungarie et regna alia Sermi. domini Ludovici redundaret. Sed et indignibantur, quod magister oblitus debiti sui et ejus conjunctionis, que illi est cum Mte. regia, talia contra illam moliri audeat.

Et proinde inprimis id quod optabat Mtas. regia, date sunt litere ad Bohemiam, Moraviam et Slesiam, ne gentes permitterentur ire illinc ad magistrum contra Mtem. suam.

Preterea designatus est orator ad summum pontificem, dnus. Philippus More, qui nomine Sermi. dni. regis Ludovici declararet illius Sanctitati ea, que fecit magister Prussie adversus Mtem. regiam, ut illius Sctas. mittat contra illum et ejus subditos censuras ecclesiasticas, ex eo, quod confederatus cum Scismaticis et Infidelibus, tantum negotium exhibet Mti. sue regi christiano, et qui continue pro fide et nomine Christi depugnat. Non dubitant vero dni. Hungari, quod id haud gravate faciet illius Sctas. et indignanti animo feret hanc magistri proterviam et nimiam audaciam. Sed et preter solum dominum marchionem Joachimum, qui ut homo venalis voluit vendere imperii romani libertatem et transferre imperium ad Gallos, corruptus pecunia, exclusis etiam fratribus magistri, non dubitant dni. Hungari, quod ceteri domini electores et principes Germanie propter conjunctionem et affinitatem, que est Sermo. regi Ludovico et Mti. regie cum Sermo. dno. rege Carolo, erunt omnes pro eadem Mte., nec in causa tam injusta et iniqua magistro adherebunt. Quia vero timet Mtas. Sermi. dni. regis Hungarie cum suis consiliariis, ne si Tartari et Mosci simul irrumperent, ut inter eos est conventum, in dominia Mtis. regie, et magister ex alia parte, regnum et dominia Mti. sue, inciderent in grave periculum et ruinam, commisit dno. Balbo, et si ita visum fuerit Mtis. sue ipse nomine illius Mtis. sue illuc vadat ad magistrum, ut eum ab inceptis cohibeat honestis suasionibus, id quod totum reponitur in arbitrio regie Mtis.

Misit etiam in eadem causa dnus. Georgius marchio nuncium suum specialem.

LXXXIX. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, H. Balbo, Oratori Regis Ludovici.

Que Dtio. vra. nomine Sermi. dni. regis Ludovici et optimatum illius regni coram s. Mte. regia graviter et copiose disseruit, eorum hec summa fuit. Cod. G. R.

Retulit

MDXIX. Retulit in primis, quanta et quam periculosa fuerit hactenus dissensio inter optimates et plebem regni Hungarie, fovente illam nonnullis ex optimatibus etiam ipsis. Quo factum sit, ut et multe indigne constitutiones regni fuerint in conventibus edite plebis arbitrio et tutela cesaree olim Mti. et huic Mti. regie commissa non potuerit, inviso apud plebem ipsam Germanorum nomine, debitum et verum effectum suum sortiri.

Nunc autem optimates invicem omnes rediisse in gratiam et in unum omnes sentire decrevisseque plebis jugum excutere, et etiam tutelam Sermi. dni. regis sui regnorumque ejus huic Mti. regie committere ac deferre.

Verum id secreto agi oportere, ne plebi suboleat ac inde turba aliqua concitetur, neque id ipsum confici posse commodius et tutius, nisi mutuo utriusque partis conventu, qui ut non ex dominis Hungarie regni processisse videretur, ex his justissimis causis statui et res ipsa obtegi posset. Videlicet propter negotia communium regnorum utriusque Mtis. et presertim matrimonium Illme. dne. Anne reginule in perplexo constitutum, neque unacum aliis negotiis necessariis curatum et provisum per utriusque Mtis. oratores in conventu electionis imperialis, ut oportebat, et per omnia verba illis esse data, et quod ex hac et aliis causis necessariis significaret Mtas. sua Sermo. dno. regi Hungarie, se cupere et oportere cum illius Mte. convenire. Utque jam Mtas. sua diem ejus conventus per Dtionem. vram. illius Mti. designaret, vel per suum nuncium postea declararet.

Ceterum retulit, commissarios Sermi. domini regis Caroli scripsisse Mti. regis Hungarie, se circa festum Sct. Martini in Austriam venturos, et postulasse, ut mitteret illuc Mtas. sua oratorem, cum quo negotium ipsius matrimonii conficerent, et ubi id per eos transigi non possit, iret cum illis in Hispaniam, usque ad ipsum regem.

Decrevisse vero Sermum. dnum. regem Ludovicum mittere illuc unum oratorem, postulareque, ut alterum hec quoque Mtas. mitteret, ad conficiendum hoc ipsum matrimonii negotium, et si opus foret in Hispaniam proficiscerentur, quodque interibi agi et de matrimonio primogenite filie hujus Mtis. etiam confici posset.

Retulit preterea, qua pertinacia et comminationibus instant domini Bohemi, ut Sermus. dominus rex Ludovicus ad regnum illud concederet, dominos vero regni Hungarie vereri, ne illic in discrimen vite veniret et propterea recusasse illius Mtem. mittere, consilium tamen in hac re Mtis. regie sequi velle.

Postremo declaravit, quid Sermus. dnus. rex Ludovicus et domini regni Hungarie ad postulationem Mtis. regie de negotio pruthenico effecerint, et de nuncio ad pontificem designato, nec non etiam de profectione Dtionis. vestre ad magistrum, ubi id ex re videretur. Ad que omnia Mtas. sua Serma. hoc Dtioni. vre. responsum dare mihi commisit.

In primis libentissime audivit Mtas. sua, mutuam factam esse concordiam et consensum inter dominos regni Hungarie, non dubitat enim sic omnibus tum Sermi. dni. nepotis sui negotiis rectius provisum iri, tum statum illius regni meliorem firmioremque futurum.

Quod autem illorum Dtiones. tutelam Mti. sue Serme. offerunt, quamquam illam Mtas. sua nunquam ambivit et satis sit illi negotiorum et curarum domesticarum, ne foris querat; tamen, ne hanc dominorum Ungarie benivolentiam in se et munus oblatum rejicere et parvi pendere videretur, utque illorum studia et propensionem in se retineret, libenter eam

tutelam

tutelam acceptabit idque totum ex se prestare curabit, quod viribus et facultate sua pro bono statu Sermi. dni. nepotis sui et regnorum ipsius consequi poterit, nihilque sine voluntate et communi consilio dominorum Ungarie unquam aget. MDIXX.

Ut autem ea res tranquillius et secretius conficiatur, statuit Mtas. sua ita ut Dtiones. illarum censuerunt convenire una cum Sermo. dno. nepote suo ex his causis, quas Dtio. vra. vere et copiose explicavit: videlicet de matrimonio Illme. dne. Anne nullo certo fine constituto ac aliis negotiis communium regnorum utriusque Mtis.

Et postulat Mtas. sua, ut jam vestra Dtio. eam voluntatem suam conveniendi cum Sermo. dno. rege Ludovico illius Mti. referat ex causis predictis idque vel Posonii vel in Berna, diem vero ipsius conventus primam dominicam Quadragesime illius Mti. declaret; sperat enim Mtas. sua, se interea temporis suas difficultates aliquo modo sistere posse et commodius ex regno discedere.

Quod autem Sermus. dnus. rex Hungarie nuncium ad mandatarios domini regis Caroli vel etiam in Hispaniam causa conficiendi matrimonii dicte Illme. dne. Anne mittere destinavit, et probat Mtas. sua et suum etiam, ut illa postulat, una libentissime mittet.

De profectione Sermi. dni. regis Ungarie ad regnum Bohemie, quo ea minus a dnis. Bohemis exigatur, scribet illis Mtas. regia de instituto suo conveniendi cum illius Mte., hortabiturque illos, ut sinerent illius Mtem. se interim prestolari. Verum non videtur Mti. sue, ut postea illis negetur ipsa profectio, ne quid in regno illo tumulti inde oriatur et graves difficultates alique sequantur.

Quod reliquum est: agit et habet Mtas. sua Serma. immensas gratias Sermo. dno. regi Ludovico et dominis Hungaris, quod ea, que magister Prussie adversus eam conatur, quasi pro communi re habeant, nunciumque ad pontificem designarent, qui ejus indigna facinora illius Scti. declaret ac ageret, quo illum Sctas. sua excommunicationibus a cepto desistere ac debitum Mti. sue prestare cogeret: utque eundem nuncium ita ut designatus est illius Mas. mittat ac id ipsum agere committat, plurimum illam Mtas. sua rogat.

Verum quod ad profectionem Dtionis. vre. ad magistrum ipsum attinet, quia per id omne tempus multi tractatus etiam nomine pontificis et cesaris defuncti fuerunt inter Mtem. regiam et illum, in quibus ille nihil studuit aliud quam Mtem. suam verbis et induciis in longum ducere, donec eo ventum est, ut Mte. regia omnia prius experiri volente quam ut arma contra illum, et christianum et necessarium suum, sumeret: et tempus multasque occasiones coercendi illum pretermisit et ille interea res omnes suas libere disposuit, non dissimulans etiam, que moliebatur, premendo assidue subditos Mtis. sue vectigalibus, carceribus, incendiis et latrociniis, querendo etiam subsidia et societates adversum Mtem. suam non solum cum christianis principibus, sed cum Scismaticis ac Infidelibus, quo factum est, ut anno presenti, facta cum Moscis et Tartaris conjuratione, ut uno eodemque impetu Majestatem suam omnes adorirentur, eduxit ex Germania magnum militum numerum egitque cum domino episcopo varmiensi, ut sibi transitum cum tormentis bellicis et gentibus suis preberet, et nisi milites illi paulo serius venissent, cum jam Mosci fugati essent ex Lithuania et Tartari utcumque superiores presidiis Mtis. regie, non sine tamen multo suo sanguine effuso, discesserunt, multa mala magister ipse patrare potuisset, propter quod cum

MDXIX. jam adeo aperte se hostem Mtis. regie declaravit, omnes regnicole decreverunt, ut Mtas. sua illuc proficiscatur et eum ad debitum prestandum cogat.

Non videtur itaque Mti. sue, ut, rebus sic stantibus, Dtio. vra. ad illum vadat, aut iste alter nuncius domini marchionis, ne ille putet, id a Mte. sua subornatum esse, neve timeri se credat occasionemque habeat, suam libidem deinceps explendi.

Grata est tamen plurimum Mti. sue hec cura Sermi. dni. regis Ludovici et dnorum. regni Hungarie, tum etiam Dtionis. vre. studium, quod obtulit, et curabit id illi omni favore et beneficentia sua regia semper referre. Ubi vero postea videretur esse opus tractatibus aliquibus cum ipso magistro, tum demum Mtas. sua id illius Mti. declarabit.

XC. Pacta et Ordinatio inter Poloniam et Valachiam de justitia utrimque facienda.

Cod. G. R. Sigmunt s Boszei laski Crol Polski, wielikie kxiąze Litewske, Rvski, Pruski etc. pan i dziedzic. Jawno cziniemi tim to listem wssitkim nynyeissim y potim będącim, isze chcząc vczinic a postanowicz pokoi a sprawiedliwoscz miedzi poddanemi Coroni nassei a zwlascza ziem Rvskich y Podolskich s gednei stroni, a miedzi wielmoznim panem Stefanem Vojevodą y iego poddanemi ziemie Moldawskiei s drvgiey stroni: kv ktorei rzeczi takego pokoiv postanowieniv a srządzeniv wislalismi bili s obogey stroni na dzien piątkowi blisszi po swięczie nawiedzenia Pannei Mariey lata narodzenia Boszego, niszei napissanego wielmosznego Ottą s Chodcza, Voidą. Ruskich ziem y tess Haliczkego, Colomyskego y Sniatinskego starostę, a vrodzonego Mikolaya Jskrziczkiego, stolnika ziemie Cameneczkei, s vrodzonemi a slachetnimi radami a vrzędniki pana Stefana Woydi. Moldawskego, s Rhinkewiczem y Talabą, Starostami Chocimskemi s Jwonyssem, Schatrassem, Kyrsszą, Humyennikem, Petricą Starostą Czarnowiestkim z drvgey stroni: ktorzi będąc pospolv postanowili y namowili vedle porvczenia nassego Crolewskiego y tess pana Stefana Vojewodi Moldawskiego, iako od tich czassow ma się zachowacz miedzi obiema stronoma prawo pograniczne. —

Item: naperwe ma biwacz na kaszdi rok sgiem na swięta S. Troyce, na brzegv rzeky Dnyestra preciw zamkv Chocimowi.

It. drugi sgiem ma biwacz na Colaczinie tak weswanemv mieyscv po tim seymie nad Nestrem we dwie niedzieli.

A iednego rokv sgiem ma biwacz na ziemi a na stronie ziem nassich Podolskich y Ruskich, a drugiego roku na ziemi na brzegv y na stronye pana Voiewodi Moldawskiego takiess pod Chocimem y takiess na Colaczinie.

It. na tych seimach ma bicz naprzod sprawiedliwoscz ludziem y poddanem wssitkim nassim, a przewozi wolne bicz maią przess zadney zaplaty.

It. na tych to seymiech, gdibi kogo obwiniono, tedi ma bicz przisiąga samotrzecią; ale na kogo bendzie zaloba, ma pierwey postawicz czterech swiadkow, a s tich to czterech swiadkow powod abo ten cto zaluye ma dwu wibierac ctore bendzie chciall, a cy dwa swiadkowie,

wie, ktore powod obierze wespolek s jsczem, mayą przisiągą vczinicz wodle obiczaia przi- MDXIX.
sięgi zwiklego.

It. o slodziegiach tak postanowili, isze o zlodzieystwo obwinieni czteri rasi moze sią przysięgą wiprawic, a po czwartim razie o zlodeystwo obwinioni niema przisiągac, ale ma bicz obiesson yako yuss iawni zlodzey: a thim swego zlego vczinkv zaplatą swoią wziącz.

It. gdi kto będzie miall potrzeba gydz s nassich ziem do ziemie Moldawskiey pana Steffana Voyewodi Moldawskiego za sladem zlodzeyskim za swoyim towarem vkradzionim, ten ma chodzic w takiey przigodzie bes listow tich to starost pogranicznych, bezpiecznie y dobrowolnie przez wselkiego hamowania.

It. komv się stanie wielika krziwda a niesprawiedliwosc, tedi takowi czlowiek ma prossic sobie listv v tich to starost pogranicznich, a za takim listem abi gemv sprawiedliwosc bila vcziniona.

It. kto pobieszi za zlodzegem abo za rozboyczą swoym sladem naglim abo gorączim, a znaidzie swoy towar lycem, tedi taki zlodzey ma bicz obieszoni, a towar abo rzecz kradziona czlowiekowi ma bicz wroczona; wssakoss s tego towarv dziesiąti gross ma dacz ten czlowiek y polozic, a policznego dac oboya strona nie będzie powinna.

It. gdi s nassey crolewskey ziemie do ziemie pana Vojevodi Moldawskiego zlodzieie snamienyci vciekli bi a zbiezeli, tedy zlodzey taky ma bidz obieszon. A takiess gdibi s ziemie pana Vojevodi Moldawskego do nassey ziemie crolewskey zlodzyegie takowi vciekli, tedi taki zlodzey znakomiti ma bidz obieszon, a wssakoss za takimi zlodzieimi s listi tich to starost kaszdi ma chodzicz. A gdy ony to napiszą, a w lisciech swoich oznaimią, iss iest snakomiti zlodzey, taki za dowodem listow takich staroscinich pogranicznich ma wziąc zaplatę vczinkv swego zlodzieiskiego.

It. gdibi pan ktori abo ziemianin yle vrzędnik Wataman rzekl: isze tego zlodziegia nie mass v niego, tedi ten to pan ziemianin, abo vrzędnik Wataman ma rzec na swą wiarą y na dusszę: isze v niego i v geho gymieniv takiego zlodziegia niemassz. A wssakoss to ma bidz za takim obiczaiem rosvmiano, gdziebi pan swą ossobą bil sam a myesszkal w gimieniv, tedi takye przirzeczenie ma bidz vcziniono. A ieslibi się to sstalo v ziemianina prostego, tedi ten ziemianin ma sam tilko przisiąc, a tim sam siebie i gimienie swoye oczisscitz. Ale vrzędnici, voitowie y Watamanowie, gdzie pan swą glową nie mięszka w gimieniv maią przisiąc w ten obiczai: isze takiego zlodzieya w gimieniv gich rządow a doglądania niemass.

It. gdibi kto nie chciall przissiąc yako wissey opisano gest, tedi taki ma gimieniem szkodą wssitką placic iako czlowiek vszkodzony, będzie sszkodę sszaczowall, abo zlodzieya iemu ma vidac abo dac. A kiedi otprzisiąze, tedi ten czlowiek zlodzieia swego ma y będzie volen sobie patrzic a sszvkac a starostowie moczni będą kasszdego zlodzieya moczą pana sswego poimac y obiessic.

It. geslibi się to tak nalazlo, issbi ktori nesprawiedliwie przisiągl, a zlodziey nalezion bi bil w geho giemieniv ktori przisiągl, tedi ten a taky ma obiema stronoma y zobu stron skodę wssitkę placic abo zlodzieya vidac.

It. kto będzie slad gonic za swem towarem abo za ktorą szkodą, y przivdzie sladt na tę stronę Nestrv, tedi on ma stąmpic trzi stopienie ot brzegv, ktorego pana ziemia będzie,

a ten

MDXIX. a ten pan ma ten sladt wziąc a swoyą zemią ocziscitz a ma swiatki, abo gednego swiatka zostawicz na sladv a sam ma poydz y dac snac cziya iest ziemia. A gdi gego ziemia bendzie pusta, tedi ten czlowiek, kto gorączo gony ma obwiescitz gymienie nablissze od onego myeiscza czo gony sladt, a tak ma bicz vcziniono s obv stron. A gdi bi kto tego sladv niebendzie mogl otprawic, tedi taky wssitką sszkodą ma oprawic y zaplacic, a kiedi ten pan bendzie mowic, ze nieiest gego ziemia a niedan gest yemu sladt, tedi ma pan sam przisiądz, a Wataman samotrzec a tim ma swą ziemią ocziszczitz.

It. kto będzie mocz sobie lyst za swoyą skodą wiprawicz v Starosth granicznych, tedi ten czlowiek ma dacz za lyst dwie asprze, a w bronach s obv stron nic dac ludzie niemayą.

It. kvpczi s obv stron hamowani a zabawieni bic niemayą za zlodzieyski vczinki, ani v tich kvpczow zadni towarv any kony zabawiac a zapowiedziec niema, a yesli kto zastanie swoi towar, rzeczi abo konie, tedi ten kvpiec ma dac zastąmpczą a postawic go ma na mieyscv gdziebi seymi przerzeczone traffilibi są a bili.

It. Gdi bi ktori czlowiek z obogey stroni konia abo towar swoy v drvgiego zastal w ziemi nassey, tedi tacy ludzie mayą są zawodzic zastąmpczami przet starostami nassemi Camieniecczkim y Haliczkim, w ktorey ziemi taka rzec iszbi są przidala. A gdibi takiess przidalo są ludziem a poddanim ziemie Moldawskiey a pana Steffana Voyewodi Moldawskiego tego sprawa a zachod taky ma bidz przet starostami pana Steffana Voyewodi Chocimskim y Czarnowieczkim.

It. takowi zachodztza ma są zawodzic do czwartego zachodce a ot czwartego ma taky towar pieniadzmi placitz, abo gdibi niemal pieniądzi tedi gardlem ma zaplacic.

It. poberczniczy s obv stron, gdzie ktorego czlowieka abo zlodzieya gymą, tedi cy pobeczniczi tego czlowieka abo zlodzieya postawic mają przed starostami, a yeslibi bil winyen, tedi sszyią vczinkv zbidz ma.

It. ktobi przissedl za zlodziegiem, a naydzie swe lice, tedi starostowie takiemv czlowiekv wssitko mayą wrocicz a wsszakoss starostam stego dziesiąti gross ma bidz dan.

It. kto są sprawi przet starostami, temv wssitko ma bidz wroczono, telko ma dacz dwanasczie aspr viesznego.

It. ieslibi pobiercznicy kogo gymą abo czlowieka albo zlodzieia, a ot niego wssitko odbiorą a przet starosty go przywiodą, a ot zlodziegia czo wgiąwszi abo giąwsszi go staroszczie nie powiedzą, to ych gardla nieodpustne placyc maią, gdi się na nie dowiedzą.

It. cy pobercznicy prawych lvdzi any gimowac any bątowac any przeskadzac any ych odzierac niemayą.

It. gdibi kto s obogiey strony dziewkę, zonę abo wdowę sgwalcill abo gwaltem wziąll, tedy taki gwaltownyk ma placyc osmnascie kop Podolskich a na Valaską lidzbą aspramy szesc dziesiąt zlotich Valaskich.

Il. yeslibi nat takim gwaltownykiem zamordowanie stalo się, o takiego nie ma bic nic mowiono.

It. a kto dziewkę s gey dobrą wolą a prziasliwie vesmie, ma dac poltori kopi, a lidzbi Valaskey piącz zlotich asprami.

It. gwaltem abi zadni z obv stron na ynego ymienie nienagiesdzall, a yestli kto bendzie na

kogo

kogo nagieszdzal s obv stron a bendzie tego znak, tedi starostowie s obv stron bendą po- MDXIX.
vinni ogladac a dostatecznie dowiedziec sią o tim gwalcie. A iestli bendzie tak prawda, tedi gwaltownik bendzie powinien placic wssitką szkodą s obu stron, na kogo gwaltv dowiodą, abo gardlem ma gwaltownik placic szkodą.

It. ma bidz wolnosc s obv stron gimienia osadzac na swem brzegv kazdemv.

It. zaplatę, ktorą na seymie ktorim skazą na kim, tedi ludziom nassim poddanim we dwie niedzieli, a potim ludziem pana Voievodzinim za tydzien zvpelna zaplata ma bidz uczyniona. —

A to wssitko wissey postanowienie tak sią skutecznie stalo kv ktorey rzeczi vtwierdzeniv a zachowaniv z srządzenia y vmowi wisszey opisaney piecząc nasszą kazalismi przywiesic ktemv to listowi, ktori gest pisan a dan w Crakowie w niedziela blisszą przet S. Wawrzinem lata ot narodzenia Bozego MDXIX a krolowania nassego roku trzinastego.

Ordinatio haec typis exarata reperitur in tomo IV. operis inscripti: Pomn. hist. Mich. Wiszniewskiego.

XCI. Modus firmande pacis per Jacobum Seczignewski, Oratorem ad Cesarem Turcorum missum.

Inprimis pax et fedus suscipi debet ad triennium et juramento cesaris firmari. Cod. G.

Item: quod nullum damnum per cesarem aut per subditos ejus regie Mti. ac ejus subditis inferatur et mutua charitas inter utramque Mtem. et subditos earum conservetur.

Oratores ac nuncii ex utraque parte quoties toties necessario ire et redire secure et sine ulla violatione possint.

Captivi, qui capti sunt sub treugis, libere et sine pretio redemptionis restituantur, et captivi alii, quicunque fuerint, libere ad redemptionem sui permittantur.

Mercatores ex utraque parte ultro citroque, h. e. Turci ad nos, nostri vero ad illos libere ut transire possint, solutis tamen vectigalibus et teloneis consuetis.

Si aliquis mercator tam subditus Mtis. regie quam cesaris Turcorum decederet ex hac vita in dominiis alterius, illorum bona a nemine occupari debent, donec testimonium, aut propinqui ejus cum significatione domini sui venirent, quibus bona restitui debebunt.

Ut ab utraque parte justitia iis omnibus, qui eam requirerent, ministraretur.

Et iste res omnes debent juramento sic firmari, ut pars utraque illas inviolabiliter observet, h. e. ut cesar Turcorum ea omnia, que constituta fuerint, illic juraret observare, hoc ipsum Mtas. regia coram nuncio illius, quem huc mitteret, faceret.

XCII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Georgio de Baisen, Palatino Marienburgensi, Capitaneo Gnewensi.

MDXIX. Cod. G. Mgce. dne. amice et fautor honorande. Dolemus vehementer crudelibus et indignis modis premi assidue subditos Mtis. regie ex terris ordinis dubiique sumus et incerti, si bellum propterea dno. magistro inferri debeat nec ne. Sumus enim memores eorum, que vestra Dtio. recensuit et postulavit in conventu piotrkoviense preterito nomine consiliariorum et totius nobilitatis istarum terrarum Prussie, h. e. ut Mtas. regia bello aggredi dictum magistrum nequaquam in animum suum induceret. Nescio vero, si utile foret hoc tantum jugum semel excutere, an perpetuo tot ignominias et crudeles injurias vindicare et pacem nobis et subditis nostris facere. Valeat et sit felix vra. Dominatio et me diligat. Datum Cracovie.

XCIII. Petrus Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Joanni de Lusianis, Epo. Culmensi.

Cod. G. Rme. in Christo pater et dne. major honorande. Durum et valde molestum est nobis audire tot clades, cedes et injurias, quibus subditi Mtis. regie ex terris ordinis continue afficiuntur. Cum enim dominus magister cognoscat, sibi vires non esse, ut bellum nobis inferat, iis saltem artibus cupit ad aliquas sibi utiles conditiones pacis pervenire. Ego vero illi non hac via procedendum esse ad comparandam pacem censerem, nam eo quod facit plus exacerbat contra se et Mtem. regiam, avunculum suum, et omnes alios homines, quorum benivolentiam maxime sibi retinere deberet, et cum abuti non cessat nimia mansuetudine ejusdem Mtis., opus erit cogitare nobis, quomodo subditi istarum terrarum fiant securi a grassatoribus, ut ille cognoscat: Mti. sue ea displicere, que adversus illos facit.

Non dubito vram. rmam. Dtionem. jam intellexisse, Sermum. dnum. Carolum, regem Hispaniarum, concordibus omnium principum electorum votis et animis, in vigilia Sctorum. Petri et Pauli apost. esse in regem Romanorum declaratum, quod illi et reipublice christiane felix faustumque sit. Me vre. rme. Dtioni. commendo et valere illam felicissime desidero. Dat. Cracovie.

XCIV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Ebrehardo Ferber, Burgravio Gdanensi.

Cod. G. Nobilis et strenue dne. aulice charissime. Intellexi abunde ea, que mihi scripsisti et copiam literarum Mg. commendatoris legi et Mti. regie singula retuli. Non latent ista jam diu Mtem. suam. Nam dnus. magister adhuc Berlini questus est coram fratribus suis de hac

hac re, quod videlicet habeat captivum monachum, qui confiteretur, se instructum fuisse a nonnullis subditis et consiliariis Mtis. sue ad vite illius interitum. Et quum apud Mtem. suam in nuptiis fuit, dnus. marchio Casimirus, frater illius, inter cetera dni. magistri facta id illi Mtas. sua exprobravit. Ego doleo, vos in numero istorum inculpatorum esse, sed cum ea res nullum habeat fundamentum et captivis fides dari non debeat, qui in aliena potestate constituti id referunt, quod illis precipitur, neque etiam vos quisquam culpat coram Mte. regia, ubi locus esset; nihil enim unquam dominus magister Mti. sue de hac re scripsit, movere vos nihil debet hec frivola inculpatio, neque timendum est, ut aliquid honori vestro officere possit. A vi etiam qualibet Mtas. regia vos tanquam fidelem suum subditum semper tueri vult et poterit. MDXIX.

Burgrabiatum Mtas. regia vobis liberali animo contulit, in qua re, quod amici fuit officium, ego non pretermisi. Feliciter valeatis.

XCV. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V., Cesari.

Serme. ac excellentissime princeps. Commendaveramus superioribus diebus Mti. vre. operam, fidem et servitutem generosi Bretislai Swihowski, Sermi. nepotis nostri curie magistri, quam olim divo Maximiliano, cesari et avo Mtis. vestre, impendit, unde quandam provisionem ab ejus Mte. sibi promissam nunc ipse Bretislaus a Mte. vra. sperat, cumque non minori studio atque observantia quemadmodum pro comperto habemus Mti. vre. addictus esse cupiat. Pro eo has nostras commendaticias libenter dedimus rogamusque Mtem. vram. pro fraterno nostro in eandem amore, ut illi has nostras, quas iterum scribimus, cum effectu commodas et fructuosas fieri permittat, ne eas etiam apud Mtem. vram., cui pari vicissitudine semper respondebimus, inanes fuisse sentiat. Deus opt. max. Mtem. vram. etc. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

XCVI. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali Gurcensi.

Rme. in Christo pater. Generosus Bretislaus Swihowski, qui olim divo Maximiliano multa fide et studio, quod etiam Ptem. vram. rmam. non latere scimus, fideliter servivit, sibi quandam provisionem promissam ab ejus Mte. asserit. Scripsimus igitur Sermo. Romanorum regi, fratri et consanguineo nostro charissimo, ipsius Bretislai servitutem commendantes. Affectamus itaque, ut ei Dtio. vra. rma. opituletur, quo id, quod sibi fert promissum, facilius possit consequi. Rem nobis gratissimam etc. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

XCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V., Cesari.

Serme. etc. Intelleximus non vulgari testimonio, venerabilem et religiosum fratrem Joannem Augustianum ordinis predicatorum theologum, sua doctrina, virtute, religione et in rebus agendis industria Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

MDXIX *industria et dexteritate Sermo. fel. mem. Maximiliano cesari, avo Mtis. vre. et fratri nostro desideratissimo; plurimum fuisse acceptum, unde ipsum Mtas. illius et negotiis suis non levibus prefecerat et ad episcopatum tergestinum, cum primum ille vacaret, provehere non solum decreverat, sed etiam coram multis dignata fuit polliceri; et quia nos pro summo amore et observantia nostra, qua illius Mtem. non secus etiam defunctam complectimur, quam viventem olim prosequuti sumus, non possumus non favere iis, quos illius Mtas. in kumanis existens charos habuit. Et cum sciamus omnem potestatem exequende illius voluntatis in Mtem. vram. recidisse, commendamus illi ex animo fratrem ipsum rogamusque, ut ubi dictus episcopatus vacabit, vestra Mtas. destinatum et promissa avi sui charissimi adimplere dignetur, quo et officium pientissimi nepotis et nobis rem plurimum gratam faciet. Que felicissime valeat.*

XCVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Regi Francie.

Ex cód. mss. bibl. Ossol. *Serme. princeps. — Retulerunt nobis subditi nostri, cives gedanenses, uti ante septennium naves quedam cum mercibus dum, ex portu Feris in Zelandia versus Gedanum navigarent, essent per quosdam satellites seu milites vestre Mtis. intercepte, et cum ipsi raptores fuissent per Petrum Stenhagen, ipsorum procuratorem in jus perlamenti parisiensis vocati condemnatique per duas conformes sententias, non est tamen subditis nostris ulla in parte satisfactum nec sententie late executioni deducte. Commendamus itaque plurimum Mti. vre. dictum Petrum Stenhagen, eorundem nostrorum subditorum procuratorem rogamusque illam: dignetur officialibus et presidentibus perlamenti: ut et sententias latas exequantur et nostris subditis debita fiat satisfactio pro conservanda justitia et securitate communium subditorum nostrorum et nostra erga Mtem. vram. observantia et propensione. Que felicissime valeat et nos diligat.*

Annus Domini Millesimus Quingentesimus Vigesimus.

Anni Domini Millesimi Quingentesimi Vigesimi memorabilia.

Rex Sigismundus videns, se multis injuriis affici ab Alberto, marchione brandeburgensi, magistro ordinis cruciferorum, legatum Nicolaum Nipsicz in Prussiam mittit ad cognoscendas injurias a subditis magistri terrigenis regni illatas.

Joannes Zamboczki in Prussiam ad confirmandas civitates et episcopum varmiensem in fide regi servanda missus.

Anno MDXIX. actus est conventus Thorunensis ad diem XV. Novembris, in quo de defensione tam terrarum Russiae, quam etiam pro sustinendo bello contra magistrum Prussiae tractabatur, ad quod gerendum decreta erat constitutio generalis.

Eodem anno post acta comitia Thorunii decretus fuit certus numerus militum pro defensione terrarum Russiae.

Edictum in eo conventu de non importandis rebus ad Cruciferos, de excusione monetae malae, de non transmittendis externis militibus ad magistrum.

Zacharias, eps. gardiensis, legatus a summo pontifice ad comitia thorunensia missus, qui regem monebat, ut sua Mtas. pacem iniret cum nepote suo, magistro ordinis theutonici, cui ita responsum fuit a Mte. regia.

> *Non dubitare Mtem. regiam, satis constare sctmo. pontifici ex literis et nunciis suis, quantas molestias magister Prussiae Mti. regiae semper exhibere consueverit, premendo illius Mtis. subditos ac fideles aliis indignis modis, quibus rebus permota Mtas. regia coacta est, posthabitis omnibus negotiis etiam tempore hiberno, bello minime congruo, huc cum exercitu venire, ubi longo tempore expectans, ut ille resipisceret ac debitum suum praestaret, Mtas. regia in sua pertinacia obstinatum eum videns, facere aliter non potuit, quin illum, quod hactenus vitavit, bello aggrederetur, non videtur itaque Mti. suae, ut rebus sic stantibus arma, que ex tam justissimis causis sumere est coacta, ad praesens deponeret.*

Tractatus per oratores principum Germaniae Thorunii de componenda pace vel induciis belli prussiaci; sed nihil effecerunt.

Andreas de Tęczyn, palat. lublinen., Thorunio ad Ludovicum, Hungariae regem, missus, etiam ut iret in Bohemiam, si opus foret, nam rex Ludovicus iter in Bohemiam parabat, qui regem rogabat, ut pro ejus honore et pro commodiore modo componendae perniciosae illius regni dissensionis, oratorem suum secum mitteret.

Hieronimus Laski orator ad Carolum V. electum Romanorum et Hispaniarum regem missus, qui primo gratularetur ejus Mti. de adepto solio, deinde gratias ageret, quod dignata esset Majestas Serma. regem in collegium velleris aurei suscipere.

Cum anno superiore misisset ad Mtem. regiam rex Galliae oratores declarando illi suam benivolentiam et postulando ab illa, ut sibi in assequendo imperio adesset, Mtas. sua existens gratissima

sima de hoc illius Mtis. in se affectu, omni studio curavit, ut illius Mti. Christianissimae commodare hac in re potuisset, verum quid factum sit in eo negotio, quominus ex sententia cesserit, ejus Mtas. intelligere non potuit, nihilominus Mtas. regia benivolentiam, quam erga illius Mtem concepit, testari volens Hier. Laski ad eam misit, ut eandem benevolentiam suam illi testatam faceret.

Die prima Augusti natus est Sigismundo primo, regi Poloniae, filius, cui nomen paternum erat inditum.

Annus Domini MDXX.

C. Legatio a Sigismundo primo, Rege Polonie, ad Albertum, Marchionem Brandeburgensem, Magistrum ordinis Cruciferorum in Prussia.

Data Nicolao Nipszicz Slesite, Aulico regio.
Die S. Margarethe XIII Julii MDXIX.

MDXX. Incipit Tomus IV. Cod. R. (MDXIX.)

Powiedziawschi posdrowyenie y poklon vdzialawschi: Powieczie naprzod, isz Crol Jego Miloscz za skargami roslicznimi poddanich swogich raczil częstokrocz oznaimiacz panv Mistrzowi Posly y pisanim swogim o krziwdach wyelkich, o skodach y o gwalczich, ktore się dziewali y dzieią poddanym Jego Crolewskiei Mczi. Ognyem, Mieczem, Lupem, Mordem s iego ziemie, a iako po takowich vczinczech gi skodach zloczinczi za się wgeszdzaly do ziemie iego.

A ysz pan Mistrz J. Mcz. zadnei naprawi za takowe skodi y gwalti nigdi nyeroskasal uczinicz, lecz na takowe skargi raczil iest odpowiedz dawacz, yszbi o thim nycz nyewyedzial y owszem ysz bi thakowe skargy byli nyegruntowane, a kthori bi pochodzyly od poddanich Jego Crolewskiei Milosczi nyesyczliwich gyemu, a wschakoss wsdym ysz bi kasdemv chcial sprawyedliwoscz vczinicz y prawa dopomocz, komv bi ktho winę dal. A ysz thesz roskazowal y roskazvie starostom, vrzednikom swoym, abi ony tho opatrzili yako bi się nikomv any w ziemy iego, any s iego zyemie skoda zadna nyestala.

A ysz thakowim odpowyedziom pana Mistrzowim raczil się Crol Jego Mcz. zawszdy barszo dzywowacz, bo thego Jego Crolewska Miloscz zawsdy w prawdzie dochodzyl, ysz się tak dzialo iako poddani Jego Crolewskiei Milosczi się skarzily, a ysz ony nye dla ktorei nieziczliwosczi, ale dla krziwd a gwaltow swich iawnich, kthore się gym dziali s iego ziemie thakowe skargi czinyli.

A ysz nyesdali się Jego Crolewskiei Mczi. takie wimowki pana Mistrzowe dostateczne. Bo iako mosze sznacz abo kv prawv przipravicz then komv się gwalth stanie w pokoynei ziemy, tego kthorei gy gwalczi, a byerze, gdi go przet thym nigdi nyewidzial, albo gdi się zakaptvra yaka thessz mosze bycz wimowka s thego, czo się yawnie dzyeye, a czo się w zadney ziemi zakricz nyemoze w ktorei iest dobra pilnoscz y opatrzenye, abi szkodniczi szli lvdzie nyebili chowani y faldrowani.

A ysz dla tego za kasdą skodę y pobranim poddanich swich J. Crol. Mcz. pana Mistrza iest napominal, abi opatrzil yakoby się poddanym Jego Crolewskiei Mczi. s ziemie iego skodi nyedziali a wschakosz Jego Crolewska Mcz. nigdi nyeposnal, abi kthora skoda poddanym J. Crol. Mczi. byla oprawiona, albo yssz bi się raytarsthwo postanowilo.

A ysz Jego Crolewska Miloscz chcząnc wsdy bespieczenstwo vdzielacz poddanim swogym, raczil rokv tego poslacz do thich ziem swogich nyeczo giesdnich, abi nyedopusczali skod

MDXX. (MDXIX.) czinicz poddanim Jego Crolewskiei Mczi. y osnaimicz the rzecz Jego Crol. Mcz. iest raczil panv Mistrzowi zandayancz, abi dopusczil thim tho giesdnym zloczincze do swei ziemi gonicz a ie gymowacz a k miastv przipravowacz, a ysz za się Jego Crolewska Mcz. chczial dopvsczic poddanim pana Mistrzowym thakyesz czinicz do ziemye swoiei; a wsakoss pan Mistrz thego nyechcial dopvsczicz, mieniącz, ysz wye ziemię swą dobrze pokoyną, a nyetrzeba mv czvdzich lvdzi, ktorzi bi pokoi w ziemi iego czinili, czo wsdy mial Jego Mscz. slvsznye vczinicz iestli chczial, abi Jego Mci. wimowki ktore czinyl v Crola Jego Milosczi przigięte byly. Bo Jego Crol. Mcz. acz thesz wye ziemię swą dobrze pokoiną, a wschakosz dla lepszego zachowania pokoiv dopvsczal thego panv Mistrzowi, abi takiesz y Jego poddani do Jego Mczi. ziemie zloczincze gonili a kv prawv a k miestv ye przipravowali.

Za kthorim nyedopvsczeniem pana Mistrzowim gonycz zlich lvdzi do iego ziemie acz przet thim stali się skodi gine nyemale s ziemie iego, a wschakoss theras nowo stala się wielka skoda y mord poddanim Jego Crol. Mczi. s Elbyąnga, kthorzi gdi iachali s iarmarkv s miasteczka, kthore zową Allensteyn, wpadlo na nye okolo czterdzieszci lvdzi gesdnich y pieszich s rusznyczami s ziemie pana Mistrzowei, kthore poranyli, pomordowali, a yednego s radi Elbinskiei, kthoremu gymię Balczer Wartenbergk, y sina iego Albrechta, y drvgiego myesczanina takiesz s Elbyąnga Mathis Pola precz s szobą vwiedli, a gyne wschithki mvsze y szoni, kthorzi tham bily, slvbem zawyąszali y przisięgę od nych prziczysnioną wsięli, abi się tam stawyli, gdzie gim osnaimią, y vcziniwschy tak wielki gwalth y mord, czi tho lvdzie za się do ziemie pana Mistrzowei wgiachali.

Kthora rzecz iest Crolowi Jego Mczi. wielmy obciąsna y roskasal ią panv Mistrzowi osnaimycz y opowyedziecz, isz są to krziwdi wielkie a okruthne, a ysz thakie s zadnei ziemie krzesciankiei przileglei ziemiam Jego Crolewskiei Milosczi nigdi się niedzieią any dziewali, a ysz dziwvie się themu J. Crol. Mcz. przecz pan Mistrz thakowich rzeczi dopuscza, a ktorich prosno abi poddani iego chczieli mowicz, ysz nydz nyewiedzą, bo czterdzieszci lvdzi nyemoze się zakricz ani zatagicz.

A isz szą̨nda J. Crol. Mcz. pana Mistrza, abi tho thak opatrzel, iako bi czi sloczincze kthorzi thako wyelki gwalth, mord i lvp vczinyli bili skarani, a skodi isz bi takie bili naprawyoni, a czi kthorzi są pogymani, isz bi wolno przepvszczeny bili. Bo to iest powinnoscz sansyeczka, abi się thak dzialo dlia zachowanya myrv y pokoiv, a isz bi s thą̨nd czo ginego gorschego a szkodlywschego nyepowstalo.

Stalo się thess nyemalo skod poddanim Crola J. Mczi. y Lithewskyego Xiansthwa w ziemi y s ziemie pana Mistrzowei, o kthore przed thym J. Crol. Mcz. przes pana Petra Gyersdorffa wskazowal do pana Mistrza, a wschakoss do thich miasth szadna się naprawa thim tho poddanim Lithewskim any sprawyedliwoscz nyestala.

Nowo thess za skargą nyekthorich kvpczow Lithewskich J. Crol. Mcz. raczil pisacz do pana Mistrza szandaiancz, abi wosk thichto kvpczow Lithewskich, kthori bil zahamowan w Kinsbergv za trzi tyssziącze kopp Lithewskich, bil gim wipvsczon, a wschakoss ani wosk wroczon any posel do pana Mistrza przipvsczon. Thak isz ten listh J. Crol. Mci. zasyę nazad iest prziwyesion. Szanda J. Crol. Mscz. abi thakie powczianganie a szkodi poddanim Jego Crol. Mczi. się nyedziali a wosk then abi bil wolno przepvsczon.

A isz

A isz do thich myasth, iako wisschei dothiczeno iest, wyelkie się szkodi y gwalthi dzieią MDXX. y dzyewali poddanim Crola J. Mczi. s ziemie pana Mistrzowei, a nicz się gich nigdi nye- (MDXIX.) vmnieisza y owszem zawsdi się gich przicznia: sząda Jego Crol. Mcz. abi się pan Mistrz thak raczel zachowacz przeczywko J. Crol. Mczi. y poddanim J. Crol. Mczi. iako się slusznye zachowacz ma syostrzeniecz przeciwko hvycowi swemv, a iako się zachowywali przodkowie iego y gynschi samsziedzi przeciwko J. Crol. Mczi. y poddanim J. Crol. Mczi się zachowiwaią, a gdi tho thak vczini pan Mistrz, Crol J. Mcz. zaszię milosczią swą Crolewską y laską przirodzoną kv nyemv się thak zachowacz raczi, ysz on s thego poczieszenie, czescz i wyelką lvboscz, a poddani iego wssithek y mnoho dobrego myeczi będą.

Daley powyedziecz odpowyedz na lysth y na pisszanie pana Mistrzowe, kthore nyedawno vczinyel do Crola J. Mczi.

Naprzod o działa y gyne rzeczi, kthore zostali przi panv Starosczie Smoczkym, kthore pan Mistrz myeni bidz Crola Dvnskiego a ysz slvsznye się ma zachowacz pan Starosta podle przipissania, kthore vczinyl panv Mistrzowi, bo tho nyeiest rzecz pana Mistrzowa, a wszaksze będzieli Crolowi Dvnskiemv czego potrzeba a vczini poselstwo albo pisanye kv Croliowi J. Mczi. J. Crol. Mcz. będzie wiedziecz iako się będzie myal samsieczkie a prziaczielskie przeciw iemv zachowacz.

Co się doticze brzegv Smoczkiego, kthoribi pan Starosta myal ossadzicz, themv się J. Crol. Mcz. dziwvie, y iesth tho J. Crol. Mczi. przeciw mysly, ysz pan Mistrz nyechczialbi thego rad widziecz, aby J. Crol. Mcz. myal tho działacz w swei ziemi, czo się J. Crol. Mcz. lyvbi, y nyechczialbi J. Crol. Mcz. nikomv sakonv szobie w tim dopvsczicz stawicz, bo kaszdi mosze czinicz w swei ziemi czo się iemv widzi, a thess J. Crol. Mcz. nyekasal thego brzegv ossadzicz panv Starosczie Smoczkiemv, kv przekascze dobrym samsyadom, a thim kthorzibi się przeciw J. Crol. Mczi. a poddanim J. Crol. Mczi. slvschnye a obiczainye zachowali, iedno s prziczin tich, abi się poslowye nyeprziacziela J. Crol. Mczi. Moskiewskiego, y lvdzie iego y tudziesz giny, kthorzi się s nym porosvmyewayą, przeciw J. Crol. Mczi. y poddanim J. Crol. Mczi. thedi się nyeszmikali y nyetaily. A thak J. Crol. Mcz. nyechce thego szobie nykomv dopvsczicz bronicz albo przekaski czinycz, ysz bi nyemyal w swei ziemi ostrzegacz thego, czobi bylo szkodliwe J. Crol. Mczi. y ziemiam a poddanim Jego Crol. Mczi., a ysz pan Mistrz o tho się thess slvschnie wstawowacz nyema, any drogy slvschney szadney myecz mosze, bo iakom rzekl, kaszdi ostrzega thego w swei ziemy, skądbi mv skoda przidz mogla od nyeprziacziela iego.

Czo się doticze Bohvfalowego poselsthwa, kthore myal w thich dwu Articulech, kthorich pan Mistrz thess w swim pysaniv doticze, nyesda się J. Crol. Msczi. wimowa dostateczna, kthorą w thei rzeczi cziny pan Mistrz.

Naprzod czo pissche pan Mistrz, ysz ieden s thich, kthorzi skodę vczinili poddanim J. Crol. Mczi. Lithewskim, bil pogyman y dossicz dlvgo chowan, a pothim straczon. Gdysz Jego Crol. Mcz. nycz nyewyedzial, abi thakowi czlowiek bil ięnth, any poddany J. Crol. Mczi. thess o thym nycz nyewyedzieli, nyemogli wyedziecz na kogo myeli faldrowacz, bo gim tho nygdi nyebilo osnaimiono, a thess nyewyedzieli iestli then czlowiek o thę gich skodę bil poyman, a pothim straczon abo o czo ginego.

A czo

MDXX. (MDXIX.) A czo pan Mistrz thess pyssche, ysz then to Bohvfal zalobę vczinil iakobi się myala niaka skoda stacz poddanim Jego Crol. Mczi. na graniczi pana Mistrzowei, a ysz pan Mistrz acz o thei graniczi nycz nyewie a wschakoss za thakowim wysnanyem yą za swą poczithę gy chczyalbi iei na pothym vszywacz: J. Crol. Mczi. się nyesda, abi Bohvfal iako posel omilką swoią, iesli się kthora stala, mogl czo vblysacz graniczam J. Crol. Mczi., bo nye natho bil wyslan, abi graniczyl, alye yszbi s krziwdi poddanich J. Crol. Mczi. mowil y yednal.

A czo thess pan Mistrz pyssche, ysz szandal pothim od thego Bohvfala, abi powyedzial komv winę dawa a vgyszczeiel się isz tich skod, o kthore mowil mial prawem dochodzicz, gdisz się stacz myali w granyczach pana Mistrzowich.

Crol J. Mcz. y kaszdi themv rozvmyecz mosze, isz nyetilko Bohvfal, kthori bil poslem, ale ony czi, kthorzi bili pobrani, poddani J. Crol. Mczi. nyesnali tich, kthorzi ym skodę vczinili, a thako nyewyedzieli, komvbi winę dacz myeli.

Thess się J. Crol. Mczi. sda za nyeslvschne, abi się poslowie J. Crol. Mczi. myeli vgysczacz albo o skodi poddanich J. Crol. Mczi. sią prawowacz. Bo sam pan Mistrz myal się dowyadowacz w swei zyemi o thich, kthorzi thi skodi vczinyeli a gie kv naprawye thichtho skod y kv karanyv przywiescz, iestli sze bi się chczial prziaczielskie przeczіw Jego Crol. Mczi. zachowacz.

A ysz tho szanda Jego Crol. Mcz. abi ieszcze o thi szkody poddanim J. Crol. Mczi. Lithewskim się naprawa stala.

Poselsthwo do pana Biskvpa Brabuczkiego (Risemburg.)

Pars Legationis ad Job, Episcopum Pomesaniensem. *)

Posdrowyenye powyedziawschy y laską J. Crol. Mczi. powyedziecz:

Ysz lysthv themv, kthori thymi czassi pan Biskvp kv Crolowi J. Mczi. pissal, dobrze iest J. Crol. Mcz. wirosvmyecz raczil, a ysz nyerad thego slyschal Jego Crol. Mcz., ysz Andrzei Galczewski yemv odpowyedzial y poddanim iego, y skodę iemv nyemalą vdzialal.

A ysz J. Crol. Mcz. aczkolwyek do thich myasth pan Biskvp they rzeczi na J. Crol. Mcz. nyewsnyosl, yako tho slvschnye vczinycz myal. A wschakosz vslischawszi J. Crol. Mcz. tho czo Galczewski przed się wzyął yako then pan kthori pokoi a sprawyedliwoscz mylvie a swei wolyei poddanim swogim vziwacz nyedopuszcza, raczel iesth thego tho Galczewskiego zostawycz y roskazacz yemu srodze, y lvdzie abi dalei nycz przeczіw panv biskvpowi nyepoczynal asz do rosesnanya J. Crol. Mczi. y za gyne nyema J. Crol. Mcz. iedno ysz then tho Galczewski po thym przikasanyv J. Crol. Mczi. szadney skodi panv biskvpowi nyevczinyl.

---

*) Był Prussak z rodziny szlacheckiéj Dobbenek, zwano go Zelaznym. (Cod. R.)

I gdibi

I gdibi bel pan biskvp thę rzecz J. Crol. Mczi. osnamyl a zandal sprawyedliwoscz s thim tho Galczewskim, bilbi tho bil J. Crol. Mcz. rad dawno vdzyalal a na thim ieszcze stogi J. Crol. Mcz. abo tham w zyemi swei Prvskiei porvczicz raczi radam swogim thei rzeczi przeslyschecz a kv slvsznei mierze yą przıwyescz. Lecz się J. Crol. Mcz. themv wyelmy dzywvie y czieszcze tho sobye byerze, ysz pan Biskvp nyewkladaiancz na J. Crol. Mscz. o szadną krziwdę swoię szięnga się moczą a gwaltem na poddane J. Crol. Mczi. Bo y thego tho Galczewskiego bil slvbem pyrwei pan biskvp zawyąnsal y o tho się tha rosznicza stala, y theras nowo pana Jana Bistraına, dobrego a statecznego czlowyeka na dobrowolni drodze w zyemi J. Crol. Mczi. yąntcz thess kazal, y slvbem gy zawiąnsal, abi mv się stawiel gdi mv roskasze, ktora rzecz any przislvsche kv dobremv sansszedzthwv y pokoiowi, y iest barszo obcziąnsna J. Crol. Mczi. Bo J. Crol. Mcz. any poddani J. Crol. Mczi. thego nyeczinyą poddanim pana Mistrzowim, any pana Biskvpowim. A thess J. Crol. Mcz. nye ma szadnei odpowyedzi s panem Biskvpem dla kthoreibi on myal abo myecz mogl kthorą slvschnoscz poddane J. Crol. Mczi. gymowacz abo slvbem zawyąnsowacz. MDXX. (MDXIX.)

A przetho Jego Crol. Mcz. napomyna pana Biskvpa, abi się na pothim gwalthem nyeobchodzyl s poddanimi J. Crol. Mczi. any gych gymowal any slvbem zawiąnsowal, a iako pralath dvchowni nyepodawal prziczin s szyebye, abi się kthora rosnycza myala wczącz myędzi zyemiami J. Crol. Mczi. a pana Mistrzowimy.

A yszbi thess pan Biskvp pana Bistrama s slvbv przepvsczil a oczekawal sprawyedliwosczi swei s Galczewskim, kthorą mv J. Crol. Mcz., iako iesth powyedziano, chcze sam vczinicz abo porvczicz thv w zyemijach thich radam swim vczinycz. Bo bi się J. Crol. Mcz. nye chczial temv dzywowacz any thego dopvsczicz abi ktho myal na poddanich J. Crol. Mczi. swei wolyey besprawnye vsziwacz a dowodzicz, bo iesth gothow J. Crol. Mcz. kaszdemv zawsdi s kaszdym poddanim swim sprawyedlywoscz vdzialacz, y cziny yą zawsdi kaszdemv, kthori się kv J. Crol. Mczi. vczieka.

A k themv wschemv mosze się thess panv Mistrzowi Prvskiemv powyedziecz o they rzeczi pana Biskvpa Brabvczkiego, bo thess pan Mistrz zanym pysanye swe kv Crolowi J. Mczi. vczinyel, opowyadayącz yszbi go przestacz nyechczial a yszbi go bronycz chczial.

Ad Cives Elbingenses.

Myesczanom Elbyąnskim opowyedziecz: ysz wass, her Nypschicz, Crol J. Mcz. slie do pana Mistrza dla thich vcziskow y skod, kthore się gym dzyeią y therass lepak nowo się staly s iego zyemie, kthorich Jego Crol. Mcz. barszo szalvie, y iesth tho J. Crol. Mczi. przeczıw miszly, ysz czi gesdny Kozaczi, kthore Jego Crol. Mcz. tham chowa wyeczi dla myesczan Elbyąnskich pokoia y bespyeczensthwa, niszli dla kthorich gynich poddanich swoych, nye opatrzeli thego iakobi czi gych myesczanye, kthorzi są samordowani, polvpyeni y nyektorzi s nych precz vwyedzieny a drvdzi slvbem posawyąnsowani, nyebili kthei skodzie y kv themv vpathkowi przischli.

MDXIX. (MDXIX.) A iestlibi czi tho myesczanye Elbyąnsczi chczieli kthorą sszerszą navkę dacz o swoych skodach, kthore po thei czassy myeli s zyemie pana Mistrzowei, powyedziecz gym, ysz tho mogą vczinicz, a yss wy tho wedle navki gich chczeczie y maczie v pana Mistrza iednacz. Powyedziecz gym thess: ysz Crol J. Mcz. acz nyerad czirpy thakowich gwalthow y krziwd, kthore się gym y gynschim poddanim Jego Crol. Mczi. dzieią s zyemie pana Mistrzowei a wschakoss vchodzącz walki, kthorei ma J. Crol. Mcz. dosicz s pogani y s odsczepyenczi wyari swianthei, schvka thich drog, iakobi poddane swe vpokogyl krom walki. A ysz tich tho myesczan Elbyąnskich J. Crol. Mcz. w kaszdei przigodzye y czieskosczi opvsczicz nywczym nye raczi, alye gych bronycz chcze, maiąncz thę wiarę o nych, ysz thess ony będą chczciecz y vmyecz się sachowacz przeczіwko J. Crol. Mczi. iako slvscha na wyerne poddane przeczіwko panv swemv.

O thich kthorzi maią prziczinę dowodzicz krziwd swich na panv Mistrzv y poddanich iego, o kthorich thess myesczanye Elbyansczi Crolowi Jego Mczi. pysali, powyedziecz gym, isz Crol J. Mcz. chcze pyerwei wyedzyecz, czo są tho za lvdzie a kthorzi ssą, a pothim Jego Crol. Mcz. navczi thi tho myesczani swoie Elbyąnskie iako się będą myecz przeczіw thim tho lvdziem w thei tho myerze zachowacz a czego gym bendą myecz dopvsczasz.

Xyandzv Byscvpowi Helsperskiemv powyedziecz w czim wass Crol J. Mcz. do pana Mistrza poslacz raczil, a ieslibi chczial navkę dacz kthorą kthemv poselsthwv, powyedziecz mv, isz tho porvczenye iesth wam dano od Jego Crol. Mczi., isz się wedle navki iego sprawowacz maczie. —

CI. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis, Nobilitati, Civitatibus in Prussia, Regno Polonie subjectis.

Cod. G. R. Rndi. in Christo patres, mgci. generosi, nobiles et famati fideles nostri dilecti. Ea que nobis ex conventu proximo Graudencense de Sermo. rege Danie, de marchione Joachimo brandeburgensi et de magistro generali eorumque moliminibus scripsistis cum his novitatibus, que per consulatum gedanensem ad vos perlate sunt, sane intelleximus, accepimus etiam hec prius ex aliis et novissime ab Illmo. duce Pomeranie, qui hujus negotii non parvam gerit curam, ex quo et ex aliis conjecturis assequimur, hoc presertim duro tempore, quod instat, non bene convenire peditibus Germanis in castris diu agere, vel quod hujusmodi machine, que struuntur, sic subito confici possint. Nihilominus in omnem eventum, quidquid fit, quod illi conantur, non est conniventer transeundum, probamusque in hoc operam et consilium vestrum, quod de bono ordine statuendo, quo obex istis rebus poni possit, dedistis. Commisimus itaque ad quemlibet districtum et illius incolas dari mandata, ut omnia sic quemadmodum consuluistis, dirigerentur. Proinde volumus, ut litere nostre, hac in re universales, pro quemlibet palatinum in suo districtu nobilibus ac oppidanis, precipue castrorum capitaneis et ceteris quibuscunque subditis nostris note fiant et manifeste atque ab omnibus sic ut illarum tenor continet, observentur. Quod eo facilius fiet,

fiet, si quisque vestrum ex sui officii debito vices suas ad id interponet sicque his rebus, quemadmodum astrictus est, invigilaverit. In quo ut confidimus neque studium, neque diligentiam aliquam omittetis. Rem nobis et vobis ipsis debitam et gratie nostre dignam facturi. Dat. Cracovie. MDXIX. (MDXIX.)

Sigismundus, Rex Polonie, Habitatoribus Prussie in Palatinatu Culmense.

Vniversis et singulis, palatino, castellano, succamerario castrorumque et oppidorum nostrorum capitaneis et tenutariis, nobilibus, proconsulibus et consulibus ceterisque officialibus et subditis nostris in terra et palatinatu culmensi existentibus sincere et fidelibus nostris dilectis, favorem et gratiam nostram. Mgci. generosi, nobiles, famati et providi, fideles nostri dilecti. Cognitum est nobis ex rumore non incerto, quod Sermus. rex Danie, qui a suis regno est ejectus, cum dno. Joachimo, marchione brandeburg., cumque magistro generali aliisque quibusdam ducibus exercitum equitum et peditum collegerit non contemnendum sub pretextu, quod illo restitui speret, illumque fortassis prope oras terrarum nostrarum Prussie, que marchionatui vicine sunt, est collocaturus. — Unde licet nihil nobis cum hoc rege sit dissidii et cum magistro generali, ut scitis, inducias habeamus, tamen juxta hodierni orbis habitum, non visum est nobis, ut hoc tempore in utramque aurem dormiamus. Volumus itaque et vobis omnibus serio precipimus, ut cum primum presentibus requisiti fueritis, quilibet vestrum sic, ut nobis militare obligatur, cum equis, armis et curribus suis in omnem eventum se paret et expeditum faciat, ut cum aliqua vis ingrueret et per palatinum et officiales ad hoc consuetos ad occurrendum pro certo die et loco vocaretur, sine omni mora adesset, frumenta preterea et quicquid bonorum quisque in locis non bene tutis habuerit, ad proxima castra et munitiora oppida transferat, quo illic securius maneant et hostibus commeatus precludatur. Vobis vero capitaneis castrorumque et oppidorum nostrorum tenutariis, civitatumque et oppidorum nostrorum proconsulibus et consulibus seorsum mandamus, et sic omnino habere volumus, ut castra et oppida nostra vobis commissa et obligata sic curetis, ut ea gentibus, armis, tormentis, pulveribus, commeatu et quibuscunque aliis rebus bellicis bene munita et instructa habeatis, ne vobis aliquod in eis detrimentum, quod a vobis repetere cogeremur, impendat. — Nos etiam in hoc conventu regni nostri omnem operam sumus daturi, ut vobis omnibus et singulis, si quid se hujuscemodi offeret, tempori adesse, et quemadmodum consuevimus, ab omni vos vi, injuria defendere et tueri possimus. Vestrum igitur erit in omnibus istis tales se exhibere, quo fides et virtus vestra et hinc erga vos gratia nostra hostibus nostris formidabilis redderetur. Sic ergo et sub penis in bellicis expeditionibus solitis aliter non facturi. Datum etc. Cod. G. R.

Eodem exemplo scripte sunt litere ad palatinatum Marienburgensem et Pomeranie.

CII. SIGISM.

CII. Sigismundus, Rex Polonie, Civibus Gedanensibus.

MDXX. (MDXIX.) Cod. G. R. Famati. Intelleximus ex literis vestris, qualiter rex Danie abscesserit ex Swecia simulac de nonnullis ejus gentibus, que istic apud vos applicuerunt, quas cum consistere apud vos prohibueritis, commendamus et probamus in ea re prudentiam et diligentiam vram. Non potuisset enim eorum mansio, nisi cum aliquo damno subditorum nostrorum fieri. Et quamvis nihil suspicamur, magistrum incepturum adversus nos maxime nunc hieme, tamen volumus, ut si qui adhuc ex dictis gentibus in civitate vel ditione vra. substiterunt, eos manere non permittatis. Et nos scribimus etiam palatinis et capitaneis nostris isthic in Prussia, ut se adversus eos, ubi opus esset, moveant, et vos pariter consilio simul et auxilio quantum potestis adsitis, ne quod subditis nostris damnum inferatur. Facturi pro gratia nostra.

CIII. Sigismundus, Rex Polonie, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi, Capitaneo Majoris Polonie generali.

Cod. G. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Grata est nobis plurimum tue Stis. cura, quam adhibet, ne homines isti, qui contra nos veniunt, terras nostras pertranseant, faciatque omnem, quam potest diligentiam, et ut transitus omnis occludatur et ipsi homines, quantum fieri poterit, urgeantur, quod totum virtuti et industrie Stis. tue committimus. Reliqua, que fieri debent, non videtur in presens aliud, quam ut in Colo prout ante scripsimus conveniatis; et nos hic cum his consiliariis etiam conventum habebimus, nam generalis conventus esset nobis in mora, quicquid autem et istic et hic factu opportunum et salutare in tam repentino conventu videbitur, id cum omni diligentia et celeritate exequemur.

Ceterum intelleximus, communes cives Gedanenses non bene concordes esse cum consulatu, nec esse illic aliquem hominem rei militaris peritum, quare mittendum illuc censuimus generosum Thurek Lanczki, ut consulat id, quod presens necessitas exposcit, volumusque, ut eum tua Stas. quam primum ire illuc jubeat cum decem equis, cui dabit Joannes Gromatzki centum florenos pecuniarum, ad quem literas nostras in ea re cum presentibus mittimus. Bene valeat Stas. tua.

CIV. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Lubbranczki, Episcopo Posnaniensi.

Cod. G. R. Rnde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Priusquam litere Ptis. vre. et mgci. castellani posnaniensis nobis allate fuissent, jam ea fama de hominibus in Prussiam tendentibus ad nos

nos pervenerat et significavimus jam Pti. vestre et aliis consiliariis hunc eventum inspera- MDXX. (MDXIX.)
tum, et quid nobis in presens factu opportunum est visum, ut videlicet in Colo conveniatis, nam nos hic itidem conventum habebimus; quidquid vero tum istic tum etiam hic consultum et visum salutare fuerit, id totum cum omni diligentia et celeritate nos exequemur. Cives nostri Gedanenses postulaverunt a nobis mitti sibi sexingentos pedites, quos ilico ad illos expediemus, nec ulla in parte illis et aliis subditis nostris illarum terrarum deesse volumus. Bene valeat Ptas. vra.

CV. Edictum Restium adversus Germanos In Poloniam tendentes. (Cod. G.)

Litere Restium adversus Germanos ad Magistrum in Prussiam tendentes. (Cod. R.)

Sigismundus, Dei gratia rex etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dig- Cod. G. R.
nitariis, officialibus, burgrabiis et nobilitatum communitatibus, advocatis et scultetis ceterisque subditis nostris terras regni nostri incolentibus ubique et presertim terram Posnaniensem et districtum N. N. de jure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis sincere nobis et fidelibus nostris dilectis, gratiam regiam. Mgci., generosi, nobiles, famati et providi sincere nobis et fideles dilecti. Jam unicuique vestrum satis constare potest, quemadmodum magister Prussie non habita ratione cum affinitatis nostre mutue tum etiam debiti ac professionis sue, varias hucusque occasiones belli gerendi nobiscum querebat premendo multifariam et continue subditos nostros et cum hostibus nostris Moscis et Tartaris adversum nos conspirando, que omnia cum hactenus dissimularemus, sperantes illum nostra modestia et tolerantia posse aliquando ad officium suum reduci, res eo devenit, ut ille, cognitis difficultatibus nostris modernis, que nobis ab aliis hostibus incumbunt, conduxerit ex Germania magnas militum copias statueritque cum omni celeritate arces et civitates nostras Prussie adoriri et expugnare. Nolentes vero nos, cum jam aliter fieri non potest justitie et terris illis regni nostri deesse, quas predecessores nostri multo sanguine et impendio partas nobis reliquerunt, idque intelligentes absque publica ad bellum motione fieri non posse propter vim et celeritatem hostilem, decrevimus ipsi cum universis subditis nostris ad Prussiam proficisci et terras illas ab impetitione hostis pro virili nostra tueri et defendere. Quare has literas presentes in vim primarum et secundarum restium mittimus, quibus vobis universis et singillatim unicuique vestrum mandamus, ut visis illis, arma capiatis et quilibet vestrum capiat. Vos itaque preparetis, ut cum aliis literis nostris fueritis requisiti, possetis absque ulla mora nobis ad tempus et locum, qui designabitur, adesse et hostilem impetum cum Dei auxilio una nobiscum ita retundere, ut inde amplius Respublica nullum sentiat detrimentum, vosque laudem et gloriam in re bellica pluribus victoriis jam acquisitam, quoad fieri poterit, augere et ampliare valeatis, et ne quispiam vrum. de hac preparatione bellica et mandato nostro aliquam ignorantiam suam pretendat,

 volumus,

MDXX. (MDXIX.) volumus, ut unus ad alium viciniorem presentes literas restium, cum illas perlegerit, transmittat, ultimus vero easdem loci capitaneo representet. Sub bonorum suorum amissione aliter facere non ausuri. Datum Cracovie fer. IV. prox. ante fest. S. Hedvigis.

Ad mandatum Regie
Majestatis proprium.

CVI. Sigismundus, Rex Polonie, Capitaneis Prefecturarum Regni.

Cod G.R. Generose fidelis dilecte. Jam tue Fti. satis constare potest: quemadmodum magister Prussie non habita ratione etc. ut supra... tueri et defendere. Quod ut ad omnium notitiam perveniat et ne nos in tanta calamitate aliquid neglexisse videremur, literis nostris id denunciare et palam omnibus facere volumus, quas mittimus in manus tue F. mandamusque illi, ut eas statim et omni mora posthabita per terras et districtus sui capitaneatus transmittat et circumferri, ut moris est, faciat ac in foris civitatum et oppidorum et circa ecclesias diebus solennibus proclamari et ad notitiam universorum et singulorum ad expeditionem bellicam obligatorum deduci faciat, ut equos, arma et alia bellica necessaria parata habeant, quo ubi necessitas incumberet, que nonnisi repentina esse solet, et litere nostre in vim ultimarum restium per nos mitterentur, possit unusquisque sine mora ad locum, quem in eisdem literis restium designabimus, proficisci. Factura etc. Dat. Cravovie fer. IV. prox. ante festum S. Hedvigis.

CVII. Ludovicus, Hungarie et Bohemie Rex, Sigismundo, Regi Polonie, patruo.

Cod. G. Serme. princeps, patrue noster honorandissime. Ex literis Mtis. vre. proxime ad nos datis intelleximus, magistrum Prussie conductis ex Germania gentibus adversus Mtem. vestram bellum moliri et terras ejusdem pruthenicas velle invadere conarique, ut etiam ex nostra Bohemia Moraviaque ad augendum exercitum suum milites stipendio sibi comparet. Que res, ut est indignissima et ab omni pietatis necessitudinisque officio alienissima, ita nobis plurimum displicet et incredibiliter certe dolenda est. Miramur autem vehementer, quid magistrum ad hoc agendum impulerit, qui cum sit jure sanguinis Mti. vestre conjunctus magnis alioqui beneficiis ab eadem ornatus et auctus, cum Moscis et Tartaris, hostibus Mtis. vre., conjuret et tam atrox plus quam civile bellum in Mtem. vram. meditetur. Potuisset magister ipse, saniore consilio usus, longe commodiores vias invenire res suas componendi; sed forte adhuc resipiscet. Quod si, ut cepit, perrexerit, Deus opt. max. justam Mtis. vre. causam procul dubio prosperabit et magistrum aliquando hujus consilii factique sui penitebit. Nos vero si res Mtis. vre. juvare aliquatenus possemus, id certe nobis esset jucundissimum et multo id faceremus libentius, quam vel ipsa forte desiderat. Faciemus autem

autem animo cum propenso tum sincero quidquid poterimus. De qua quidem re pruthe- (MDXIX.)
nica et de multis aliis plura Mti. vre. per oratorem nostrum, quem ad eandem propediem MDXX.
missuri sumus, jam designatum, nunciabimus, quem hoc biduo hinc dimittemus, ea celeritate profecturum, ut prius attingat, si fieri poterit, Cracoviam, quam istinc Mtas. vra. ad bellum in Prussiam discesserit.

Quod autem ad Bohemos et Moravos milites attinet, pro voluntate et desiderio Mtis. vre. misimus literas nostras per proprium hominem nostrum ad omnes status regni nostri Bohemie et marchionatus Moravie, quibus omnibus strictissime mandavimus, ut nemo ex eis audeat ad stipendium magistri Prussie se conferre aut ejus exercitum ingredi contra vestram Mtem, quin potius ita se teneant, ut si quando inter tot hostes suos et tam grandia bella Mti. vre. necessitas incubuerit, gentes aliquas conducendi, eas in eisdem regnis nostris Mtas. vra. paratas semper habere possit. Omnipotens deus Mtem. vram. quam felicissime conservet et optatam eidem victoriam contra omnes inimicos suos concedat. Datum Bude XII. Octobris.

CVIII. Joannes Zamboczki, Aulicus regius, Petro Tomiczki, Epo. Premisliensi et Regni Polonie Vicecancellario.

Missus fuit Joannes iste Zamboczki in Prussiam ad confirmandas civitates et episcopum Varmiensem in fide regi servanda etc.

Rme. dne., dne. gratiosissime. Vigesima die Octobris ad Helspergk veni, moratus sum Tho- Cod. G. R
runii unum diem cum dimidio, ita facto opus fuit, hospitia illic rme. Dtioni. vestre consignavi, qua de re scripsi ad rmam. Dtionem. vestram Thorunio, si modo litere ad eandem pervenerunt; nam eas dedi Barthodziejski mercatori. Confectis rebus Thorunii profectus sum Marienburgk, ubi dimidio diei transacto recepi me Elbingum, ubi cum mandata exposuissem, adventumque regium in Prussiam nunciassem aliaque, que in rem erant, enarrassem, tanta gratulatio tantaque alacritas animorum consecuta est, ut qui jam miseri exanimes et prope mortui videbantur, mox revixerint, novaque lux quedam eis orta videretur. Ibi quoque dimidium diem consumsi. Mox Helspergkum ad episcopum non sine metu et periculo a predonibus magistri, qui in eis locis impune grassantur, cedes et sevitiam exercent. Sed ego mihi consului ut potui, coĕgi manum, qualem potui, et impavidus vi perrupi. Atque ita centum miliaria — tot enim sunt Cracovia Helspergkum usque — sex diebus et medio emensus sum. Videant jam isti, qui me gravem et impeditum calumniantur, utrum Zamboczki dormiat cum edendum est. Hodie mane, h. e. XXI. Octobris apud episcopum verba habui. Breviter respondit, literas illas primo illo terrore perculso sibi imprudenti excidisse, etiam ad ita scribendum per quosdam suos se coactum fuisse. Nondum tamen ab eo sum penitus absolutus, nam has literas scripsi mox post exposita mandata, sed quia nuncius cracoviensis proficiscens presto aderat — quamvis adhuc

non

MDXX. (MDXIX.) non plene confecta legatione — nolui eum vacuum literis meis istuc proficisci et cetera quidem alia significabuntur (credo) literis ipsius episcopi. Ego nihil aliud faciendum censeo, quam istud, quod jam agi ceptum videtur, videlicet pecuniam, milites, tormenta bellica comparare, istos autem novos et frivolos sermones vulgi flocci facere, qui ut sint certi et veri, nihilo tamen segnius rem gerere. Dicunt quidem omnes, magistrum istum cum Furciferis suis multum esse animo consternatum, eo quod eum stulte cogitationes ejus fefellerunt, nec desunt, qui eum insanire dicunt, sed nos decet aliam spem nobis proponere, in Deo videlicet et in viris et armis; ista alia si vera erunt, sint nobis lucro etc. Nunc sum iturus pransum, cum primum vero hinc me expediam, quod credo hodie sub vesperum futurum erit, tunc iterum me itineri Gedanum versus committam ea ipsa manu, qua veni huc. Erat quidam locus, qui mihi fuit longe circumeundus, itaque cum ipsum locum perrupi, nunc in redeundo, non committam me periculo. Eo die quo Marienburgum veni, qui fuit Mercurii, allati sunt a quibusdam nobilibus ex Pomerania tres fasciculi literarum ex Germania, qui sunt in itinere una cum nuncio intercepti; sed nuncius incautius asservatus aufugit, litere vero dno. castellano gedanensi in manus me presente date, nam dominus palatinus aberat. Multe earum sunt magistro Prussie inscripte, relique ad alios. Credo, quod ex eis literis etiam aliquid fraudum et technarum deprehendi poterit, sed eas aperire dno. gedanensi non fuit visum, ego etiam ne viderer nimis curiosus, nolui contendere, ut aperirentur. Sed ista credo describentur uberius per dominum palatinum et capitaneum marienburgensem. Quantum conjectura assequi possum, quod dominum episcopum varmiensem illarum primarum literarum suppedet idque ingenue apud me confessus est. Credo quod tam magnificis verbis et minis ipsorum Lanczknechtorum permotus ea scripsit, que nunquam facturus fuisset. Nihil ex eo elicere possum nisi fidem et constantiam, daboque operam, ut omnia explorem, que veniens regie Mti. significem. Nihil moveant regiam Mtem. ea, que sibi literis significantur, videlicet potentiam magistri tepescere, Lanczknechtos dilapsos, magistrum terrore perculsum etc. prosequatur nihilominus ceptam expeditionem, ulciscatur et sumat penas de execrata ista calumnia Furciferorum verius quam Cruciferorum. Sciatque certo, nullum hominem in mundo erga se tam hostili tam inimico animo esse quam istum magistrum, quamvis sibi ex sorore nepos fuerit. Concionatus est nuper apud suos in Monte regio, in qua concione quotiens sibi Sermus. dnus. noster nominandus fuerat, semper ipsum sine prefatione honoris nominavit neque regio nomine dignabatur, his verbis: Der von Polen, vnſer frunth vnd Dehm. Id ego non ex uno, sed ex multis germanis peditibus, qui ab ipso diffugiunt, audivi. Ego si deus voluerit ero aut obvius regie Mti. aut eam istic Cracovie offendam. Nolo memorem monere, ne cum immemorem reddam, sed me Dtioni. vre. rme. resque meas omnes, ut dno. meo gratiosissimo commendo et trado. Ex Heilsbergk d. XXI. Octobris.

CONVENTUS

Conventus Thorunensis.

Sub finem anni domini MDXIX. indictus fuit conventus generalis regni in Thorunio ad diem S. Catharine, ad quem consiliarii vocati fuerunt literis infrascriptis.

CIX. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni majoribus.

Rme. in Christo pater et Mgci. sincere nobis dilecti. Jam ea omnia discrimina et difficultates Reipublice, que ante a nobis previsa et sepe in conventibus predicta fuerant, sed vel incuria vel infelicitate nostra minus in consultando et providendo perpensa, quam necessitas exposcebat, nunc rebus et factis magis constant, quam ullis verbis exprimi possint. Nam preter ea ingentia damna, que hac estate tum in Russia Tartari, tum Mosci in Lithuania nobis intulerunt, docti sumus per nuncios et exploratores nostros ex Tartaria, utrumque hostem statuisse omnibus viribus arces nostras finitimas oppugnare et circa illas hibernare; porro magister Prussie, licet simul cum predictis hostibus, uti conspirarant, adoriri nos neglexit, tamen ut certum habemus documentum, illum conductis e Germania gentibus etiam in media hieme bellum ordiri velle nullamque occasionem pretermittere, qua nos vel inopinantes, vel certe cum aliis hostibus occupatos aggredi posset. His vero malis circumdati, quod factu consultius videbitur, ut videlicet terris Prussie quod celerius adessemus, quas predecessores nostri multo sanguine et impendio partas nobis reliquerunt, ne illi subditi se a nobis desertos putantes in spe deficerent et ad aliquod discrimen venirent, utque magistrum a quo ceu fonte omnia hec mala promanarunt, coërcere et ad officium debitum suum prestandum reducere possemus, in Prussiam ire cum exercitu decrevimus, relictis in terris Russie que potuimus presidiis, ut illic existentes et consulere simul difficultatibus istis, et providere, antequam difficiliores sint, commodius valeamus. Atque ita necessitate postulante ac de consilio tam colensis quam cracoviensis conventuum nuper habitorum, generalem conventum pro die Sct. Catherine fut. in civitate nostra Thorun indicendum duximus et indiximus, quem de more particulares etiam precedent, omissis tamen Colensi et Nove civitatis Korczin conventibus, ut minus ad presens necessariis et id temporis angustia existente. Quare hortamur Ptem. vram. ut constituta prius in particulari prossovicensi conventu, qui erit fer. N.N. atque illic de eligendis cum plena facultate terrarum nunciis opera diligenti facta, demum ad conventum generalem Thorunensem pro f. S. Catherine veniat, illic nobiscum tantis periculis et difficultatibus utinam melioribus auspiciis consultura pro debito suo et gratia nostra. Datum Cracovie fer. VI. ante fest. S. Hedwigis.

MDXX. Cod. G. R. (MDXIX.)

Sigismundus, Rex Polonie, Castellanis et Consiliariis minoribus Regni Polonie.

MDXX. Cod. G. R. (MDXIX.) Generose fidelis dilecte. Quia magister Prussie, contempto usque huc debito suo, quod prestare nobis obligatur, non solum assidue subditos nostros spoliis, latrociniis, incendiis et carceribus premit, sed etiam conjuratione cum hostibus nostris Moscis et Tartaris facta, nititur nobis illa eripere, que jure ad regnum nostrum pertinent, et que predecessores nostri parta reliquerunt, jamque conductis ex Germania gentibus aliisque bellicis preparamentis, nihil pretermittit, quo institutum suum ad effectum perducat. Quare volentes huic discrimini consulere et fontem istum, unde omnes difficultates nostre emanant, precludere, de consilio prelatorum et procerum consiliariorum nostrorum ac de rei necessitate et ratione, conventum generalem in civitate nostra thorunensi pro die Sct. Catherine prox. celebrandum instituimus, quem particulares in N. feria N. de more precedent. Hortamur itaque tuam Mgciam. ut constituta prius in conventu predicto particulari, demum ad generalem pro tempore designato veniat, in eo nobiscum una et cum aliis consiliariis nostris tante tamque subite necessitati et periculo consultura pro officio suo et gratia nostra. D. Cracovie d. S. Hedwigis.

Sigismundus, Rex Polonie, Ad Nobilitatem polonam.

Cod. G. R. Quia magister etc. cum conclusione sequenti: Hortamur tuam Fidelitatem, ut ad predictum conventum particularem proficiscatur et auditis illic ex nuncio nostro necessitatibus Reipublice, ut illis in conventu generali debito modo consuli et provideri posset, operam faciat, ut nuncii ad ipsum generalem conventum cum plena potestate deputentur. Factura etc. Crac. d. S. Hedwigis.

Sigismundus, Rex Polonie, Capitaneis Terrarum et Arcium.

Cod. G. R. Generose fidelis dilecte. Quia magister Prussie etc. Quare mandamus tue Fidelitati, ut istos conventus proclamari faciat in omnibus foris et congregationibus populi oppidorum et aliorum locorum publicorum capitaneatus sui literasque nostras, quas ad officiales et nonnullos nobiles scripsimus ad eosdem mittat et perferri quam primum faciat pro debito suo et gratia nostra. Dat. Cracovie d. S. Hedwigis.

CREDENTIA

Credentia pro Nuncio regio.

Vniversis et singulis prelatis, proceribus, consiliariis et officialibus ac ceteris subditis nostris in conventu N. congregatis sincere et fidelibus nostris dilectis salutem et gratiam nostram regiam. Mittimus in medium vestrarum Dominationum generosum N. cui commisimus presentes Reipublice necessitates et voluntatem nostram de illis eisdem vestris referre. Quare hortamur illas, ut ei plenam fidem adhibeant idque exequi curent, quod nostro nomine ad consulendum Reipublice necessarium postulabit, debitum suum et rem nobis gratam facture. Dat. Cracovie d. S. Luce, evangeliste. MDXX. Cod. G. R. (MDXIX.)

Sigismundus, Rex Polonie, Nunciis singularum terrarum Regni.

Generose fidelis dilecte. Instituimus conventum generalem pro f. S. Catherine prox. in civitate nostra Thorun, quem de more particularis in N. feria N. precedet, ad quem cognitam habentes tuam industriam et diligentiam te nuncium designavimus, volumusque, ut illo proficiscaris et mandata nostra juxta instructionem nostram, quam tibi mittimus exponas adnitarisque omni studio, quo nuncii cum plena potestate ad conventum generalem eligantur ita exigentibus summis difficultatibus Reipublice. – Pro gratia nostra, qua hanc operam tibi rependemus. Datum Cracovie. Cod. G.R

CX. Legatio a Sigismundo, Polonie Rege, ad singulos conventus terrarum missa.

Post debitam Mtis. regie gratiam et oblatas literas referendum, qualiter in omnibus conventibus preteritis Mtas. regia denunciari faciebat, que magister Prussie adversus illam et regnum nostrum moliebatur, ut hoc toto tempore, quo prefecturam ordinis accepit, tormenta bellica comparabat et globas fundebat, pontes portatiles construebat, arma, secures ac alia instrumenta bellica comparabat, faciebat delectus hominum, implebat orbem terrarum querimoniis sugillando indigne Mtem. regiam et regnum auxiliaque et favores omnium sibi comparando. Cod. G. R.

Cum tamen ipse, Mte. regia nihil adversus eum agente premeret continuo subditos ejus Mtis. in terris Prussie vectigalibus insolitis, carceribus, latrociniis, incendiis, cedibus adeo, ut nihil indignius ac hostile magis geri ab eo potuerit.

Nihilominus illum talia patrantem occasionemque et commoditatem sui propositi semper expectantem, cum ut dictum est, referri in conventibus solebat, parva harum omnium rerum ratio est habita, ut quod in omni malo saluberrimum est principiis obstari potuisset.

Tandem eo processum est, ut magister ipse omnibus rebus libere dispositis conjurationeque cum Mosco et Tartaris adversus Mtem. regiam facta, ut uno tempore ac impetu regnum

et

MDXX. (MDXIX.) et dominia Mtis. sue simul omnes adorirentur, conduxit ipse magnum exercitum ex Germania, qui, nisi aliquanto serius venisset, magnam cladem tunc presertim, cum alii hostes urgebant, inferre terris Prussie potuisset.

Jam enim notum est omnibus, qua vi et Tartari Russiam et Mosci Lithuaniam aggressi fuerunt, quantaque damna dederant, et utcumque magister ceptum suum ita ut statuerat neglexisse videtur; habet tamen Mtas. regia certissima documenta, illum vel media hieme ceptum suum prosequuturum, cum ita inter eos conventum et decretum sit, quod Mosci et Tartari arcem Kijoviensem et alias finitimas expugnare et circa illas hibernare debent, magister vero suas partes agere.

Et quidem cum Tartaris, hostibus perpetuis, nihil habet Mtas. regia constitutum, nihil firmatum, qui et nunc circa fines Russie degunt et continue sunt timendi.

Quare Mtem. suam, ut de his periculis et discriminibus commune omnium subditorum suorum consilium caperet, simul et terris Prussie quam celerius adesset, ne illi subditi nostri se desertos videntes in desperationem venirent, consulentibus id etiam dominis consiliariis conventus preteriti colensis et cracoviensis, statuisse conventum generalem Thorunii pro festo S. Catherine futuro celebrandum, nam aliter nullo modo id quod necessarium et urgentissimum est fieri potuisset, et ut consuleretur simul his difficultatibus et terris Prussie subveniretur.

Venturam autem esse Mtem. suam ad eum conventum cum omni bellico apparatu et milite, ut facilius et efficacius quod consultum videbitur exequi possit et animi subditorum Prussie confirmarentur.

Reliquisse vero Mtem. suam pro presidio terrarum Russie equitum mercenariorum tria milia, reliquisse etiam mgcum. palatinum lublinensem, qui cum consilio aliorum dominorum in his partibus existentium ageret id cum ipsis militibus, quod necessitas postulabit.

Itaque cum difficillima erunt negotia tractanda et consulenda, hortandi sunt domini consiliarii et nobilitas, ut nuncios viros graves et prudentes ad predictum conventum generalem eligant eisque facultatem omnem dent, cum Mte. regia et dominis consulere et statuere, quod utilius et commodius pro communi bono videbitur.

Et cum iter sit ad eum conventum longius solito et res tractande ardue et que omni celeritate indigent et impense sint graviores, nuncii quam pauciores numero fieri potest eligantur et negotia domestica pro alio conventu generali, qui liberius agitur, reserventur, ne Mtas. regia et consiliarii his occupati ea que maximi sunt momenti et moram non patiuntur, negligant. —

CXI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Cast. Posnan. et Majoris Polonie Capitaneo generali.

Cod. G. R. Accurrit huc his diebus modo cursorio et cum omnium hominum admiratione dominus Joannes Laski, archieps. gnesnensis, qui mox veniens agere cepit in consilio, ne Mtas. regia conventum

conventum ageret in Prussia, sed in aliquo alio loco regni causam pretexens insecuritatis, quasi tunc securius fuerit, cum peditatus illic adventabat, quando omnes domini conventum Thorunii habendum censuerunt. Suasit etiam, ut milites isti, quos Mtas. regia quotidie scribit, jam bellum ordirentur adversus magistrum, cum de hac re maxima et difficillima erit pars consilii et deliberationis, qualiter id bellum erit instituendum. Itaque tunc e vestigio sententiis omnium et Mtis. regie non est persuasio ipsius suscepta. Postero die nescio que secreta egit cum Mte. regia, et iterum mox discessit, impetratis tamen literis a Mte. sua ad vram. Mgciam., ut vel pecunias pro Colo daret, vel possessione ipsius cederet. Ego repugnavi huic rei, tamen cum Mtas. regia jussit, coactus sum dare literas. Vestra Mgcia. sciet, qualiter se in hoc negotio gerere debebit, non opus est, ut a me doceatur. — MDXIX. (MDXIX.)

Jam hinc die lune proximo post f. S. Martini egrediemur. Mgciam. vram. rogo, efficiat, ut frater meus, dominus Nicolaus, ante id tempus huc veniat, neque aliter ipse faciat. Commendo me etc.

CXII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Nicol. Radivilo, Palat. Vilnensi.

Mgce. dne. amice et fautor honorande. Non libenter video, quod nonnulla differentia suborta est inter vram. Mgciam. et dnum. palatinum trocensem, nunc presertim, cum ista respublica Mg. ducatus Lithuanie sit in tantis fluctibus et discriminibus constituta, cui, si mutua esset vrarum. Dtionum. concordia et unitas, recte consuli et provideri posset, et cum difficillimum sit foris bellum, intus autem dissidium et discordia vra., que spes relicta videatur salutis? Itaque Mtas. regia id gravi ferens animo et cupiens hoc Reipublice nocumentum removere, commisit dno. Hlinicz et dno. Bogussio inter vras. Dtiones. concordiam tractare, commisit idem etiam dno. Miedzileski, electo camenecensi, qui utrique illorum libenter inservit, itaque ego, cujus professionis est, mutuam pacem et benivolentiam hominum cupere et conciliare, quique libentissime viderem omne bonum reipublice Mg. ducatus Lithuanie non secus quam regni, plurimum rogo vram. Mgciam., non desit ipsa quoad reconciliationem mutuam cum ipso dno. palatino trocensi veniat, seque facilem ad honestas conditiones concordie prebeat, ut hec difficultas non accedat, quominus Respublica vestra possit ab his discriminibus liberari, faciet vra. Mgcia. rem sua virtute et prudentia dignam ac Mti. regie multo gratissimam, quam non ignoret Prussiam cum apparatu bellico proficisci, provocatam indignissimis conatibus magistri, a quo iste omnes difficultates regni et ducatus Lithuanie promanarunt. Itaque non potuit Mtas. regia jam aliter facere, quam operam impendere, ut illum coërcere possit. Me vestre Mgcie. et obsequia mea ex animo commendo et cupio, ut sit felix et incolumis. Cod. G. R.

CXIII. Petrus Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Erasmo Ciolek, Epo. Plocensi, Oratori Rome agenti.

MDXX. (MDXIX.) Cod. G. R. Rme. in Christo pater et dne. major honorande. Multi sunt in regno, quibus actiones vre. Ptis. istic in Urbe placent, multi item, quibus displicent, qui se pervestigare omnia referunt, quecunque illa pro sua ipsius exaltatione cum hic apud nos, tum Rome et alibi agit, eosque se habere exploratores dicunt, quorum illa ministerio in hisce negotiis uti solet, et quia illi ipsi persone sunt insignes, sit sepe magna instantia apud Mtem. regiam contra Ptem. vram., ut vel revocaretur, vel officio legationis et omni istic auctoritate exueretur. Idque non privatim solum agitur, sed etiam publice, ita ut ex conventu Colensi nomine omnium dominorum significata fuerint per dominum Gorski plurima contra Ptem. vram. et petitum, ut revocaretur. Ego teste Mte. regia et dnis., qui aderant his omnibus, semper obstiti et de providenda illa egi effecique id, quod nunc Mtas. sua illi mittit, quamquam haud scio, quomodo mihi id referatur a Pte. vra. et quam fidem illa de me habeat, ex meis enim et meorum negotiis hactenus parum illius favoris cognovi, habet fortasse Ptas. vestra majorem fidem in iis, qui eam verbis lactant et more curie cum illa agunt, quod et ego facere scirem si vellem fumos vendere, sed id non consuevi. Utcunque est ego officium boni viri non omittam atque ut cepi honestati et decori Ptis. vre. contra illius adversarios consulere volo, quod clarius huc rediens cognoscet. Interim tamen commendo illi adhuc negotium meum de prepositura Miechoviensi, commendo item et negotium nepotis mei, dni. Critii, in prepositura posnaniensi, in quo quid facturi sumus prorsus ignoramus, nihil comperti habentes, expedieritne Ptas. vra. licentiam resignandi dno. administratori vilnensi necne. Sin minus, rogo, quod celerius illam mittat, nam magnam jacturam cepit ex ista mora nepos meus et bona illius magis destruuntur, que res et displicet regie Mti. et mihi ab his exprobratur, qui sciunt, qua fide ego cum vra. Pte. ago, pro qua quidem fide nolo illam latere, gravi et indigno animo tulisse Mtem. regiam, quod pluries ei scripserat acrius expostulando de suis istic servitiis et sui provisione; dixit enim Mtas. sua: nullum esse cardinalium, qui sic acerbe et contemptibiliter cum illa ageret, ac non libenter quodvis obsequium istic illi prestaret sine tanta efflagitatione mercedis. Itaque rogo illam lenius posthac ejus Mti. de his rebus scribere velit, novit enim, molles esse aures principum, nec oportet nisi mollibus verbis uti, qui vult, ut non offendantur, et boni consulat ea que illi animi mei integritate scribo, valeatque felicissime et me diligat. Ex Vijasd XXI Novembris.

Cod. G. R. Anno domini MDXIX., XV. Novembris. Sermus. dnus. Sigismundus, rex Polonie, Cracovia egressus in Prussiam ad Thorunium ad conventum generalem ac ad bellum pruthenicum contra Albertum, marchionem brandeburgensem, magis-

trum

trum Cruciferorum in Prussia generalem, nepotem suum ex sorore. MDXX. (MDXIX.)

II Decembris Thorunium pervenit.

CXIV. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Datum Consiliariis Prussie Thorunii.

Sacra Mtas. regia Rmi. et mgci. dni. gratias habet non vulgares vestris Dtionibus. de hoc in se officio et cura ac diligentia in agendis his, que pro communi bono utilia et necessaria videntur. Cod. G. R.

Mtas. sua Serma. audiens jam pridem in quantis angustiis et calamitatibus fuerint he terre sue constitute et quibus adversitatibus acte, venisset dudum ad consulendum et providendum illis libentissime, nisi fuisset aliis gravissimis cum suis, tum Sermi. dni. Ungarie et Bohemie regis, negotiis impedita, verum cum primum exolvere se utcunque potuit, venit huc Mtas. sua Serma. eo animo et rebus sic instructis, ut vras. Dtiones. et alios subditos suos fideles ex his fluctibus et perturbatione vindicet, idque totum exequatur, quod illis ac aliis dnis. consiliariis regni sui pro pace et bono statu harum terrarum proque dignitate Mtis. sue Serme. factu utile et opportunum videbitur.

CXV. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie, patruo.

Serme. princeps et dne. patrue noster charissime. Venerabilis doctor Balbus, secretarius et orator noster, quem proxime ad Mtem. vram. miseramus, retulit nobis ex fide declaravitque ad unguem singula, que per responsionem a vestra Mte. acceperat. Quid scilicet Mti. vre. visum sit de rebus affinitatis hucusque neglectis, quid de nostra in Bohemiam profectione, quid item de plerisque aliis negotiis, de quibus legatio sua constabat. Que quidem Mtis. vre. responsio tota fuit nobis admodum grata utpote humanissima et ex animi nostri sententia facta, in ea vero parte gratissima, ubi ex ipsa responsione cognovimus: Mtem. vram. pro singulari et fraterno in nos amore ita secum constituisse, ut posthabitis suis et regnorum suorum negotiis licet arduissimis vel Brunne vel in Olomuncz, vel Posonii ad primam future Quadragesime dominicam nobiscum conveniat, rebus nostris consulat atque prospiciat. De hac itaque tam propensa tamque optima vre. Mtis. in nos voluntate fraternaque pietate agimus et habemus Mti. vre. gratias amplissimas, quas etiam cumulatissime referendas per omnem occasionem curabimus, nec unquam tantorum Mtis. vre. in nos officiorum sumus futuri aut immemores aut ingrati. In celebrando autem hoc conventu ut nostram quoque mentem Mti. vre. aperiamus, amplectemur libentissime sequemurque Mtis. vre. consilium. Credimus namque illud utriusque nostrum rebus maxime vero nostris deo opitulante salutare fore. Quoniam autem Mtas. vestra de locis optionem nobis dedit, erit Cod. G. R.

nobis

MDXIX. (MDXIX.) nobis multo commodius Posonii intra scilicet hujus regni nostri limites quam foris hoc tempore convenire, tum propter alia multa, tum quod oris germanicis ille locus vicinior est, ubi nunc convenisse electi imperatoris commissarii dicuntur, cum quibus forte de rebus matrimonii, si quid interea concludi per oratores nostros cum eis non posset, tractare ob loci vicinitatem commodius poterimus. Tempus autem conventioni nostre per Mtem. designatum satis videretur esse conveniens, sed cum illud in Quadragesima incidat, veremur, ne piscium inopia illic gravaremur, videreturque itaque nobis, si modo Mti. vre. placuerit, melius esse, presertim pro sequacibus nostris, una saltem vel duabus septimanis ante Quadragesimam convenire, id est vel ad dominicam Quinquagesime vel Sexagesime. Sed hoc nos quoque arbitrio Mti. vre. relinquimus et nos illud tempus acceptabimus, quod Mti. vestre visum fuerit magis aptum, de quo velit, rogamus, nos quam primum reddere certiores. De rebus autem matrimoniorum tractandis cum commissariis Caroli regis, quoniam intelleximus Mtem. vram. jam designasse oratorem suum et reliquisse Cracovie paratum in horas proficisci ad commissarios predictos, si nobis de his rebus ante conventum nostrum aliquid agendum videretur. Propterea ut in aliis ita in his quoque volumus imitari consilium Mtis. vre. et jam nos quoque designavimus oratorem nostrum, ipsum scilicet Balbum ad ipsos commissarios, quem hinc propediem expediemus et ita dimittemus, ut ad Purificationis Marie festum adfuturum in Ispruck, ubi commissarii nunc existunt, pervenire possit; non enim volunt, ut certo didicimus, hoc tempore propius ad nos descendere. Quare Mtem. vram. plurimum rogamus: velit jubere, ut orator suus ad hanc provinciam jam designatus iter accipiat et contendat ad Ispruck ad predictum festum Purificationis pervenire, et illic jungat se oratori nostro et una adeant commissarios moneantque illos pro instructionibus sibi mutuo communicatis, ut jam tandem negotium ipsum pro desiderio nostro transigatur, poterunt autem illos utriusque nostrum nomine affabiliter primum adhortari, deinde, si res postulabit, exprobrare etiam beneficia nostra et illorum ingratitudinem incuriamque accusare ac demum si videbitur etiam minas aliquas addere: non scilicet defuturos, qui hanc insignem injuriam ulciscantur, si res ipsa prout optamus, suum finem sortita non fuerit. — Esto autem, ut si predicti oratores nostri nihil concluderent, proderit tamen eorum missio vel ad hoc, quod ex disputationibus in congressu et colloquio illorum futuris apertius eorundem animos et sententias expiscabitur et tandem in conventu nostro facilius etiam deliberabimus, quid opus facto fuerit.

Ceterum missuri sumus, ut Mti. vre. antea quoque significavimus, oratores nostros ad conventum bohemicum pro festo Epiphaniarum dni. proxime futuro celebrandum, ad sedandos animos Bohemorum propterea quod ad ipsos hucusque sepe vocati non concesserimus concitatos, qui prolatis in medium causis, que nos hic detinuerunt, studebunt absentiam nostram excusare, et illis persuadere, ut equo animo illam ferrent certamque spem habeant, nos in eorum medium quam libentissime profecturos, cum primum per opportunitatem licuerit.

Quoniam autem autoritas Mtis. vestre, apud quam, ut audivimus, sepe jam conquesti sunt, plurimum valet, vel (si modo ea re Mtem. vram. non gravabimus) aliquem ex suis illuc quoque ad predictum Epiphaniarum festum oratorem mittere, cujus presentia et Mtis. vre.

pro

pro nobis missa legatio rebus nostris procul dubio magno erit adjumento causamque da- MDXX. (MDXIX.)
bit, ut nostri ad nos cum optata responsione revertantur.

Postremo sciat Mtas. vra., jam nos oratorem nostrum ad pontificem pro re pruthenica expedivisse et eam nos diligentissime curaturos facturosque etiam alia omnia quecunque Mti. vestre vel grata vel jucunda fore cognoverimus.

De premissis autem omnibus Mtas. vestra velit nobis preter moram rescribere, ut, intellecta Mtis. vestre mente, sciamus nos quoque illi nos et studia nostra accommodare; quam deus omnipotens quam felicissime conservet et concedat eidem in omnes hostes suos victoriam semper gloriosam. Datum Bude in festo Conceptionis b. virg. Marie.

CXVI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Bone Sfortie, Regine Polonie.

Serma. princeps et dna., dna. clementissima. Post perpetue servitutis et orationum mearum Cod. G.
humilem recommendationem. Omnes domini consiliarii regni et harum terrarum Prussie in ea sunt unanimi et concordi sententia, quod dnus. magister, cum hactenus noluit prestare debitum juramentum Mti. regie, nec se ita erga illam et ejus subditos gerere, prout decet bonum subditum et vicinum, bello coërceatur. Nondum tamen conclusum est, si bellum sit illi inferendum necne propter absentiam domini ducis Masovie et aliquorum nunciorum nobilitatis regni, sine quibus non visum est quicquam in tanta re decernere, brevi tamen fiet id quod futurum est, de quo postea scribam vestre Mti. — Regia Mtas. gratia dei est bene sana, me vero dolor oculorum invasit cum primum huc applicuimus. Me vre. Mti. et meam humilem servitutem perpetuo commendo, quam dominus deus diu sanam et felicem conservet in sua gratia. Datum Thorunii.

CXVII. Zelasni Lysth Nicolao Lanczkorunski. (Salvus Conductus).

Sigismundus etc. significamus. — Quia cum exposuisset coram nobis generosus Nicolaus Cod. G. R.
Lanczkorunski, qualiter cum gravi impendio suo per septennium continuum montano labori incumbens, ut inde non solum sibi sed etiam Reipublice regni nostri commodum aliquod et honorem afferre posset, es alienum adeo contraxisset, ut ad illud exolvendum induciis opus haberet, supplicassetque nobis, ut easdem inducias et literas securitatis sibi et fidejussoribus suis ac his, qui se pro ipso principales posuerunt, concedere dignaremur, Nos autem simul cum consiliariis nostris perpendentes una ex parte gravitatem et dispendium creditorum, quod ex talibus induciis et literis nostris capere solent, ex alia vero parte dicti Nicolai sinistrum in ipso labore montano successum, quem quidem laborem ipse honesto et laudabili proposito exercuit, ac per eum, ut sunt humani casus, ad eam difficultatem et necessitatem devenit, dignum putaremus, illi benignitate nostra non deesse,

 presertim

MDXX. (MDXIX.) presertim cum mercatoribus et aliis sua infelicitate collapsis nos et predecessores nostri ejusmodi gratiam exhibere consueverunt, de communi consiliariorum nostrorum consensu, eidem Nicolao Lanczkorunski inducias ad solvenda debita, que contraxit, concedendas duximus et concedimus presentibus ipsi videlicet quo ad ejus personam ad tres annos, fidejussoribus vero et qui se pro eo principales statuerunt ad annum unum a data presentium literarum, volentes et decernentes: neminem ex creditoribus intra tempus induciarum predictarum eidem Nicolao ad tres annos et fidejussoribus, ac qui pro eo se principales debitores fecerunt eorumque fidejussoribus predictis ad unum annum a data presentium per nos concessarum, sua debita quocunque jure et judiciis regni nostri ac vigore quarumcunque inscriptionum literarum aut obligationum aut quovis alio modo, pretextu vel colore per se vel per alium ab eodem Nicolao et ejus fidejussoribus et principalibus eorumque fidejussoribus posse et debere exigere sub pena transgressi et violati salvi conductus alias listu zelasnego seu literarum securitatis a nobis concessarum. — Quare omnibus dignitariis, officialibus et subditis nostris cujuscunque status et conditionis existentibus nostram hanc concessionem patefacientes, mandamus: ne quid in contrarium facere contra predictum Nicolaum Lanczkorunski ejusque fidejussores et principales pro eo debitores factos eorumque fidejussores supradictos audeatis, sed eos conservetis et conservari faciatis juxta tenorem ejus nostre concessionis et induciarum in omnibus conditionibus in ea contentis et expressis, harum testimonio literarum. Datum Thorunii.

CXVIII. In conventu generali Thorunensi anni MDXX.

Cod. G.

decretum erat, ut fertones dupplices ex laneis kmetonum omnium villarum, spiritualium et secularium ac regiarum, solverentur: unus videlicet ferto per colonum, alter de censu dominorum.

Pauperes nobiles, kmetones non habentes, similiter advocati et sculteti unum fertonem ex laneo quolibet solverunt.

Incole vero terrarum Prussie de omni manso grossos duntaxat X contribuerunt.

Civitates et oppida Prussie, bonis eorum mobilibus et immobilibus taxatis medio corporali juramento, solverunt ab unaquaque marca levi pruthenicali tres denarios. A mille marcis pruthenicalibus octo marcas pruthenicales.

Civitates polone in regno duplicatum Ssoss solverunt, que omnia ex sequentibus literis plene cognoscuntur.

CXIX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Konarski, Epo. Cracoviensi.

Rme. in Christo pater et dne., dne. clementissime. Adhuc in conventu isto nihil est certi constitutum preter bellum adversus magistrum, quod usque huc ad nullum effectum perductum propter difficultatem, quam nuncii terrarum more suo faciunt extorquere volentes prius sua petita, quam ad aliquam contributionem consentiant. Dni. consiliarii videntes tantam necessitatem Reipublice, quanta vix unquam fuit, unanimiter decreverunt duplicem contributionem Schoszij et Czopowe ac de quolibet manso duos fertones, unum videlicet a colono, alterum a percipiente censum solvendum. Sed nuncii terrarum per hos omnes dies nos articulis suis occuparunt, quos, etsi prohibiti fuerunt scribere, tamen scripserunt supra quadraginta, inter quos potissimi sunt: ut Casimirienses et Costenses punirentur et demissio libra fiat in Gedanum, utque illa quadraginta milia per dnos. spirituales jam darentur et coëquarentur illi in expeditione bellica nobilitati et alia multa, de quibus deceptatum est per hos omnes dies et neglecta melior occasio agendi, quod agi debet priusquam magister sibi providisset. MDXX. Cod. G. R. (MDXIX.)

Jam vero declinant res ad finem et conclusionem, consenseruntque nuncii jam ad eandem contributionem, quam domini decreverunt, dempto fertone a censu, sed pro eo sex grossos offerunt.

Dominus etiam campiductor exibit cum gentibus intra biduum, quarum magna pars jam processit. Qualitercumque concludetur conventus et quales erunt nostrorum successus, scribam omnia Rme. Dtioni. vre., cujus bone gratie me commendo, que sit felix et incolumis.

CXX. Litere Contributionum publicarum in Conventu Thorunensi decretarum.

SIGISMUNDUS, rex Polonie etc. universis et singulis ecclesiasticis et secularibus consiliariis regni nostri, ceterisque subditis nostris quibuscunque tam terrestribus, quam civitatum et oppidorum honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam presentes litere nostre pervenerint et presertim in palatinatu N. et districtibus ejus consistentibus, sincere nobis dilectis, salutem et gratiam regiam. Cod. G. R.

Rmi. ac rev. in Christo patres, nec non mgci. generosi, nobiles, famati et providi sincere nobis et fideles nostri dilecti. Subortis novis difficultatibus Reipublice in terris Prussie, magistro et ordine Cruciferorum non solum jugum obedientie nobis debite excutere volente, sed etiam civitates et arces per predecessores nostros summo labore et impendio partas, indigne et hostiliter eripere nitente, preterea in terris Russie alia difficultate cum Tartaris exigente, necesse fuit tantis discriminibus, quibus undique septi sumus, diligentius, quam unquam alias consulere et providere. Ut autem Rempublicam ab his calamitatibus liberare et defensioni insistere possemus, cum eo ventum sit, ut vim vi repellere oporteat, statuimus

MDXX. statuimus in hoc conventu thorunensi generali communi omnium tam spiritualium quam secularium consiliariorum nostrorum et nunciorum terrestrium consilio et voluntate, contributiones infrascriptas pro defensione Reipublice et nervo belli. Inprimis fertones duplices, alteros ex mansis seu laneis agrorum kmethonalium, quos singuli coloni seu kmethones villarum tam nostrarum quam omnium spiritualium et secularium subditorum nostrorum ex singulis suis agris possessionatis, quos laneos vel mansos vocant, solvant, alteros vero fertones statuimus solvendos de consensu dominorum ex eisdem agris kmethonalibus solvi consueto, ita ut duplicati fertones ex quolibet manso seu laneo agri solvantur modo premisso et utrique hi fertones tam de agris kmethonalibus quam de censu dominorum debent solvi secundum quittantias anni precedentis et ab hinc tertii absque juramentis. Quorum quidem duplicium fertonum primus ferto de censu dominorum ad dominicam Letare prox. vent. alius vero ferto, quem coloni de laneis et agris suis kmethonalibus solvent, ad festum S. Bartholomei prox. contribui debebit. Nobiles vero, qui colonos seu kmethones non habent, solvet quilibet eorum unum fertonem pro dominica Letare proxima. Similiter advocati et sculteti, colonos seu kmethones non habentes etiam solvent per unum fertonem; advocati vero seu sculteti, kmethones habentes etiam solvent ita ut alii domini de censu suo per eorum kmethones solvi eis consueto per unum fertonem de quolibet manso pro dominica Letare prox. vent. et coloni etiam seu kmethones ipsorum solvere tenebuntur per unum fertonem de quolibet manso pro festo S. Bartholomei prox. secundum quittantias anni precedentis et abhinc tertii sine juramentis ita ut kmethones aliorum dominorum.

Item tabernatores, sive sint dominorum sive advocatorum seu scultetorum, qui agros habent, ab illis exactionem fertonum solvent juxta agrorum quantitatem ad festum S. Bartholomei predictum.

Exactionem vero ducillorum a singulis cocturis cerevisie more consueto solvere nihilominus sint astricti, alii vero tabernatores, qui advectitiam propinant cerevisiam sex gross. semel hoc anno non ad duas ratas solvere debent. Et hi contributionem Czopowe non solvent, cum non coquant cerevisiam, sed aliunde illam ad propinandum adducunt.

Oppida autem et ville vastate et cremate per Tartaros hac proxime preterita estate in terris Podolie et Russie et a suis dominis liberate, quarum videlicet incole suis dnis. nihil solvent, si quidem hoc probabunt, quod suis dnis. nihil solvunt, libertatem et immunitatem habebunt ab ista fertonum contributione in presenti conventu instituta, exactione Czopowe excepta.

Item molendina predictarum villarum, que Prosrebne vocantur, manuales seu anniversarios molendinatores habentia, ex singulis rotis sex grossos solvent, hereditarii vero molendinatores dictarum villarum et folusche ex singulis rotis molendinorum suorum, que Walne dicuntur, unum fertonem persolvent.

Item molendina brasealia et hereditaria aquatica et equestria in omnibus civitatibus et oppidis more veteri taxata et secundum antiquas quittantias, contributionem duplicem, que Schoss dicitur, persolvent, a qualibet marca duos grossos taxe, quarum quidem duplicium contributionum unam ad dominicam Letare prox. futuram, aliam vero ad festum S. Bartholomei prox. contribuere debebunt.

Molendina

Molendina vero dominorum brasealia, que non habent molendinatores hereditarios, sed domini ipsi servant in eis mercenarios famulos, nullam contributionem solvent. MDXX.

Minerarie vero officine alias ferrum facientes et serre hereditarie ex singulis rotis per unum fertonem pro festo S. Bartholomei predicto solvent, ab annuali vero, h. e. locata seu conducticia officina mineraria et similiter ab annuali serra gross. sex solvi debent.

Item molendina ventilia hereditaria duodecim grossos, illa vero molendina ventilia, que anniversarios molendinatores habent, sex grossos solvent pro festo S. Bartholomei pedicto.

Item civitates et oppida tam nostra quam subditorum nostrorum spiritualium et secularium similiter duplicem contributionem civilem, quam Schoss vocant, ad duas temporum ratas supra descriptas: videlicet unam contributionem pro dominica Letare et medio Quadragesime prox. venture, aliam pro festo S. Bartholomei immediate sequenti juxta antiquas quittantias solvent, hoc addito et expresso, quod cives et suburbani agros habentes, qui uno jure civili gaudent et contributionem Schoss simul contribuunt, fertones non solvant.

Item contributio cerevisie, vini, medonis, malmatici, Czopowe dicta, in iisdem civitatibus et oppidis ac etiam tabernis villarum tam nostrarum quam subditorum nostrorum spiritualium et secularium a festo Pentecostes proxime venturo — nam prius instituta seu prolata ibi terminabitur et expirabit — incipiet et per integrum annum durabit, que a singulis cerevisie cocturis more solito solventur, ex quibuscunque braseis fuerit eadem ipsa cerevisia coacta, sive brasea ipsa sint civium et dominorum, sive ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta, ita quod etiam a cerevisia, quam domini et nobiles ex braseis suis coquunt seu braxant, et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus, contributio ipsa Czopowe solvatur.

Item sacerdotes rutheni, qui popones vocantur, ex singulis ecclesiis et sinagogis suis unum florenum alias mediam sexagenam persolvent.

Item Valachi ex singulis laneis integris si illos habent, vel areis, que Dworcziscza dicuntur, unum fertonem solvent, et qui agros non habent, a singulo centenario ovium duodecim grossos persolvent.

Ut autem supradicta ordinatio in exigendis eisdem contributionibus facta debite executioni demandetur, generosum N. ad eas colligendas in palatinatu N. exactorem designavimus et constituimus presentibus literis nostris, mandamusque, ut in manus ejus ac illorum, qui ei ex nobilitate adjuncti sunt, designatis temporibus easdem contributiones persolvere curetis.

Vos vero capitanei eos, qui tarde vel contumaces in solvendo erunt et quos ipse exactor deferet per pignorationes et alias penas in presenti conventu statutas et aliis literis nostris descriptas ad solutionem ipsarum contributionum predictarum compellatis, penasque hujusmodi diligenter exigatis sub pena centum marcarum contra negligentes capitaneos decreta nobis irremissibiliter persolvenda et pro gratia nostra aliter non facturi. Datum in conventione generali thorunensi fer. VI. prox. post. f. S. Thome, apostoli.

CXXI. Ordinatio exigende contributionis in conventu thorunensi laudate.

Sigismundus, Rex Polonie.

MDXX. Cod. G. R. Manifestum facimus per presentes universis. Quia consulentibus nobis in presenti conventu thorunensi, ut, que contributiones pro necessitate Reipublice decrete constituteque sunt, bono ordine exigerentur ac in thesaurum regni nostri importarentur, infrascriptam ordinationem ad unius anni decursum duntaxat valituram de communi consiliariorum nostrorum status utriusque et nunciorum terrestrium consilio et assensu faciendam et edendam duximus.

Ac imprimus totus palatinatus sandomiriensis tria loca pro contributionibus in presenti conventu decretis habeat, unum videlicet Sandomirie, districtus Sandomiriensis, alium Vislicie, districtus pilsnensis et chączinensis, tertium in Radom, districtus radomiensis et opocznensis; ad que loca contributiones comportari debent. In quibus locis successive et singulariter exactor electus per unam hebdomadam manebit cum nobilibus sibi adjunctis colligendo omnes contributiones secundum dispositionem literarum universalium.

Que contributiones solvi debent ad duas ratas: prima rata constituta est pro dominica Letare prox. ventura, altera pro f. S. Bartholomei, apost. similiter prox. venturo.

Ut autem omni suspicione exactor noster careat in palatinatu sandomiriensi, adjungimus sibi duos nobiles veluti coadjutores, videlicet Stanislaum de Tarnow et in Rzemien, palatinidem Crac., Sandom. et Vislicie, et Sbigneum Podlodowski, notarium terre sandomiriensis in Radom. Hi sub corporali juramento cum exactore omni studio et diligentia curent et intendant, quo contributiones juste exigantur et contribuantur.

Cum autem contributiones collecte fuerint, dicti nobiles cum exactore sandomiriensi rationem ponent et super quantitate summe collecte pro illo tempore literas recognitionis sub titulis et sigillis eorum exactori nostro tradent, et eodem modo exactor super summa percepta literas recognitionis sue prestabit nobilibus prefatis. Qui quidem nobiles literas hujusmodi significatoriales ab exactore receptas, palatino et castellano offerent, a palatino et castellano similes literas recognitionis referentes. Debentque litere hujusmodi a palatino et castellano recipiende in conventu particulari proxime futuro nobilitati offerri et tradi, et nobilitas nunciis ad generalem conventum ituris in manus easdem ipsas literas dabit, nuncii vero perferentes ipsas ad conventum generalem coram nobis et consiliariis nostris utriusque status et nunciis terrarum originaliter producturi sunt. Contributiones autem ipse exigi et solvi debent juxta antiquas quittantias anni prox. preteriti.

A quarum quidem contributionum solutione et nos ipsi et omnes consiliarii nostri status utriusque a maximo usque ad minimum excludi non debemus, quinimo pollicemur, quod nos imprimis et postea immediate rmi. dni. archiepiscopi et episcopi, deinde palatini, castellani usque ad ultimum easdem contributiones solvere non negligemus et a nobis et primis statibus et ordinibus regni solutio fieri et incipi debet.

Ubi

Ubi autem vel in bonis nostris vel subditorum nostrorum aliquid desertatum aut libertas ho- MDXX.
minibus per nos vel eorum dominos largita est, ita quod dominus ville nullum penitus censum ex colonis suis haberet, et presertim ubi stipendiarii nostri jacentes bona subditorum nostrorum destruxerunt, in iis terris, cujaviensi precipue inter Thorun et Brzesczie, si dominus ville aut factor ex unaquaque villa duos homines adduxerit et statuerit, quod propter immunitatem colonis antehac concessam, vel propter destructionem a stipendiariis aut aliorum quorumcunque nullum censum haberet et habebit ex colonis suis, prestito corporali juramento, tales coloni liberi esse debent a solutione contributionis decrete, et nihilominus quittantie talium villarum offerantur et conscribantur, facta mentione de immunitate vel de destructione. Similiter intelligendum est de civitatibus et oppidis et aliis statibus in literis universalibus latius expressis, que aut immunes sunt aut destructe.

Super exactione autem ducillorum ita censemus faciendum, quod finito quarto quartali hujus anni, debet exactor coram suprascriptis sibi adjunctis omnes quittantias originaliter ostendere, quas illi in regestra sua inscribere debent ad investigandum de vera quantitate summe, ex ipsa contributione ducillorum proveniri solita.

Item quicunque solutionem contributionum hujusmodi infra unam septimanam facere quacunque ratione neglexerit aut contempserit, ex tunc lapso decursu unius septimane, duplicatam contributionem solvere cogetur. — In qua quidem dupli exactione capitaneus loci ejusdem in bona talis non solventis se autoritate nostra intromittere debet et eadem tenere usque ad totalem solutionem prefate duple contributionis. Quodsi talis negligens eidem capitaneo intromissionem in bona sua dare noluerit, ex tunc ipso facto penam quatuordecim marcarum succumbet, que prefate duplicate exactionis et pene quatuordecim marcarum exacte pro defensione regni convertentur et non aliorsum.

Item si contigerit aliis ex dominis consiliariis utriusque status et presertim rmis. dnis. archiepiscopis, episcopis, palatinis, castellanis in penis prefatis ac exactionibus duplicatis solutione negligentes esse, hi debent citari ad nostram Mtem. citatione sub titulo et sigillo loci illius capitanei, ubi talia bona consistunt, qui terminus eidem prefixus debet esse peremptorius, exceptione districtus se non tuendo. Super quos consiliarios utriusque status suprascriptos in premissis pena centum marcarum constituta est, per nos irremissibiliter repetenda. Ceteri autem subditi nostri status inferioris ad officium capitaneale citari debent pro non solvendo hujusmodi contributione.

Item quod si exactor in deferendis talibus, qui negligentes sunt in solutione contributionis, loci capitaneo vel Mti. nostre remissus vel incurabilis fuerit, quoad superiores status, centum marcarum penam succumbet. Similiter de capitaneo negligenti intelligendum est.

Item occasione spiritualium ratione eorundem proventuum, quos habent in censibus reemptionis, alias Viderkoff, in bonis terrestribus, visum est, si ipse census ecclesiasticorum se extenderit ad quinque marcas, et in villa essent decem marce de censu, tunc dominus ville tenebitur solvere unam medietatem prefatarum contributionum, que de censu solvende sunt, et ipse spiritualis alteram medietatem. Et similiter de aliis summis intelligendum est juxta quantitatem summarum, spirituales tamen eandem contributionem fertonum de censibus reemptionis, quos habent in bonis terrestribus, solvere non debent, nisi prius rmus. dnus.

archiepis-

MDXX. archiepiscopus gnesnensis synodum provincialem instituat quam primum commode poterit et illic tempus, pro quo predicta fertonum contributio de censibus reemptionis bonorum terrestrium juxta constitutionem in presenti conventu factam solvi debeat, ipsis spiritualibus prefiniat et ita provideat, ut ea contributio solvatur, et respublica in illa nullum capiat detrimentum.

Item de contributionibus antehac laudatis, que adhuc non sunt extradite, ita constitutum est, ut capitanei locorum, non solventes prefatas contributiones, compellant ad solvendum easdem, ut moris est ante solutionem modernarum contributionum, que sunt laudate in presenti conventu thorunensi.

Item in civitatibus et oppidis, consulibus et illis, qui custodiunt et observant, ut contributio Czopowe fideliter contribuatur, remitti debet per exactores medietas ejusdem contributionis Czopowe a cerevisia, quam ipsi coquunt.

Salarium annuum pro exactoribus designatum et quantum pro expensis unicuique exactori dari debeat ultra mercedem illi designatam.

Cod. G. R.

Exactori cracovensi marce L ratione salarii.
Eidem ratione expensarum XL marce.
Posnaniensi ratione salarii marce L.
Eidem ratione expensarum XL marce.
Sandomiriensi ratione salarii marce LX.
Eidem ratione expensarum XL marce.
Calissiensi ratione salarii marce L.
Eidem ratione expensarum XL marce.
Syradiensi ratione salarii marce XL.
Eidem ratione expensarum XL marce.
Lanciciensi ratione salarii marce XXX.
Eidem ratione expensarum XXX marce.
Cujaviensi et Dobrzinensi ratione salarii marce XL.
Eidem ratione expensarum XL marce.
Russie ratione salarii marce LX.
Eidem ratione expensarum marce XL.
Lublinensi ratione salarii marce XXX.
Eidem ratione expensarum marce XXV.
Chelmensi et Belzensi ratione salarii marce XXX.
Eidem ratione expensarum marce XX.
Podolie ratione salarii marce XX.
Eidem ratione expensarum marce X.

Ravensi

Ravensi ratione salarii marce XXX. MDXX.
Eidem ratione expensarum marce XXX.
Plocensi ratione salarii marce XX.
Eidem ratione expensarum marce XX.
Nobilibus adjunctis ex quolibet palatinatu singulis seorsum per marcas quinque.

Forma juramenti per exactores et Nobiles eis adjunctos coram Capitaneo loci aut ejus vicegerente prestandi.

Ego N. N. juro, quia diligenter observabo et custodiam, ut contributiones in conventu thorunensi laudate juxta quittantias anni precedentis et ab hinc tertii fideliter extradantur, idque pro posse meo adnitar et efficere curabo, ut Respublica in ipsis contributionibus in eodem conventu thorunensi institutis nullum patiatur detrimentum. Ita me deus adjuvet etc.

Que omnia et singula, uti premissa sunt, in omnibus suis punctis et articulis rata et firma esse volentes de certa nostra scientia et deliberatione consensuque tam consiliariorum nostrorum status utriusque quam etiam nunciorum terrarum regni nostri decrevimus robur debite firmitatis ad unius anni decursum habitura. Datum in conventu generali Thorunii.

CXXII. Rothmagistri ad bellum contra Albertum, Magistrum Cruciferorum in Prussia, scripti.

Stanislaus Kostka de Stengenbergk *) cum CC equitibus
Laurentius Misszkowski cum CCC equit.
Christophorus Lanczkorunski cum C equit.
Nicolaus Skotniczki super C equit.
} gravis armature per flor. X. } Equites.

Sigismundus Stossz CC equit.
Andreas Brzozowski C equit.
Nicolaus Dzialinski CL equit.
Sbigneus Vilkanowski C equit.
Achacius Czema C equit.
Stanislaus Daluski CCC equit.
Macieowski CCC equit. grav. armature
Joannes Kosczieleczki **) C equit.
Radwankowski CC equit.
Oborski C equit.
Vieloglowski LX equit.
} Equites.

*) Stenbergk, Cod. R. — **) Cosileczki. Cod. R.

MDXX. Thomas Vielszinski C equit.
Joannes Swyąciczki C equit.
Petrus Hynek C equit.
Jacobus Secigniewski CCC equit., inter quos includuntur XX equit. per fl. X.
Dunyn Slesita CC equit. grav. armature
Adamus Jasienski L equit.
Felix Ossinczki C equit.
Zarski CC equit.
Mlodeczki C equit.
Pyrzchniczki C equit.
Lupstowski *) C equit.

} Equites.

Joannes Kostellak cum CC peditibus, equit. IV gravis armature
Mathias Bubleo de Osswiaczim C pedit., equit. II
Joannes Starski super L pedites, equit. II grav. arm.
Matuss pedites CC, equit. IV.
Wawrziniecz pedit. CC equit. IV.
Mykulass pedit. CC. equit. IV.
Svdek pedit. C, equit. II.
Peter Jasienski pedit. C. equit. II.
Leonardus Skromowski CCL pedit., III equites.
Jacobus Łączki C pedit., II equit.
Wnvk Opatowski C pedit., II. equit.
Laurentius Benessowski CC pedit., IV equit.
Michal Brachwagen **) C pedit.
Gnoiewski ***) CC pedit., III equit.
Plaza CC pedit., III equit.
Czistoczki CC pedit., III equit.
Beniassowski CC pedit., III equit.
Lanski C pedit., III equit.
Stanczik C pedit. equites.
Bassta L pedit., II equit.
Starski L pedit., II equit.
Harnczerz CCXXIII pedit., IV equit.
Jankowski C pedit. II equit.
Herberstravssch CCXX pedit., IV equit.
Nicol. Storcz CCL pedit., IV equit.
Thomas Newman CC pedit., IV equit.
Zebrzidowski CXX pedit. III equit.
Petr Jasienski CLX pedit., IV equit.

} Pedites.

*) Lipstowski, Cod. R. — **) Bragwagen, Cod. R. — ***) Gnoienski, Cod. R.

Trzepienski

Trzepienski CCC pedit. IV equit.
Joannes de Cromierziss CC pedit., IV equit.
Iskrziczki CC pedit., III equit.
Toman LVIII pedit.
Cotlinski CXXV. pedit., III equit.
Krayewski CC pedit., III equit.
} Pedites.

Joannes Zerotinski DC equit., CD pedit. VIII equit.
Venceslaus Pieczypelski C equit.
Drzewiczki X equit. CDXLIV pedit.
Georgius Smiesskal IV equites CC pedites.
} Bohemi

Forma juramenti Notarii Exercitus.

Ego Nicolaus Lutomirski juro: quod Sermo. regi et regno Polonie fideliter serviam et omnia damna in exercitibus et stipendiariis, equitibus et peditibus sue Mtis. et regno Polonie evenientia diligenter providebo et custodiam, omnes equos tam perdamnificatos quam ad servitium stipendii conductos et conducendos veraciter conscribam et hec omnia diligenter et fideliter faciam nec eadem negligam vel obmittam causa timoris, odii, favoris, amoris lucri aut donorum. Sed omnia damna regie Mtis. et regni, que inter equites et eorum equos ac pedites evenerint, diligenter custodiam et ea reg. Mti. aut dno. capitaneo exercituum regni fideliter revelabo. Sic me dnus. Deus adjuvet et hec sancta crux.

Juramentum omagiale eorum, qui a Magistro ad regem accesserint.

Ja N. N. szlvbvgią pod viarą y tczią moyą: ysz Croliowi Jego Milosczi Polskiemv gi Coronie Polskiey bądą viecznie s swemi potomki viernim poddanim, tak yako panv swemv dziedzicznemv, kthorego sobie mam, y sswemi potomki myecz bądą za pana swego dziedzicznego, a nie kogo inego, y to czobi kolwiek Croliowi J. Mczi. y Coronie Polskiei mialo szkodzicz abo nieiaką szkodę y trvdnoscz nyescz, ze to Croliowi J. Mczi. y Jego Radom y Vrzędnikom viernym osnaymią. A na przeciwko temv nicz sobie kv pomoczi niebierząc. A czokolwiek bich sobie na pomocz brall, to czcy y wierze moi ma wadzicz. — A szlvbvgią tego slvbv niebidz prozen dotąnd, dokąnd mię Crol Polski, abo then, komv J. Crol. Miloscz listem swem pieczeczią J. Crol. Mczi. pieczętowanim nieporuczi s tego slvbv wipvsczicz s hvst w hvssy sliszeniem y ręki w rękę danyem.

FORMA

Forma juramenti Captivorum.

MDXX. Ja N. N. szlvbvgią swą czescz y viarę, ze się mam stawicz w Toruniu w starim miesczie na ratvszv: tv gdzie J. Crol. Mcz. swą osobą bicz raczi, Naiasnieisszemv panv Sigmuntowi, Croliowi Polskiemv, vielkiemv kxądzv Lithewskiemv etc. panv y dziedziczowi etc. tego a tego dnia, a tam stąd s rathussa nieschodzicz ass bich bil daliei opatrzon, wedlie Jego Crol. Mczi. roskazania. A tego prozen bidz nie mam zadnim wimislonem obiczaiem ass bich bil pirwei wipvsczon przess J. Crol. Mcz. abo przess tego, komv bi Crol J. Mcz. roskazacz raczil z hvst w hvssy a ręki daniem, a to czo bilo przeciwko abo kv skodzie J. Crol. Mczi. ziemiam, poddanym y slvzebnikom niczpoczinacz any czinicz niemam skvtkim rzeczą, radą, pissaniem y ginemi wsselkiemi wimislonimi obiczaimi nicz sobie na pomocz bracz nie mam. A wssitko, czo bich kv pomoczi sobie bracz chcziall, za to wssitko ma bidz przeciwko czczi y vierze mey.

Juramentum Pixidariorum.

Ego N. N. juro Sermo. dno. Sigismundo, regi Polonie, Mg. duci Lithuanie, Russie, Prussieque etc. dno. et heredi, dno. meo clementissimo, quod sue Mti. fideliter serviam circa tormenta mihi commissa, omnia damna et defectus circa jaculationem eorundem tormentorum globos, lapides, pulveres et alia quecunque ad eandem rem pertinent et pertinebunt, cum omni mea diligentia et possibilitate curare, providere et custodire volo, itaque omnes ejaculationes cum certa mensuratione contra sue Mtis. et ejusdem exercitus inimicos, civitates, muros omnimodo ipsis inimicis in damnum et detrimentum fideliter pro viribus, industria et scientia artis mee fiant, sicuti probo et fideli servo et magistro tormentorum sue Mtis. decet et competit. Et volo sue Mti. fideliter servire, quamdiu in servitio sue Mtis. futurus ero. Ita me Deus et omnes Sancti adjuvent.

Otpowiedz Dworzanska.

Wedlie Nayasnieiszego Xyąszączia pana a pana Sigismunda, s Boszei Milosczi Crolia Polskiego, wielkiego Xyaszęczia Lithewskiego, Ruskich y Pruskich ziem pana y dziedzicza, pana naszego namiloscziwszego: Tobie oszwyeczonemv Xyąszęciv a panv Olbrichtovi, margrabi Brandebvrskiemv, Mistrzowi zakonv Krzizowniczego, kthori iest w ziemi Pruskiei i twemv zakonowi, twim poddanim stadla wsselkiego dvchownego i szwieczkiego: Ja Stanislaw, Jan Pyotr, dworzanie Crola J. Mczi. s szlvszebniki s towarzissmi y pomoczniki nassimi y naszich a ich slvszebnikow towarziszow y pomocznikow pomoczniki, odpowiedami thim tho listhem dotąnd dokąndbi Crol J. Mcz. pan nasz namiloscziwszy s thobą walkę wiodl nasze czczi ogradzaiąncz, kczemvszmi swe pieczęczy przilozili. Dan w Grvdziadzv w sobothę przed niedzielią, kthorą zową Oculi.

Otpowiedz

Otpowiedz Giesdnich.

Wedlie Nayasznieiszego Xyąszęcia pana, a pana Sigmvnta s laski Boszei Crolia Polskiego, MDXX.
Wielkiego Xyąszęcia Lithewskiego, Rvsskich y Prvskich ziem pana y dziedzicza etc. pana Cod. G. R.
naszego naymilosciwszego: Tobie oswieczonemv Xyąszęciv a panv Olbrychtowi, margrabi Brandeburskiemv, Mistrzowi zakonv Krziszowniczego, kthori iesth w ziemi Prvskiei, y twemv zakonowi, twim poddanim stadla wsselkiego dvchownego y swieczkiego. Ja Jakvb Szeczigniowski, rothmistrz Crolia J. Mczi. s rothą swą yesdną s towarziszmi, s slvszebniki a pomoczniki memi, y s memi a moich thowarziszow slvszebnikow y pomocznikow pomoczniki odpowiedam thim tho listhem dotąnd dokąndbi Crol J. Mcz. pan moy naymilosciwschi s thobą walkę wiodl, moye czescz ogradzaiąncz. Kczemv swą pieczencz przilozil. Dan w Grvdziadzv w sobothę przed nyedzielią, ktorą zową Oculi.

Otpowiedz Drabska.

Wedlie itd. Ja M. Trzepienski, rothmistrz Krolia J. Mczi. Drabski s rothą swą, s towarzi- Cod. G. R.
szmi, s slvszebniki a pomoczniki memi, y s memi a moich thowarziszow slvszebnikow y pomocznikow pomoczniki, odpowiedam thim tho listhem: dotąnd dokądbi Krol J. Mcz. pan moy namilosciwschi s thobą walkę wiodl, moyę czescz ogradzaiąncz. Ktemv swą pieczęcz przilozil. Dan w Grvdziadzv w sobothę przed niedzielią, ktorą zowyą Oculi.

CXXIII. Statutum Thorunie de laboribus Kmethonum et captivatione nobilium per cives in civitatibus et oppidis.

Sigismundus, Rex Polonie, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi etc. In absentia ejus Vicecapitaneis Calissiensi et Colensi.

Mgce. sincere nobis dilecte. Inter cetera, que in hoc conventu universali thorunensi dispo- Cod. G. R.
suimus, mentis nostre fuit, ut litibus et differentiis finem interponeremus, que inter subditos nostros utriusque status ex una et civitatem nostram thorunensem partibus ex altera occasione libere navigationis et demissionis naviuin cum frumentis et omnibus rebus per fluvium Vistulam versus civitatem nostram gedanensem jampridem exorte hactenus indeterminate manent. Verum quoniam aliis Reipublice universi regni nostri curis hoc tempore distinemur, ut nullo modo has differentias componere aut decidere valeamus, ideo de consilio et consensu consiliariorum nostrorum tam spiritualium quam secularium ac nunciorum omnium terrarum regni nostri, causam hanc pro libera navigatione et demissione versus Gdanum, cum toto ejus effectu ab hinc per integrum decennium suspendimus et

 prorogamus

MDXX. prorogamus, statuendo nihilominus presentibus, quod omnes et singuli subditi nostri spirituales et etiam seculares ex nobilitatis ordine existentes, tantum regni nostri rursum habeant et obtineant liberam navigationem per fluvium Vistule ad civitatem nostram Gdanum cum omnibus eorum frumentis et rebus propriis cujuscunque generis et speciei existunt, in omnibus navigiis: videlicet navibus onerariis, lintribus, struibus, que vulgariter Trawty nuncupantur, scaphis et aliis ejus generis omnibus navigiis, sine quovis impedimento et contraventione predicte civitatis nostre Thorun et civium ac incolarum ejus, ab hinc ad integri decennii decursum, salvis tamen semper durantibus partis utriusque juribus. Nos autem intra hoc tempus daturi sumus operam, ut causam hanc fine debito terminemus, hoc etiam addicto, quod navigantes versus Gdanum alias, qui navis prefecti erunt, in Juniwladislawia coram nostro theloneatore pro tempore existenti juxta veterem consuetudinem juramentum prestare debent: quod videlicet res proprii laboris demittunt. Theloneator vero post prestitum juramentum literas testimoniales navigantibus dabit, quibus apud Thorunenses plena fides adhiberi debet, quod res et frumenta proprii laboris et non alicui demittantur.

Item commoditatibus subditorum nostrorum consulere volentes, de omnium consiliariorum nostrorum status utriusque ac nunciorum terrarum regni nostri consilio et consensu statuimus et decernimus perpetuo observando, quod omnes et singuli coloni seu kmethones omnium et singularum villarum tam nostrarum quam subditorum nostrorum cujuscunque status existentium, qui prius diem in sptimana non laboraverunt nobis et dominis ipsorum, de quolibet laneo unum diem septimanatim laborent et ad laborandum sunt astricti, demptis his colonis, qui censu pecuniario aut frumentario seu quacunque alia contributione vel datione dominis suis labores jam antea compensarunt, et hoc etiam specialiter proviso, quod hec constitutio non extendat se contra hos colonos, qui plures dies in septimana dominis suis et nobis laborare consueverunt, nam hec lex pro his tantum constituta est, qui minus quam diem in septima nobis et dominis eorum laborare soliti erant.

Quia nobilium et civitatum regni nostri damnosa fuit exorta differentia supra his nobilibus, qui in recenti crimine pro violentia in civitatibus vel oppidis capiebantur, proinde nos tam gravi negotio ad presens propter Prussie bellicam occupationem pro perpetua coordinatione intendere non valemus. Nihilominus providentes tranquillitati subditorum nostrorum de unanimi consilio consiliariorum nostrorum et nunciorum terrestrium regni statuimus et ordinamus: quod dum aliquis nobilis in civitate nostra vel oppido nostro aut alicujus aut aliquorum spiritualium et secularium subditorum regni nostri pro crimine violentie per officium civile raptus fuerit, ex tunc talis nobilis pro violentia captus detineri debet in pretorio civitatis vel oppidi ubi capietur, quo facto officium civitatis vel oppidi illius, ubi talis violator captus fuerit, nullum penitus judicium faciet, nec aliquam penam exiget de eodem nobili, nisi prius ad eorum requisitionem capitaneus vel vicecapitaneus castrensis illius jurisdictionis nostre regalis, sub quo talis civitas vel oppidum situm fuerit, presens interfuit eidem civili judicio, quod ministrari et fieri debet pro violentia contra dictum nobilem, et ubi capitaneus vel vicecapitaneus noster ad unam sententiam cum officio illius civitatis vel oppidi, ubi talis nobilis detentus fuerit, concordati fuerint, ex tunc prefatus

nobilis

nobilis juxta hujusmodi sententiam capitanei nostri aut ejus vicecapitanei et officii civilis MDXX.
condemnari et puniri debet. Si vero talis capitaneus noster vel ejus vicecapitaneus non poterit se concordare super sententiam cum officio civili contra talem nobilem, extunc ipse captivus interea temporis in decenti captivitate civili teneri debet tamdiu, donec auctoritate nostra regia informationem capitaneus noster et illa civitas vel oppidum habuerit, quomodo talis nobilis captivus sententiari et puniri deberet, prescriptione tanta temporis non obstante, qua se predictus captivus tueri non valebit. Si vero in aliqua civitate vel oppido officium civile contra premissa aliquid attemptaverit, ex tunc per capitaneum nostrum castrensem, sub cujus jurisdictione et districtu talis civitas vel oppidum consistit, proconsul pro tempore existens cum uno consule capi ac decollari et capite privari debet.
Que omnia et singula premissa, ut ad omnium singulorum subditorum nostrorum, quorum interest, certam scientiam perveniant, mandamus: ut preinsertas constitutiones in libros capitaneatus sui inscribi et posthac absque mora in civitatibus et oppidis in foris et apud ecclesias parrochiales capitaneatus sui per ministerialem proclamari et publicari faciat. Mandamus insuper: ut illas ordinationes, in quibus modum ac formam colligende exactionis in presenti conventu thorunensi decrete expressimus, exactorique nostro N. N. datas, quas etiam exactor tue Sti. debet ostendere quum primum requisiverit, similiter in librum castrensem inscribi et publicari precipiat, et aliter facere sub penis nostris contra negligentes capitaneos institutis non presumat. Datum Thorunii sabato proximo post festum Epiphaniarum domini.

CXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Job, Epo. Pomesaniensi.

Rnde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Ut prius scripsimus vre. Pti., libenter vidisse- Cod. G.R.
mus, ut jam causa illius cum Andrea Galczewski fuisset determinata et commissarios ad hanc rem dederamus, sed quando hactenus nihil est factum, volumus illi libenter justitiam ministrare aut hic ministrari facere, et prefigimus ad hanc actionem terminum, feriam quintam proximam post festum trium regum, ad quem terminum mandabimus Galczewski venire. Vra. etiam Ptas. poterit tuto et secure suos nuncios mittere. Que bene valeat.

CXXV. Joannes de Lasko, Archiepus. Gnesnen. Joanni Konarski, Epo. Cracoviensi.

Reverende in Christo pater et dne. frater in Christo charissime et honorande. Salutem in Cod. G.
dno. et felicium successuum augmenta. Sacra regia Mtas. in magna necessitate circa curam defendende Reipublice constituta, quoniam non solum magister Prussie a regni cervicibus arcendus est, sed etiam et Moscus et Tartarus, ejus conspirati, petiit a nobis ecclesiasticis subsidium, petiit idem, ut in reliquum pecuniarum, quod Cracovie ex contributionibus depositum

MDXX. depositum asservatur, in hanc modernam et extremam necessitatem arcendam sue Mti. sacre mutuo daremus, promittens nobis, se eandem soluturum pro certo termino. Consultavimus itaque hic mutuo, prelatis, qui modo in curia sunt, nobis adhibitis, quid de ea re decernendum esset, et quid sacre Mti. regie respondendum, pensata vero Reipublice necessitate, que nequaquam negligenda, pensata etiam gratia regia, cujus auctoritate status noster ecclesiasticus ab emulorum frementium in nos frequentibus impetibus conservatur, concorditer decrevimus mutuum ejusmodi sue Mti. non negandum, quo illius in statum nostrum ecclesiasticum gratiam obfirmemus et detrectatoribus nostris liberali mutuatione suggillandi nos ora occludamus. Recipiemus a Mte. sua super tota summa jam pridem mutuata et nunc mutuanda inscriptionem sufficientem, ut a sua Mte. nobis ejusmodi pecunia solvatur. Non est enim visum nobis aliam securitatem exigere a Mte. sua, ne nobis contingat sicut ante annos aliquot, dum hi, qui cavere debuerunt, potius pecuniam mutuo in ignominiam nostram dederunt. Agat igitur vra. rev. Ptas. cum suo capitulo ea in re, sicuti ei melius videtur, et nos etiam nostris scribemus, certo sperantes, omnes in tanta Reipublice necessitate id mutuum non esse negaturos. Jamque vra. rev. Ptas. pecuniam extradi jubeat.

De contributione prestanda rem rejecimus ad synodum, que nobis videtur celebranda quarta hebdomada post sacrum Pasche, si quoque idem vre. rev. Pti. videbitur, quam bene valere desideramus. Datum Thorunii fer. sec. prox. post festum Sctorum. Trium Regum.

CXXVI. Petrus Tomicius, Eps. Posn., Vicecancellarius, Georgio Krupski de Orchow, Castell. Leopoliensi, et Capitaneo Hrodlensi.

Cod. G. Generose dne. amice charissime. Non potui celerius expedire hunc nuncium Dtionis. vre. propter occupationes et curas meas graves, quas hic habui, nunc vero illum remitto cum literis, quas habere optavit vra. Dtio.

Jam ferme absolutus est is conventus, in quo pro defensione tam terrarum Russie, quam pro sustinendo bello hic contra dnum. magistrum Prussie inchoato et decreto, decreti sunt duplices fertones ex mansis agrorum. Unos solvere debent dni. de censibus suis, alios coloni seu kmethones juxta antiquas quittantias. Decreta insuper est duplex civilis exactio, que Schossz dicitur, quam solvent civitates et oppida, et contributio Czopowe, statutusque modus et ordo, quomodo omnes hec contributiones exigi debent, ut omnes illas solvant et sciri possit, quantam pecunie summam constituent.

Nondum vero actum est neque tractatum de legationibus, et si mittendum erit ad vojevodam Moldaviensem, operam faciam, ut vestra Dominatio ad eum designetur orator. Jam premissi sunt milites mercenarii cum mgco. dno. Nicolao Firley, palat. Sandomirien., capitaneo exercituum generali, ad terram dni. magistri, nondum tamen illam sunt ingressi, quoniam expectantur adhuc alii milites, qui tamen his diebus omnes convenient et uno impetu irrumpent in terras ordinis, quorum cepta dnus. Deus secundet. Bene valeat. Dat. Thorunii.

CXXVII. LITERE

CXXVII. Litere Restium ad Incolas Prussie adversus Magistrum Prussie.

Sigismundus, Rex Polonie.

Vniversis et singulis dignitariis et officialibus ac nobilibus ceterisque subditis nostris terras nostras Prussie et presertim terram culmensem et districtum N. incolentibus de jure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, fidelibus nostris dilectis gratiam regiam. — Generosi et nobiles fideles dilecti. Cum summa necessitate impulsi simus contra magistrum Prussie et ejus ordinem bellum movere jamque ad expugnandas ejusdem ordinis terras milites nostros mercenarios direximus, providere volentes, ne terras nostras per elongationem ipsorum militum nostrorum ab illis presidiis vacuas relinqueremus, has presentes literas in vim primarum, secundarum et tertiarum restium mittimus: quibus vobis universis et singulatim unicuique vestrum mandamus, ut visis illis non expectatis aliis literis nostris, sub amissione bonorum vestrorum, statim arma capiatis et quilibet vestrum capiat, ac ad feriam quintam proxime venturam ante octavam Sanctorum trium regum in oppido Radzin bene armati compareatis et ad palatinum vestrum culmensem, mgcum. Joannem de Lusianis, sincere nobis dilectum, omnino illic conveniatis, ad alium postea locum, quem vobis idem mgcus. palatinus culmensis designabit, profecturi et hostilem impetum, si quis ingruerit, cum dei auxilio fortiter repressuri. Et ne quispiam vestrum de hoc mandato nostro aliquam ignorantiam suam pretendat, volumus: ut unus ad alium viciniorem presentes literas, cum illas perlegerit, transmittat, ultimus vero easdem prefato mgco. palatino culmensi representet, similiter sub amissione bonorum suorum aliter facere non ausurus. Dat. Thorunii sab. p. fest Sctrum. trium regum. MDXX. Cod. G. R.

CXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lusian, Palat. Culmensi, Joanni Thurek, Rothmagistro.

Mgce. et generose fideles sincere nobis dilecti. Miramur plurimum, quia nobilitas terre culmensis est adeo inermis et male parata ad resistendum hosti, cum nos illam sepius admonuerimus, prout et alios subditos harum terrarum, ut bene se armis et equis instruerent ad omnem necessitatem evenientem. Quia vero non licet fines nostros absque presidiis debitis relinquere, ne hostes impetum facientes late omnia fero et igne vastarent, volumus, ut Stes. vre. eandem nobilitatem, qualiscunque est, collocarent in castris finitimis, ut ibi maneat cum equis suis, quo facilius ad omnem impetum hostilem reprimendum concurrere simul possit. Collocabunt autem eandem nobilitatem ita ut melius noverint, proviso hoc, ut quisque illorum necessaria habere possit pro se et equis suis in castro, ad quod deputabuntur Cod. G. R.

MDXX. tabuntur et cum necessitas ingruerit, presto omnes sint et non permittant, ut hostes damna faciant in bonis suis et aliorum subditorum nostrorum; facture eedem Stes. vre. pro officio suo et gratia nostra. Datum Thorunii.

CXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi, et Majoris Polonie Capit. generali.

Cod. G. R. Mgce. sincere nobis dilecte. — Veniens huc ad nos nobilis Maczek Thuczenski retulit nobis nomine Illmi. domini ducis stetinensis, comparari in Germania contra nos auxilia magistro, negotium hoc assumentibus nonnullis ibidem in Germania principibus, quare hortamur tuam Stem., det operam ut vigilantius quam unquam hanc rem agat, adhibitis speculatoribus fide dignis, ut quam diligentissime de eventibus omnibus certiores sepe fieri possimus, quo scilicet in loco congregantur ipsa subsidia, quibusve ex hominibus, et qua iter facturi sint, quantoque in numero et ad quod tempus dicantur venturi, qua una re nobis ad presens gratius nihil facere poterit.

Ad hec habuimus hodie literas a generoso Raphaele Lesczinski, cap. schlochoviensi, in quibus scribit, venisse nuperrime ex suis quendam ab usque nova Marchia, qui retulit, se fuisse in oppido quodam marchionis electoris, nomine Freidbergk, ubi vidit preparationem currus illius oppidi, quem in expeditionem paraverunt. Item in alio oppido, quod etiam pertransit, vidit alium, et sic singule civitates expediunt per currum et due magne ville etiam currum. Item milites lancearii numero quatuor milia jacent in civitate Stendel, et famam esse, quod per Poloniam vellent ad dominum magistrum perrumpere, preparataque eis esse instrumenta solearum acutarum de ferro, alias lodowe podkowi, circa sex milia. Hoc se certo intellexisse retulit in effectum alicujus insultus ad aliquam arcem aut civitatem faciendi. Hec ex literis ipsius Raphaelis excerpta his nostris inserimus, suspicaturque idem Raphael non alias facturos impetum ipsos hostes promptius quam ad oppidum Choynicze et ad arcem Slochow. Quia vero idem Thuczenski homo esse creditur discipline militaris non imperitus et pro debito sue subjectionis nobis satis fidus, volumus: ut in numero istorum militum mercenariorum, qui sub imperio tue Stis. istic ere nostro merebunt et servient, et ipse in equis aliquot nobis serviat ibidem. Bene valeat Stas. tua. Datum Thorunii die octave Epiphaniarum dni.

CXXX. Privilegium Civibus oppidi Dambrowno datum, quia a Magistro ad Regem se dediderunt.

Cod. G. R. In nomine domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam facta humana quantumcunque memorabilia facile intereunt nisi literarum officio fuerint memorie mandata, proinde Nos Sigismundus, d. g. etc. significamus tenore presentium universis presentibus et futuris

futuris harum notitiam habituris. Quia commendatam habentes virtutem et fidem ac pro- MDXX.
pensionem erga nos providorum proconsulum et consulum ac scabinorum aliorumque officialium et totius communitatis oppidi Dambrowno, qui a magistro, hoste nostro, et ejus ordine Cruciferorum in Prussia sponte ad nos defecerunt et se nobis dediderunt, illos in subditos nostros fideles suscepimus et harum serie literarum suscipimus gratiaque et favore nostro regio complecti et complexos benigne fovere, servare, manutenere et defendere, uti veros et fideles subditos volumus et pollicemur. Conservamusque eosdem oppidanos seu incolas et suburbanos prefati oppidi Dambrowno cujuscunque status et conditionis existentes in eorum et cujuslibet ipsorum agris et possessionibus ita longe late et circumferentialiter, prout in suis limitibus sunt distincti et limitati ac distincte et limitate et prout eosdem agros et possessiones hi ipsi incole et suburbani dambrowienses hactenus possiderunt et possident eisque usi fuerunt et utifruuntur, ac in eorum et cujuslibet ipsorum hactenus habuerunt et in quorum possessione pacifica fuerunt et sunt de presenti; nullis exceptis ac de certa scientia et genuina virtute, liberalitate et matura deliberatione nostra de consilio consiliariorum regni nostri et terrarum nostrarum Prussie hic nobiscum agentium, ipsis videlicet proconsulibus, consulibus, scabinis totique communitati oppidi Dambrowno predicte et aliis personis spiritualibus et secularibus quibuscunque in ipsa civitate Dambrowno commorantibus omnia et singula eorum jura, privilegia, libertates, prerogativas, donationes, immunitates, statuta municipalia, consuetudines laudabiles ab antiquo servatas tam ecclesiasticas quam seculares ac ecclesiastica et secularia quecunque, literas et inscriptiones quascunque super quibuscunque bonis, censibus, proventibus, libertatibus jam pridem eis concessis, quecunque et quascunque habere dinoscuntur et habent sub quibuscunque titulis et datis emanatas et emanata jura et privilegia in se continentes et continentia, in omnibus eorum positionibus, conditionibus, punctis et articulis, universis perinde ac si presentibus de verbo ad verbum inserta forent et expressa, supplentes in eis omnem defectum, de plenitudine potestatis nostre approbandum, ratificandum et confirmandum duximus, approbamusque ratificamus et confirmamus, decernentes easdem et eadem robur firmum obtinere, promittentes insuper in verbo nostro regio et pollicemur presentibus pro nobis et successoribus nostris, regni Polonie regibus, terrarum Prussie dominis et veris heredibus eadem ipsorum jura, libertates, statuta municipalia consuetudines laudabiles antiquas literasque ac inscriptiones quascunque et quecunque in omnibus earum et eorum punctis, clausulis et conditionibus firmiter inconcusse et inviolabiliter tenere et observare, tenerique et observari facere perpetuis temporibus et in evum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum. Datum Thorunii in civitate nostra in octava ss. trium regum. Presentibus rno. et rndis. in Christo patribus, dnis. Joanne Laski, archiepo. gnesnensi, legato nato et primate, Mathia Drzewiczki, wladislaviensis, Petro Tomiczki, premisliensis et regni nostri vicecancellario, Joanne Konopaczki, culmensis ecclesiarum episcopis, nec non mgcis. et venerabilibus et generosis Christophoro de Schidlowyecz, palatino et capitaneo cracoviensi et regni nostri cancellario, Joanne Zaremba de Kalinowa, calissiensi, Georgio de Baisen, marienburgensi et capitaneo gnievensi palatinis, Nicolao de Schidlowyecz, sandomiriensi, Arnoldo de Francza, culmensi, Ludovico de Mortangen, elbingensi

MDXX. bingensi castellanis, Petro Kmita de Wisznice, marschalco curie nostre et capitaneo premisliensi, Joanne Latalski, gnesnensi, cracoviensi et lanciciensi preposito, Joanne Konarski, archidiacono, Andrea Krziczki, sancti Floriani cracoviensi et Szredensi preposito, canonicis cracoviensibus et secretariis nostris, Stanislao Chroberski, vexillifero, incisore et pincerna, Silvestro Ozarowski, succamerario et zawichostensi, Nicolao Tomiczki, prefecto stabuli curie nostre et kostensi capitaneis, ac aliis quam pluribus dignitariis, officialibus et aulicis nostris, circa premissa testibus fide dignis sincere nobis dilectis. Datum per manus prefati reverendi in Christo patris dni. Petri, episcopi premisliensis et regni nostri vicecancellarii sincere nobis dilecti.

CXXXI. Privilegium universo districtui Dambrowno et immunitas a Sigismundo Rege concessa.

Cod. G. R. In nomine domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam facta humana quantumcunque memorabilia intereunt facile, nisi literarum officio memorie fuerunt mandata. Proinde Nos Sigismundus etc. significamus tenore presentium universis presentibus et futuris harum notitiam habituris. Quia commendatam habentes virtutem et fidem ac propensionem erga nos nobilium status utriusque in districtu Dambrowno existentium, qui se sponte et libere nobis veluti dno. suo naturali et hereditario dediderunt, illos in subditos nostros fideles suscepimus ac harum serie literarum suscipimus gratiaque et favore nostro regio complecti et complexos benigno favore servare, manutenere et defendere uti veros et fideles subditos nostros volumus et pollicemur conservamusque eosdem nobiles utriusque status in eorum et cujuslibet ipsorum bonis et possessionibus ita longe, late et circumferentialiter, prout in suis limitibus sunt distincte et limitate ac limitata et distincta et prout ea bona et possessiones hi ipsi nobiles districtus dambroviensis hactenus possederunt et possident eisque usi fuerunt et utifruuntur, ac in eorum et cujuslibet ipsorum censibus, redditibus, proventibus, juribus et libertatibus, quas hactenus habuerunt et in quorum possessione pacifica fuerunt et sunt de presenti nullis exceptis, ac de certa scientia et genuina virtute, liberalitate et mutua deliberatione nostra de consilio consiliariorum nostrorum et terrarum nostrarum Prussie hic nobiscum agentium prefatis nobilibus utriusque status in ipso districtu Dambrowno commorantibus omnia et singula eorum jura, privilegia, libertates, prerogativas, donationes, immunitates, statuta municipalia, consuetudines laudabiles ab antiquo servatas tam ecclesiasticas quam seculares ac ecclesiastica et secularia quecunque, literas et inscriptiones quascunque super quibuscunque bonis ac eorum pertinentiis, censibus, proventibus et libertatibus jam pridem eis concessis, queque et quascunque habere dinoscuntur et habent sub quibuscunque titulis et datis emanatas et emanata jura et privilegia in se continentia in omnibus eorum positionibus, conditionibus, punctis et articulis universis, perinde ac si presentibus de verbo ad verbum inserta forent et expressa, supplentes in eis omnem defectum de plenitudine potestatis nostre approbandum ratificandum et confirmandum duximus, approbamusque ratificamus et confirmamus, decernentes easdem

easdem eademque robur firmum obtinere, promittentes insuper in verbo nostro regio et MDXX.
pollicemur presentibus pro nobis et successoribus nostris regni Polonie regibus, terrarum Prussie dominis et veris heredibus, eadem ipsorum jura, libertates, privilegia, statuta municipalia, consuetudines laudabiles antiquas literasque et inscriptiones quascunque et quecunque in omnibus eorum et earum punctis, clausulis et conditionibus firmiter, inconcusse et inviolabiliter tenere et observare tenerique et observari facere perpetuis temporibus et in evum. In cujus rei testimonium etc. Datum in civitate nostra Thorun in octava sct. trium regum, regni nostri anno tredecimo.

CXXXII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Bone Sforcie, Aragonee, Regine Polonie.

Serma. ac excellentissima princeps et dna. mea, dna. clementissima. Post perpetue servitu- Cod. G.
tis et orationum mearum humilem commendationem. Quod ad presens Mti. vestre significandum duxi, decretum est bellum adversus magistrum Prussie et militarium major pars expedita, reliqua cum dno. Capitaneo intra biduum expedietur. De mansione Mtis. regie varie sunt dominorum sententie, alii censent, ut hic subsistat, alii vero suadent, ut in aliquo loco regni se collocet, tamen nihil est adhuc determinatum.

Gaudeo Mtem. vestram, ut ex literis dni. Ludovici intellexi, feliciter ingravescere cepisse et precor dnum. Deum, ut cum salute Mtis. vre. voti nostri compotes efficiamur, cujus gratie me ut domine mee clementissime ex corde commendo, cupiens, ut sit diutissime sospes incolumis et felix. Datum Thorunii.

CXXXIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castell. Posnaniensi, Capitaneo.

Mgce. dne. et fautor colendissime. Post discessum hinc vre. Mgcie. hec innovata sunt. Ma- Cod. G.
gister Prussie die Circumcisionis dni. preterito cepit civitatem dni. epi. Varmiensis Braunsberg satis opulentam et munitam, et quia nullam vim civibus intulit, solum arma, quecunque habuerunt, in pretorium comportari jussit eaque ibi clausit, facilis conjectura est, quod mutuam prius cum eis intelligentiam habuit. Solum enim cum centum quinquaginta equitibus illuc concesserat, quos facile cives ipsi ejicere aut obtruncare potuissent clausis portis, si mens non leva fuisset. Nostri rursus multa oppida etiam munita et populosa ceperunt et castrum Schonberg captivarunt et unum Cruciferum, qui huc nuper adductus est.

Litere magistri sunt intercepte, ex quibus omnes illius artes et consilia sunt deprehensa. — Nunc nullas gentes habet, fecileque expugnari poterit, nulla habens externa presidia, modo nostri urgeant et victoriam suam sequantur.

Mandavit Mtas. regia Lithuanis, ut terram illius ab alia parte bello adoriantur. Dnus. dux

MDXX. Masovie mandavit suis, ut itidem faciant. Itaque brevi, auxiliante dno. deo, ipse magister bello satiabitur, qui illud dudum sitiebat. Commendo me vre. Mgcie. et valere illam felicissime desidero. Dat. Thorunii.

CXXXIV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Bonero, Zuppario Cracoviensi etc.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Generose dne. amice et fautor observande. Paulo ante significavi vre. Dtioni. per nuncium dni. castellani vojnicensis de castro Szombergk et nonnullis oppidis interceptis per milites nostros. Interea temporis nihil est innovatum, nam Mtas. regia propter civitatem Braunsberg per magistrum acceptam proditione nonnullorum civium mandavit domino campiductori, ut se versus illam ipsam civitatem cum exercitu converteret. Sperat enim Mtas. sua et ita omnes affirmant, quod viso exercitu mox se dedet eadem civitas, sed et defendere se diu non poterit, etiam si magistro fidem servare vellet, propter carentiam commeatus.*

Magister ut princeps juvenis et belli inexpertus contemnit exercitum regie Mtis. ac irridet spemque amplam sibi proponit, quod se ab illo defendere poterit, id quod brevi ostendere cogetur. Scribere dicitur milites ex hominibus gregariis et artificibus, et hos vult opponere exercitui nostro putatque, se illum debellare posse. Mtas. regia non nimium se effert, nec vires et potentiam illius contemnit, sed committens dno. deo se et justitiam suam, facit ea, que ad defensionem subditorum suorum facere necessario debet et tenetur.

Dnus. Stanislaus Chroberski graviter egrotat ex febre continua. Commendo me vre. Dtioni. et valere illam felicissime desidero. Thorunii.

CXXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Elbingensibus.

Cod. G. R. Famati fideles dilecti. Gratum est nobis, quod nos certiores fecistis de interceptione oppidi Braunsberg et perventu rev. dni. epi. Varmiensis in arcem suam Helspergk, hortamurque vos, ut et deinceps quecunque intelligetis, nobis significare non negligatis. Nos cum primum accepimus, Braunsbergum esse interceptam, commisimus capitaneo exercituum nostrorum, ut cum omnibus copiis ad istam partem proficiscatur. Itaque cum ibi fuerit, vos tutiores eritis, neque vos permoveant rumores de discessu hinc nostro, qui confinguntur; nam nos nullo modo discedemus ex his terris, donec res nostras et subditorum nostrorum in bono statu constituemus. Vobis vero quemadmodum et aliis subditis nostris nulla in re deesse volumus. Dat. Thorunii.

CXXXVI. P. Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castell. Posn., Capit.

Mgce. domine et fautor colendissime. Post captam civitatem Brunsbergk die Circumcisionis domini per dominum magistrum, ad quam tunc cum centum quinquaginta equitibus concesserat, reversus est eodem die cum triginta equitibus ad Koenigsberg, posthac vero rediit illuc cum mille viris armatis, equitibus et peditibus, et quinquaginta cives precipuos, capita civitatis illius, secum in castrum suum Holland inde abduxit, putans reliquam plebem fidiorem sibi futuram postquam abessent illi, qui auctores defectionis esse possent. — Ceterum omnes vires suas ad hoc collegit et intendit, ut exercitum regie Mtis. ex insidiis in terra sua adoriri possit, qui tamen satis caute incedit, jamque cepit septem civitates et oppida satis munita et tria castra, inter que castrum et oppidum Olstimk (Hochstein), de quo intercepto hesterna vespera allata est huc novitas et recta idem ipse exercitus Holland versus contendit, ubi magister colligere gentes suas dicitur. Omnia adhuc Dei benignitate prospere nobis succedunt, et si haberet exercitus regius tormenta vastatoria, facile omnes civitates et castra dni. magistri interciperet, nam penitus nullam gentem habet, nec sperabat, quod hoc hiberno et minime congruo tempore armis adoriri deberet. Dominus eps. Varmiensis salvus pervenit ad episcopatum suum, currus tamen coquinarius cum equis duodecim et vestibus familie est illi in itinere ab hostibus interceptus. Cetera ex literis regiis intelliget vestra Mgcia. — Cui me et obsequia mea plurimum commendo et que cum suis omnibus sit semper sospes et incolumis et felix. Dat. Thorunii. MDXX. Cod. G.

CXXXVII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Stanislao de Coscielec, Palat. Junivladislaviensi, Marienburgen. Stumen. Tucholien. Bidgostien. Capitaneo.

Mgce. dne. amice et fautor honorande. Contristavit nos omnes amissio civitatis Braunsberg, que vel incuria prefectorum vel fraude et malitia illorum civium est intercepta. Fieri enim non potest, quod sine scientia et voluntate illorum intercipi potuerit, nec magister nisi ad rem certam illuc concessisset. Mtas. regia mandavit dno. campiductori, ut quam primum cum exercitu versus illas partes contenderet, ut et civitas illa recuperaretur et alia oppida dni. episcopi Varmiensis in fide retinerentur. Cod. G.

Non vult Mtas. sua, ut Petrum Valachum ex castro dimittat vra. Mgcia., non satis enim ei fidit sua Mtas., postquam jam alias ad ejus hostem profugerat.

Preterea non videtur Mti. sue, ut pedites castri Marienburgensis habeant stipendium ad equos, opus enim esse arbitratur, ut ipsi sint continue circa custodiam castri.

De peditibus in Elbingo scribit Mtas. sua vre. Mgcie. vultque, ut Michael Bragwagen stabiliat illos, ita ut melius potest.

Nuncium,

MDXX. Nuncium, qui captus est cum literis magistri, vult Mtas. sua, ut vra. Mgcia. detineat istic et bene custodiat, ut perspicere non possit, quid in castro agatur.

Noster exercitus plerasque arces et castella jam intercepit fausteque et feliciter ei Dei benignitate in omnibus succedit. Verum certo edocemur, quod in Germania colliguntur gentes seque armant, ut ferant suppetias dno. magistro, quare accelerandum esset nostris, ut magistrum et istos cruce signatos ex his terris prius ejiciant quam externa auxilia illis adveniant. Felicissime valeat vra. Mgcia. et me diligat ut consuevit.

CXXXVIII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Jacobo Rosnowski, Dapifero Posnaniensi.

Cod. G. R. Generose domine, amice charissime. Non vult Mtas. regia, ut discedatis ex castro marienburgensi in aliquam partem, sed ut continue in eo, his presertim turbulentis temporibus, maneatis.

Optabat dnus. castellanus posnaniensis, ut Mtas. sua vos mitteret ad custodiendos fines regni, ne ex terra dni. marchionis damna aliqua subditis Mtis. sue inferantur. Verum mihi non visum fuit vos istinc evocari, nam forte interea temporis alius quispiam in locum vestrum surrogatus fuisset, et jam promovebantur non pauci, ut istuc post discessum vestrum mitterentur.

Non respondi prioribus literis vestris eo quod nuncius vester expectare nolebat responsum meum et multum festinabat hinc discedere, ego vero multis curis publicis distractus non semper scribere possum amicis, nisi cum adest tempus et opportunitas. Bene valete.

CXXXIX. Petrus Tomiczki, Eps. R. P. Vicecancell., Joanni Boner, Zuppario et Mg. Procur. Crac.

Cod. G. R. Generose dne. amice et fautor honorande. Jam nostri milites ceperunt in terra hostili septem civitates et oppida et tria castra, inter que ceperunt nuper castrum et civitatem Hochstein, et si habuissent bombardas majores, quecunque illis obvia fuerunt, omnia intercepissent. Quare Mtas. regia est multum sollicita et desiderat mirum in modum, ut bombardas ejus majores vestra Dtio. quam primum huc transmittat, prout ex ejus Mtis. literis jam antea cognovit et nunc ex dno. Staszkowski plene cognoscet. Magister Prussie congregat gentem suam et querit modos, ut milites Mtis. regie ex insidiis adortos opprimere possit. Verum illi satis caute et circumspecte incedunt. Pollicetur dnus. magister suis subditis, quod brevi gentes sit ex Germania habiturus et ob hoc adhortatur illos, ut sint constantes seque defendant. Nos vero non speramus, illum nunc aliqua externa auxilia habiturum, bonum tamen esset, ut vestra Dtio. haberet aliquos exploratores in Germania, qui explorare possent, si qui milites illic congregantur hic profecturi; multum enim interest

scire

scire Mtem. regiam, si qua auxilia ei illic comparantur, de quibus varii et continui rumo- MDXX.
res hic perferuntur.

Mtas. regia Dei gratia est bene sana, ego etiam satis bene valeo, vivo tamen in continuis curis et laboribus. Heri dnus. Chroberski, bonus et fidus servitor Mtis. regie, diem suum obiit. Commendo me vre. Dtioni. et valere illam felicissime desidero. Dat. Thorunii d. dominico prox. post octava sanctorum trium regum.

CXL. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Konarski, Epo. Cracoviensi.

De XX milibus contributionis cleri in bellum prussicum mutuo dandis.

Rnde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Mittimus ad vram. Ptem. venerabilem Jaco- Cod. G. R.
bum Staszkowski, canonicum cracoviensem, secretarium nostrum, cui commisimus nonnulla de mente nostra referre, postulamusque ab illa: velit illi in omnibus nostro nomine referendis plenam ac indubiam fidem adhibere et in illis ita se exhibere, prout illius solita erga nos observantia postulare videretur et bene valeat vra. Ptas.

CXLI. Sigismundus, Rex Polonie, Capitulo Cracoviensi.

Venerabiles devoti nostri dilecti. Mittimus istuc venerabilem Jacobum Staszkowski, canoni- Cod. G. R.
cum cracoviensem, secretarium nostrum, cui commisimus vris. Dtionibus. nonnulla referre nomine nostro spectantia ad presentem nostram et Reipublice regni nostri summam necessitatem, hortamurque illas: velint illi in his, que dixerit nomine nostro, plenam et integram fidem adhibere ut nobis ipsis coram loquentibus. Datum Thorunii.

CXLII. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni, Pape decimo.

Sanctissime in Christo pater, domine clementissime. Post humilem mei regnique et domi- Cod. G.
niorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Non dubito meminisse Sanctitatem vestram quam crebro et per literas et per oratores meos questus fuerim apud illam de variis et multiplicibus injuriis et damnis, que Illris. dnus. magister Prussie, nepos meus, subditis meis inferre consuevit, premendo illos vectigalibus insolitis, vadimoniis, carceribus, spoliis, latrociniis, incendiis, cedibus aliisque innumeris cladibus et maleficiis, que satis verbis explicari non possunt. De quibus cum illum sepe literis et per nuncios meos humaniter et benigne admonuissem, nihil unquam proficere potui. Quin etiam ille abusus

MDXX. hac tolerantia et equanimitate mea, sueque professionis, sui debiti ac etiam vinculi sanguinis immemor, conspiravit adversum me cum meis, imino totius Christianitatis hostibus, Moscis et Tartaris, auxiliaque contra me ubique apud christianos principes et fortasse etiam apud Sctatem. vram. comparabat: famam et honorem meum immeritis et indignis modis suggillando et impingendo mihi hec facinora, que ipse adversum me patrabat. Que omnia me patiente et tentante prius quecunque alia, quibus ille contineri potuisset, quam in consanguineum et populum christianum arma mea stringere deberem. Novissime, ut jam vestre Scti. constare potest, eduxit ex Germania magnum militum numerum, nullo mihi bello indicto, ut me inopinantem et aliis bellis cum Infidelibus occupatum adoriri potuisset, jamque delectu hominum in terra sua facto et machinis aliisque bellicis instrumentis pro arbitrio suo dispositis, erat in procinctu irrumpendi in terras meas, et subditos meos partim ad defectionem partim etiam ad prestandum sibi liberum transitum per loca munita sollicitavit. Ego videns hoc illius pertinax et hostile inceptum eo patientia mea processisse, ut jam non liceret nisi armis subditos meos tueri, coactus sum hoc tempore bello minime congruo et posthabitis omnibus negotiis meis ad terras meas Prussie cum apparatu bellico venire, ubi longo tempore adhuc expectans, ut ille resipisceret et debitum suum mihi prestaret, nolens et omnibus modis etiam declinans, arma mea, quibus assidue molem Infidelium sustineo, et non solum a meis finibus sed ab aliis etiam vicinis dominiis arceo et propulso, in christianum principem et consanguineum meum convertere. Videns autem et cognoscens illum in cepto et hostilitate sua persistere, neque ullis rationibus dignis aut modestia mea permoveri, necessarium tandem mihi putavi, illum, quod hactenus omni studio vitavi, bello aggredi et tueri armis subditos meos. Quod vre. Scti. significandum duxi, quemadmodum videlicet a bello continuo, quod multo labore, impendio et sanguine cum Infidelibus gero, me ille omnibus modis renitentem distraxit et id secum agere coëgit, quod mens mea semper abhorruit. Vnde maxime rei christiane incommoda et perturbationem secuturam non dubito. Et cum pauci norint et perpendant, quanta hec moles calamitatis sit a Scismaticis et Infidelibus, quam ego humeris et solis viribus meis sustineo, futurum erit aliquando, ut me ab hoc negotio cessante constabit omnibus, quantum ego et gentes mee de re christiana merentur. Itaque supplico vestre Scti.: causam hanc meam iustissimam commendatam habere et mihi favore et patrocinio suo adesse dignetur. Quod ego omni studio, omni ope et observantia mea volo erga illam et ejus istam sanctam sedem perpetuo demereri. Felicissime valeat vra. Sctas., cui me regnumque et dominia mea ex animo commendo. Datum Thorunii XXV. Januarii.

CXLIII. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali Sctorum. Quatuor.

Cod. G. Rme. in Christo pater et dne. amice noster charissime. Ex quo tempore, divina nobis favente clementia, ad paternum avitumque regnum vocati sumus, uti nulli rei majore ulla cura atque labore operam dedimus, quam ut quoquo anno vires nostras in christiani nominis

minis hostes converteremus, ita nihil tanto studio vitare conati sumus, quam ne in chris- MDXX.
tianum quempiam principem arma unquam stringere cogeremur. Quo autem pium hoc animi nostri institutum nobis commodius obire et ab omni in Christianos motu abstinere liceret, crebris cum literis tum nunciis superioribus annis Sctmo. dno. nostro atroces injurias questi sumus, quibus ab Illri. principe, dno. Alberto, marchione Brandeburgensi, ordinis militaris in Prussia generali magistro, nostro ex sorore nepote, lacessiti fuimus. Qui quidem debitum, quo nobis et regno nostro ex pactis conventisque federibus, inter predecessores suos et majores nostros initis, est obstrictus, licet sepius per nos ejusce rei commonitus, nobis prestare pertinaciter recusavit, quin hostilem insuper in nos pre se ferens animum, frequentes delectus habuit, milites suos semper paratos in procinctu esse, eosque in armis exerceri voluit, publicisque adlocutionibus in nos exacerbare conatus est, subditos vero nostros, dispositis grassatoribus, sepe fortunis exuit, sepe vexavit incendio plerosque etiam primarios cives crudeliter obtruncatos, plaustrisque impositos, nostras in urbes revehi imperavit, quo videlicet eas tam hoc miserando spectaculo quam aliis indignis modis atque innumeris oppressionibus ad defectionem minaciter impelleret, et ut non terram modo, sed mare etiam atque oceanum ipsum illis infestum redderet, piraticam in eos acerbe exercuit, nec aliud quidquam noctes diesque agitavit animo, quam ut et suum in nos et regnum nostrum debitum, predecessorum ac omnium subditorum suorum populari ac publico jurejurando firmatum, excuteret et per occasionem ex professo tandem dominia nostra bello adoriretur, videnque nos cum nostro simulque romane ecclesie potentissimo hoste, Moscorum duce scismatico, gravi bello implicitos, nihil antiquius habuit, quam illi sese arctissima confederatione (missis ad eum per longum terrarum tractum legatis) socium ultro adjungere, cujus quidem Scismatici hostis oratores vicissim summo in honore ac precio apud se fovet et ad intima quoque consilia adhibet. Nos quidem pro animi nostri mansuetudine sepenumero per literas et nuncios nostre illum longanimitatis commonefecimus conatique sumus eum placide ac leniter vel ad officium revocare, vel saltem sano quopiam et equo consilio ab incepto avertere. Sed nedum non profecimus, verum etiam ejus pertinax propositum benignitate nostra et belli in Christi fideles detractione eo insolentie est redactum, ut — quod dolenter de eo, regio tamen verbo verissime, referimus — in id, quod jam pridem in animum induxerat multo impensius incumberet et nobis bella ex bellis sereret. Scytas quoque, Machometane secte cultores et christiani nominis acerrimos hostes, quorum nos molem absque ullius christiani principis auxilio humeris nostris sustinemus eorumque repentinam ac velocem rabiem ab omnium Christi fidelium cervicibus anniversariis expeditionibus propulsamus, professionis sue et nostre necessitudinis immemor, conatibus suis adjunxit. Cumque superiore anno exercitus noster contra ipsum Scytarum imperatorem, qui hujusce suggestione solito atrocius regnum invaserat, pugnaturus esset, ubi immanissimi hostis adventus maximum concordie vinculum meritissimo fuisse debuerat, ipse ex composito condictoque, sub illud ipsum tempus, validissimum ex Germania ad eas, quas domi habebat copias, exercitum adduxit, subitoque nos aliis occupatos de repente obrueret. Hoc igitur periculo admoniti, huc tandem parati et instructi injuriam propulsaturi advenimus retinuimusque post nostrum huc adventum intra regni nostri fines

exercitum

MDXX. exercitum omnem dies sane plurimos, sanguinem christianum abhorrentes ac eo etiam consilio, ut ipse aliquando tandem resipiscere vellet, qua quidem expectatione ac tolerantia nostra distulimus quidem bellum, vitare tamen nequaquam potuimus. Quum enim illum nihil ex ferocia sua remisisse ac diutius patientia nostra abuti videremus, tandem copias nostras admodum profecto inviti hostium fines adoriri et vim vi propulsare permisimus. Quum autem Sctmus. dnus. noster pro sua summa sapientia et in rem christianam zelo consueverit semper hec nostra dominia, quorum viribus gravissimam Infidelium molem assidue reprimimus, singulari favore et benignitate complecti, hac commoti fiducia a Scte. sua enixe petere non dubitavimus, ut pro nostro in illam sanctam sedem observantia perpetua et eximia veneratione ac merito nobis, quorum animus a quietis consiliis nunquam abhorruit, consilio auxilioque paterno adesse dignaretur. Quia vero Dtionem. vram. rmam., que apud Sctem. suam et gratia meritissimo plurimum pollet, res nostras studiose complecti non ignoramus, eam etiam atque etiam rogandam duximus, ut illis benigno favore et patrocinio, in quo plurimum confidimus, adesse velit, huic humanitati non modo omni benivolentia respondere, verum etiam suum in nos meritum alacri gratitudine metiri ac regia benignitate nostra ita compensare curabimus, ut se officium egregie collocasse cognoscat vra. rma. Dtio. Thorunii XXVI. Januarii.

CXLIV. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo, Epo. Plocensi.

Cod. G. R. Rnde. in Christo pater sincere nobis dilecte. Jam ex aliis literis intellexit vra. Ptas. ad quid ventum est nobis cum magistro, atque ita, quod ad confirmationem pacis perpetue attinet, molesto et indigno animo ferimus, quod hoc negotium greca istic fide tractetur, quasi nos non simus solventes, vel promissis non soleamus satisfacere, quodque summa totius rei tanti momenti ex sola pecunia etea presenti dependeat, idque magis est nobis molestum, quod ea ipsa res, quam nos secretissimam esse voluimus, non ad multorum solum aliorum, sed eorum etiam notitiam pervenit, qui adversariorum sunt fautores, et proinde nos valde pudet. Utcunque est, nos nihil negleximus, nam cum primum nobis litere vre. Ptis. per familiarem ejus Vytinye *) qui multum remoratus est, reddite fuerunt, providimus e vestigio de pecuniis et aliis, pro quibus scripsit, nunc autem, ubi negotium ad istas difficultates pervenit interventu dni. cardinalis de Medicis, et nos vim vi repellere coacti bellum cum magistro gerimus, credimus quidem jam vel difficilius negotium hoc ex sententia nostra perfici posse, vel parum nobis in hoc casu belli profuturum, cum putamus omnia jam rescissa et ad pristinos terminos relapsa, tamen si Ptas. vra. intelligit, se hanc confirmationem hoc modo impetrare posse, ut sit firma ac non revocabilis, prout de Varmiensi est factum, et nobis in eventu isto bellico prodesse possit, consilio peritorum super hac re disquisito, curet, ut id fiat et sumptum, quem designavit, faciat. Moderari etiam hos solos duos articulos permittimus, quibus Piotrkovie

*) Vytinski, R.

presente

presente vestra Pte. cum dno. Kazimiro, marchione, et fratribus ordinis, tam ex Prussia et Germania, quam etiam Livonia, fuit res moderata et constituta, videlicet: ut non teneretur magister et ordo nobis et regno nostro contra ullum alium hostem assistere et servire, quam contra Scismaticos et Infideles, atque de recipiendis ad ordinem Polonis articulus tolleretur, alioquin si Ptas. vra. intellexerit, vel aliter mutari rem velle aut plura moderari, quodque ipsa res nec firma esse deberet, nec nobis bellum jam gerentibus profutura, potius ab illa desistat et sub silentio relinquat; malumus enim impensam facere pro milite, quam pro inani charta et plumbo. Itaque Ptas. vra. hac in eo negotio resolutione habita, sic illud agat, prout illi utilius et nobis honestius videbitur, quod totum prudentie et virtuti illius commendamus. MDXX.

De nunciis pontificis in Moscoviam mittendis, licet jam statueramus, nihil agendum esse, ne id a sede apostolica emendicare videremur, quod ipsa sponte sua pro pace et bono statu rei christiane facere deberet, tamen cum ex literis vre. Ptis. intelleximus, illos jam venire, suscipiemus eos grato animo et ipsi summo pontifici gratias agemus, utemurque illorum opera prout nobis et dignitati nostre melius expedire videbitur.

Displicet nobis vehementer, quod servi nostri sunt istic Rome tantopere in expeditione beneficiorum domini electi Vilnensis spoliati, presertim in his, que sunt jurispatronatus nostri, nam id in exemplum aliis cedet, quod audacius sacerdotia collationis nostre impetrabunt et pacta ac compositiones pro illis facient, quando ita isti successit, cum quo Ptas. vestra de illis composuit, egisset ille potius quod vellet, nos servos et jura nostra tutati essemus, nec permisissemus permittemusque nunquam nobis invitis sacerdotia jurispatronatus nostri quemquam obtinere.

De firmo animo et gratia nostra in se Ptas. vra. non sit sollicita, nihil illi ejus obtrectatores, si qui sunt, officient, ipsa duntaxat justam nobis alienandi a se animi nostri causam non prebeat et valeat feliciter. Datum Thorunii d· XXVI. mensis Januarii.

CXLV. Erasmus Ciolek, Eps. Plocen., orator, Sigismundo, Regi Polonie.

Sacra Mtas., dne. gratiosissime. Commendatis orationibus et servitiis meis in gratiam Mtis. vre. Post longam expectationem accepi tandem quaternas literas vre. Mtis. per manus Ludovici Josti, dni. Boneri affinis, qui huc tertia mensis presentis applicuit et me de variis sic ut habuit in commissis plene reddidit informatum. Revera multum opportune litere ipse simul et earum lator advenerunt, quandoquidem jam inter tot fabulas et latrantium ora mutus pene effectus stupebam super his, que in dies fingebantur. Nunc enim Moscorum victorias de Lithuania recensebant, quam in toto per eosdem occupatam impudenter predicare ausi sunt, nunc Tartarorum potentia magnam partem regni devastatam et electissimum militem vre. Mtis. cruentis et multis preliis commissis per eos penitus deletum. Non deerant, qui palam referrent, magistrum cum valido exercitu dominia vre. Mtis. ingressum et plura castra cum oppidis et civitatibus primariis ditioni sue subegisse, que ei ante per predeces- Cod. G. R.

MDXX. sores vre. Mtis. injuste fuissent ablata, inter quas calumniantium malignitates, dum totiens impugnando sepius demum silentio eadem transire oporteret, ecce fores pulsant desideratissime litere Mtis. vre.; tunc enim recitabatur coram pontifice secretius tragedia certa novo auctore composita, paucis domesticis adhibitis, in qua calumnie quedam figmenta miro judicis et advocati ingenio detegebantur.

Missus fuit intro Jodocus, obtulit literas, quas illico lectas dum armonia musice partes scene divideret, ad aurem pape brevibus explicavi, viderat enim me literas legentem, quippe qui tercius in ordine lateri sue Sctis. tunc adherebam. Allusi ad materiam representatam, quam plurimum ad prepositum nuncius ille simul cum literis vestre Mtis. tunc advenisset, ubi calumniarum et figmentorum falsitas ingenue detecta est et confutabatur magistri insolentiis et fabulis ac falsis ipsius querelis in medium adductis, que Sctas. sua jucundissimo vultu accepit, ut lator ipse videre poterat, qui omnibus aderat. Et ista deinde post actus omnes completos plenius sue Scti. declaravi, quemadmodum litere vre. Mtis. continebant et Jodocus paucis jam etiam explicaverat interim quod recitatio eadem continuabatur. Totamque illam cenam, que ibidem lauta et letissima fuit materia hec de fratrum istorum insolentiis occupaverat, sepius Scte. sua de variis inquirente et quod vra. Mtas. invita transitum hunc paraverit multis ipsorum excessibus provocata, quorum omnium honestissima illuc facta est mentio, pontifice et singulis, qui cene aderant, gesta Mtis. vre. approbantibus, recensitis etiam victoriis tociens in Moscis et Tartaris habitis, cum magna ipsius et suorum gloria. Addebat preterea sua Sctas., quod extempore nuncios suos ad vestram Mtem. miserit, optimam in eis spem repondendo, quod omnes has discordias complanare debeant et plura ad rem hanc.

Expectabitur hic in horas novum aliquod, quem tandem finem cum his fratribus vra. Mtas. constituet. Ego vero talem cuperem, ut plantata nova vinea, fidis et operosis agricolis eam collocet, qui alium fructum afferrent. Sic prudentissimi illius Ferdinandi Hispaniarum regis vestigiis innitetur, qui similibus magistris aboletis, ut nulla eorum amplius remaneret memoria in se et successores omnes suos, perpetuum transtulit magisterium. Super quo nuper scripsi vre. Mti. de principio hujus mensis per postam Illme. dne. ducisse, ad que me refero. Hoc unum repetere volui, ut quam primum hic de progressu actionis istius significetur. Primi enim motus in talibus optimam partem amplecti solent, dum ipsi pro parte sua nihil negligunt.

Habui demum alias literas per eundem super negotio confirmationis pacis illius pruthenice cum informatione et cautelis debitis, ut res expedienda firma foret, pro quo etiam VII milia apud dominos Fukieris deposita sunt. Tarde admodum in facto hoc ut in aliis mihi responsum est, et impensa tardissime ordinata, que celeritate magna absolvi debuerant.

Scripsi ego latissime in re ista de medio Julii et postea de Augusti, in quibus terminis negotium consistebat et ut quam primum summa pollicita ordinaretur et quod sperabam literas cesaree Mtis. in hoc facto. Sed dum ita negligenter ordinatio ipsa auri curaretur, supervenerunt expectate litere cesaris, ad quas se pontifex referebat. Commissa fuit illico bulle expeditio, quesitum apud me aurum per intermedias personas, que dum ex defectu dilationem acciperent, supervenit dominus cardinalis de Medicis, cujus consilio pontifex omnia

nia facere solet, et qui toto illo tempore, quo rem hanc inceperam, Florentie manebat. MDXX.
Protector is est magistri et sui ordinis, ut ante scripseram.

Que deinde impedimenta successerunt ex defectu impense per Kilowski, curiensem Mtis. vre., in fine Octobris abunde descripsi, simul cum exemplari literarum cesaris et quod jam opus esset aliam viam accipere, quam vra. Mtas. suis etiam literis designavit, ut videlicet pontifex aliquos articulos in dicto privilegio pacis contentos tanquam ex se reformaret. Ego descripsi vre. Mti. unicum, quem reformare admisi super fratrum susceptione, ut in libero arbitrio eorum sit accipere ad religionem hanc, quem ipsi velint, et ut quam primum vra. Mtas. suscripsisset mihi alia capitula et hoc simul de susceptione, quibus modis reformanda forent per pontificem, et ut sit illa reformatio cum scientia consiliariorum suorum primorum et sub sigillo et manu propria vre. Mtis. signata, ne postea in me culpam talium retorqueant et quemadmodum pro consuetudine quadam omnibus fere oratoribus contigit, qui loco bene meritorum maledicta reportare solent. Expecto itaque informationem hanc dum sciam easdem literas pro Kilowski missas sub conventu thorunensi vre. Mti. allatas, ubi commode super talibus consultare et concludere potuit. Revera tarditas hec multa negligere solet, ad eas enim, quas de Julio et Augusto scripsi, nunc in Januario post medii anni decursum responsum tuli. Non bene tam ardua negotia mittuntur per eos, qui occurrunt; lento enim transitu tales ut sepius veniunt et redeunt, infirmitas etiam et plures alie itineris contingentie multa interdum impediunt. — Celerrime deferuntur, que per bancum mitti possunt. Ego non audeo servitio ipsorum uti, que impensa augent, nisi sint pregnantia aliqua, quibus commodum vestre Mti. parari debeat, ut fuerunt brevia illa ad salvandum jubileum in regno et nuper possessionis episcopatus vilnensis, pridie etiam fasciculus definali expeditione nunciorum pape et exitu ipsorum, nunc vero cum his, que ad Lithuaniam attinent, alia communi cursu per quoscunque occurrentes mittere oportuit, dum vra. Mtas. hoc modo etiam sua satis magne importantie credere solet et que huc per viam banci in XIV. diebus afferuntur per alios missa vix in XL. diebus ad manus meas perveniunt.

Quantum attinet conditiones et puncta confirmationis expediende, ut firma sint omnia sine scrupis et involucris et quod re et nomine sit bulla, que postea revocari non posset, nihil dubitet vra. Mtas., quod ea omnia recte curabuntur, quam primum hujus rei expeditio dedecreta fuerit. Ab illo enim tempore, quo dnus. cardinalis de Medicis advenit, pontifex semper est in deliberatione, quamvis satis propensus esse videatur ad confirmandum cum aliquorum capitulorum reformatione et itidem dominus de Medicis pollicetur. Ego nimium urgere non possum, donec informationem sufficientem super modo reformationis eorundem capitulorum a vestra Mte. accipiam; nollem enim quidquam istorum transgredi, que mihi committere dignatur. Ex quo maxima illa opportunitas, literis cesaris allatis in absentia cardinalis de Medicis ita negligenter ob defectum impense amissa fuit, prout in primis literis de Octobre satis abunde progressum totiens negotii vre. Mti. descripsi.

Pecunie hic deposite ad unicum hunc effectum conservabuntur apud eos, qui respondere debent, utinam cum primis vre. Mtis. literis, quibus rem hanc curare commisit itidem ordinatum fuisset, absoluta jam habuissem omnia aliisque liberius intendere potuissem; adhibeo

MDXX. hibeo tamen supremam diligentiam, quam etiam pro salute propria impendere deberem, ut votis Mtis. vre. satisfiat. Verum informatio illa de capitulis reformandis sine ulla dilatione huc transmittatur, aut si forte novi aliqui tractatus et conclusiones cum magistro intervenerint, ipse enim per germanos suos, quos hic tenet et fratrem Nicolaum Schombergk, qui totus est pro eo, vigilat in rebus suis et qualibet fere ebdomada mittit suos ad curiam aut scribit multa fingendo, querelis variis intermixtis, quibus omnibus pro possibilitate resisto. Sum enim sepius illuc, ubi dicti fratres magistri intrare non possunt et datur tempus liberum ista confutandi.

Ausus est idem frater Nicolaus, quod secretius dictum sit, fine Aprilis preteriti, mihi dicere: noluit rex noster concordare cum magistro, videbitis, que ista estate fient et tunc libenter concordaretis, sed jam non erit modus. Ad que bene fuit ei responsum, quamvis tum parum considerare poteram, ad quid prophetiam hanc referret, sciebam enim pacem aliquot annorum per eum constitutam inter Mtem. vram. et magistrum et ideo nil ante super hoc scribere visum fuit. Nuper vero dum venit hic novum in fine Novembris, quod vra. Mtas. pararet exercitum validum contra magistrum, de quo hic mira predicabant, vidi fratrem eundem in camera pape stantem depresso vultu et cogitabundum, qui postea ad me accessit et inquirebat de preparatione eadem et quod jam vra. Mtas. ex Cracovia exivisset, que multis rationibus improbabat. Repetii ego dicta illa sua prima et quod in estate preterita bene provisum fuit tam Moscorum insultibus, qui in Lithuania pulsi et fusi sunt, quam Tartarorum predationibus, qui etiam a finibus regni retrocedere coacti fuerunt, et quod hec omnia ex magistri suggestione facta sunt, prout ipse predixerat, coram quo satis exprobratum est, quod talia incitamenta Infidelium contra principem christianum non bene liceant tanto prelato, religioso, cruce signato, qui alias ex debito professionis sue teneretur contra Infideles arma sumere. — Quem etiam tunc quesivi: si superesset modus regi nostro ad resistendum tot magistri insolentiis, jam enim estas transiit, subiratus fuit ipse admodum et damnabat temerarie vestre Mtis. transitum et quod tota Germania ordini assistere deberet. Ad que etiam bene replicatum fuit, repetita illa avi sui victoria, qua Germanos et ordinem hunc simul bene castigaverat. Dixi etiam de federe pacis, quod ipse inter vram. Mtem. et magistrum ad aliquos annos constituerat, an ita facere licuisset, qui tunc nuncium sue Sctis. gessit, magister vero fide fracta omnia que inimicum attinebant non omisit captivando, obtruncando et diversis injuriis afficiendo subditos regios et nunc peditatu multorum milium ex Germania collecto terras regias aggredi voluit, nisi duces Pomeranie et alii boni vicini regni impedissent, licuitne amplius Mti. regie ista tolerare? inceperat vociferare monachus, et tunc vocabatur ad cardinalem suum, pontifex vero me advocato quesivit de omnibus, que cum fratre Nicolao contulissem, notabat enim gestus utriusque subiratos. Ubi tunc Scti. sue singula magis abunde explicaveram, in fine frater Nicolaus non aliter quam pro hoste reputetur, et ita ego pontifici persuasi, ut dicta sua contra Mtem. vram. ita semper accipiat, ut unius de religione magistri, apud quem duos germanos suos habet, et quod ista causa fuerit, quare vestra Mtas. nunquam de eo confidere poterat. Plurimum sibi displicet, quod illi nuncii, eo contempto, ad vestram Mtem. missi sunt, in quo ipse multa nectebat impedimenta simul cum nostris, ut in sequentibus

bus plenius. Parcet Mtas. vra., quod interdum leviuscula hec literis insero, que aliquando scire juvat. MDXX.

Meminit iterum vra. Mtas. in calce literarum suarum per Jodocum allatarum, quod nuncii Sctis. sue ad vram. Mtem. designati hucusque non comparent, et ut exactam operam adhibeam pro celeriori eorundem expeditione. Quamvis ab illa hora, qua primas literas suas in ea materia suscepi, nunquam destiti facere diligentiam debitam prout ad fidum servum vre. Mtis. pertinebat et jam ex aliis meis plane intellexit, que impedimenta circa hoc habuerim et per quos, ut primo designatus episcopus, tot periculis deterritus, que sibi nostri predicabant, provinciam hanc eundi repudiaverit, cum magna certe indignitate mea aut potius istius, cujus personam hic represento; postquam tamen venit huc novum istud de magistri tumultatione et quod dominia vre. Mtis. cum valida manu fuisset ingressus, revera die et noctu nihil aliud agebam, tum cum pontifice tum cum dno. Medicis et Cibo, qui plura apud Sctem. suam possunt, solum ut ii nuncii celerius fuissent expediti, neque credet vra. Mtas., quibus verbis cum Scte. domini nostri certaverim aut potius contenderim, ut interdum ad indignationem usque tam benignum et humanissimum dominum adducere oportuerit, que dilationes omnes malignitate Martini Rambieski per fratrem Nicolaum nectebantur, ut nunc clarius post suum hinc discessum exploratus sum, qui cum eo sepius erat in consultationibus secretis. Dumque ego nuper inquirerem fratrem Nicolaum, quid cum eo egisset, dixit, illum negotia archiepiscopi curare, et Jodocus hic veniens retulit, quomodo idem Martinus multa dixerit cum eo Venetiis de eisdem nunciis missis, quod male factum esset et quod frater Nicolaus sepius eum interrogaverit: si est regia voluntas, ut pontifex nuncios mitteret, quos orator cum tanta diligentia sollicitat mittendos, et plura in rem hanc, unde facile notari potest, que cum eodem fratre hic egisset. Quam primum nuncii exiverunt ex Urbe, exivit et ipse et Bononie forte insecutus est ipsos, quibus continue ista, que hic Rome solebat, predicabat sine ulla consideratione domini et patrie sue, quemadmodum hi retulerunt, qui Romam venientes habuerunt eos obvios et aliquot diebus cum ipsis commorati sunt.

Scribit preterea ad me dnus. Oporowski ex Venetiis die XXVI. Decembris, quod idem Martinus et sui complices tantum mali de regno coram eisdem nunciis dixerunt super difficultate itinerum et periculis variis et quod fratri Nicolao unico eunti plus pro expensis papa providerat, quam illis ambobus in tanta comitiva, et quod nullam provisionem a Mte. vra. expectare deberent ac plura alia ad hunc effectum, et quod ille episcopus tot malis relationibus et irritamentis ita fuerit perculsus et concitatus, ut redire Romam ex Venetiis propusuerat, nisi fuisset tanta constantia alterius college, qui regnum ante viderat et scit, qua humanitate et beneficentia vra. Mtas. oratores tractare solet, cui neque dominus Oporowski neque alii viri boni quidquam in contrarium persuadere potuerant. Omnino redire voluit si domini Militis longa de regno experientia et integerrima mens non profuisset. Scribit tamen dnus. Oporowski, quod pessime contentus et pene desperatus idem episcopus iter continuerat, que omnia ex eodem dno. Oporowski plenius vestra Mtas. accipiet, sciet enim et ea singula ad latum referre, que per tales nebulones Rome in displicentiam vre. Mtis. acta sunt et fide oculata ostendet. Profecto si alterum adhuc episcopum a transitu

 deterruisset

MDXX. deterruisset et is Romam ex Venetiis rediisset, que levitas ad primam illam accrescere debuit vra. Mtas. optime considerare potest, et deberet merito tantos excessus castigare, ut alii hic a displicentiis similibus abstineant. Defert secum multa contra servitores Mtis. vre. corruptionibus et clandestinis expeditionibus extorta, ut majoris sui mandatis pareat; cui Mtas. vestra per tot excessibus justa indignatione palam ostensa, posset deinde servitores suos evincere modis, quos ante descripsi, et ista etiam diversione ut jus conferendi prebendam cracoviensem et parochialem in Proschowicze variet, que semper seculari licent, et in alium conferat, dum ipsi jura Mtis. vestre et servitorum suorum ita pessundant in dies, et nisi insolentia hec radicitus illuc extirpetur, unde ortum habet, frustra erit hic talibus medelam querere, ut nuper in aliis literis memineram. Sed vereor, quod Mtas. vra. plus intercessores attendet, quam suam aut suorum injuriam et alii ad similia vel pejora animabuntur. —

Venerunt Venetias nuncii ipsi aliquot diebus ante festa Natalitia, ubi per senatores urbis honorifice fuerunt excepti et in palatio ducis Ferarie collocati ac omnibus liberaliter provisi. In festo S. Stephani habuerunt audientiam apud ducem et illic episcopus in oratione sua, quam a pontifice ad senatum habuit, dum meminisset avisamenti regis Dacie super devotione proposita Moscovie ducis, qua ad unionem S. romane ecclesie venire cupit, subito dux ipse et plures primores de consilio pre magna letitia ad lacrimas uberes proruperunt. Ita enim per me informati sunt, ut hanc primam causam sue missionis predicarent, secundam de beati Kazimiri verificandis miraculis, qui brevi catalogo sanctorum ascribendus foret, ut per ista alie due commissiones de concordia Mosci cum vra. Mte. et tandem magistri cautius celari possent et eam hic famam per totam urbem spargere. Curavi ut etiam in medio congregationis cardinalium de Julio super hac missione facte inter articulos propositos videre potuit vra. Mtas. quos ante cum literis per Vythinie miseram.

Multum enim indecorum visum fuit, eam nudam causam texere transitus ipsorum, ut solum ad concordiam vre. Mtis. cum Mosco et magistro mitti debuissent, ideo coram illo senatu duas tantum causas primarias sue missionis explicaverunt, et ita in publica audientia coram Mte. vra. facturi sunt, nisi forte vra. Mtas. consultius crediderit, ut aliter istic fiat, in quo per fidum aliquem eos premoneri faciat, cujus votis parebunt.

Pransi fuerunt illa eadem die ad ducem cum magna celebritate et honorifica vre. Mtis. memoria. In die S. Joannis legatus apostolicus, qui illiç est, eos similiter cum multis senatoribus, ut scribunt, tractavit, unde ad magistrum altera die post Innocentum trajecerunt iter ceptum continuaturi.

Credo ego, quod apud Mtem. vestram pro festo purificationis constituentur. Quos oratores iterum Mti. vre. enixius commendo, ut malignitas susurronum, qui eis pessima predicebant, per effectus contrarios benignitatis et munificentie sue solite confundatur. Revera ambo viri boni sunt et recti, quorum servitio poterit uti vra. Mtas. confidenter. Commendo me gratie Mtis. vre. quam longe et feliciter multis de hoste reportatis victoriis valere cupio. Rome die Mercurii XXV. mensis Januarii.

CXLVI. SIGISM.

CXLVI. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Hungarie Regi.

Serme. princeps etc. Jam per alias nostras literas Mtem. vestram edocuimus de profectione nostra in terras Prussie et causas moti belli exposuimus pro defensione subditorum nostrorum, qui a dno. magistro diversis calamitatibus indignissime affligebantur. Nunc deo opt. max. favente res nobis ex sententia procedunt, oppidis non paucis et arcibus in potestatem nostram redactis. MDXX. Cod. G. R.

Verum enimvero in futurum prospiciendum est, ne hostis novis auctus copiis nobis obesse possit; intelleximus siquidem nonnullos in regnis et dominiis Mtis. vre. versari, qui a dno. magistro annuo stipendio subarati ei auxiliares copias undique contrahunt et potissimum in regno Bohemie, marchionatu Moravie nec non ducatu Slesie in spem maxime, ut accepimus, Illris. dni. Georgii, marchionis brandeburgensis, nepotis nostri, qui lateri Mtis. vre. assiduus assistit. Itaque rogamus Mtem. vram., ut non obstante priori edicto, quo omnes ad accipienda a dno. magistro militaria stipendia vetabantur, iterum illud, adjecta aliqua severiore interminatione, qui edicto contravenerint, publicari faciat et potissimum in regno et provinciis suprascriptis Germanie conterminis.

Cuperemus etiam ut alio recentique edicto in iisdem regno et provinciis proponi faceret, quo universi ad bellum parati esse juberentur ad ferendum nobis, si opus erit, auxilium. Poterit fama hec ferendarum suppetiarum rebus nostris non leviter opitulari, ubi hostes intellexerint, opes et arma Mtis. vre., quando necessitas expostulaverit, nobis non defutura, et forte a movendis armis retrahentur, postquam regna nostra mutuis inniti viribus intellexerint. Vellemus et hoc edicto adjici, ut si alique militares copie per prefatum regnum et provincias ad dni. magistri stipendium tenderent, hi omnes pro hostibus haberentur vique et armis a transitu arcerentur. Rogamus insuper plurimum Mtem. vram., dignetur spectabili et mgco. Leoni de Rosmital, burgrabio pragensi, secrete mandare, ut si quos edicti contemptores aut domino magistro annuo stipendio obstrictos in regno Bohemie repererit, eos in potestatem redigat, aut sponsione fidei obstringat et presertim Sigismundum, Bavarum, qui gentes pro dicto dno. magistro conducere illic perhibetur.

Intelleximus etiam in dominiis Saxonie et Bavarie ducum pro dno. magistro mercenarios milites conduci et eas regiones bellico fervere apparatu. Postulamus a Mte. vra.: velit per nuncios aut literas cum eisdem dnis. ducibus agere, ut talia fieri in dominiis suis non patiantur. Quod si secus fieret, scirent Mtem. vram. nos patruum suum cum regnis et dominiis suis non esse deserturam.

Serme. rex et nepos noster amantissime. Presens rerum nostrarum status postulat, ut Mtas. vra. in his nobis amorem et benivolentiam suam ostendat, quam illi nos vicissim volumus et pollicemur in quacunque ejus necessitate omnibus viribus et facultate nostra semper referre. Felicissime valere optamus Mtem. vram., que nos diligat, ut consuevit, et habeat nos sibi commendatos. Datum Thorunii ... Februarii.

Ad

MDXX. Ad epum. Vaciensem scripsit etiam Rex Polonie, ut litere precedentes legerentur in absentia Georgii, marchionis, et ut eo inscio expeditio fieret.

CXLVII. Sigismundus, Rex Polonie, Proconsulibus et Consulibus Gedanensibus.

Cod. G. R. Famati, fideles dilecti. Accepimus literas vestras, quibus nobis gratulamini eos successus, quos dnus. Deus prebet exercitui nostro, intelleximusque consilium vestrum, quod ad civitates Kinsberg et Braunsberg attinet. De conflictu isto nostrorum nondum aliquid est nobis per campiductorem nostrum significatum, miramurque valde et suspicamur, nuncium esse interceptum. De consilio vestro edocebimus ipsum campiductorem, qualiter se gerere debet; nam illud nobis consultum et utile videtur, hortamurque vos, ut que adhuc expedire rebus nostris intelligetis, ea ipsa campiductori suggeratis providentes, ne litere intercipiantur. Nam ille jam vobis propinquior erit quam nobis.

Intelligentes vero, nos diminuere oportere exercitum sumendo ex illo cohortes ad presidia locorum, que in ditionem nostram veniunt, misimus celerrime pro militibus tam ad regnum nostrum quam etiam ad Bohemiam et Moraviam. Pro tormentis etiam majoribus misimus, que propediem nobis adducentur, nilque pretermittemus, quo negotium hoc recte conficiatur.

Ad dominum ducem Pomeranie misimus nuncium, generosum Raphaelem de Leschno, capitaneum slochoviensem, declarando causam nostram et quod ejus belli nos non sumus autores et principium. Hoc ipsum summo pontifici et aliis vicinis principibus significavimus. Vos quidquid potestis opere prestare, quo res bene succedant et subditi magistri ad nos desciscant, utque custodia fiat, ne quid ex Dania difficultatis accidat, id pro industria ac fide vestra curetis nosque cautissime de omnibus certiores reddere non negligatis, quod vobis gratia nostra cumulatissime referemus. Datum Thorunii.

CXLVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Bone Sfortie, Regine.

Cod. G. R. Serenissima princeps et domina conjunx nostra charissima. — Hesterno die significatum est nobis ab exercitu nostro, captum esse per nostros oppidum et arcem Morungk et hodie Gedanenses nobis scripserunt, conflictum esse factum inter nostros et magistri homines, nostrosque victores extitisse, totoque isto die expectavimus de hac re certiores fieri a capitaneo nostro. Non habita tamen ab illo certiori significatione, per hunc nuncium nostrum a nobis discedentem id quidquid in presens accepimus vre. Mti. declarare voluimus. Cujus amori nos commendamus et cupimus, ut sit felix et incolumis. Datum Thorunii.

CXLIX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Bonero, Zuppario etc. Cracoviensi.

Generose fidelis dilecte. Mittimus ad te generosum Petrum Zagajewski, capitaneum nostrum Nieschevіensem, quem volumus, ut, posthabita omni mora, cum tormentis nostris majoribus et pulveribus ad nos remittas eique curam eorundem tormentorum et vectorum, qui illa ducent, committas. Dedimus ei hic pro expensis decem marcas pecuniarum, tu vero dabis ei isthic pecuniam, qua providebit in itinere expensis vectores et eorum equos. Cum autem summopere cupiamus, ut ea ipsa tormenta celeriter huc adducantur, volumus: ut conducas istic viginti pedites seu rusticos, qui vadant cum eis usque huc eaque per loca difficilia, ut sunt pontes, vada, paludes traducant, quo sine omni impedimento et difficultate transvehi possint et cum tali apparatu ea ipsa tormenta expedias, quem nosti necessarium esse et de quo prioribus literis nostris tibi abunde perscripsimus. Provideas etiam, ut sint equi sufficientes, sit etiam faber lignarius, qui facile, ubi quid frangetur in vehiculis seu curribus, reformare sciret et posset. MDXX. Cod. G. R.

Ceterum cum sint nobis plures milites mercenarii, misimus pro eis conducendis in Bohemiam Proczkonem parvum commisimusque illi, ut quadringentos equites bene armatos et sexcentos pedites nobis illinc educat et a te pecuniam, quam illis pro expeditione est daturus, isthic accipiat. Postquam igitur veniet ad te is ipse Proczek sive solus sive cum rothmagistris, quos conducet, volumus et mandamus tibi, ut in singulum equitem des quinque florenos in moneta, quemlibet florenum viginti octo grossis computando et in singulum peditem tres florenos similiter per viginti octo grossos computatos. Interim vero accipias pecuniam nostram a generoso Achacio Jordan, theloneatore nostro cracoviensi et sandomiriensi, quam ex theloneis nostris collectam habet et eam inter milites predictos modo premisso distribuas.

Quodsi rotmagistri isthuc non venirent ipsi ad accipiendam pecuniam, sed forte vellent, ut eis in Bohemiam afferretur, fac ut eam des ipsi Proczek in quadringentos equites, ut diximus, et sexcentos pedites secundum calculum predictum, et id facias sine omni difficultate et retardatione, ne qua mora intercidat in nostris et Reipublice negotiis.

Rotmagistri peditum habebunt etiam equos suos, quisque illorum tres aut quatuor, prout id Proczek in scedula descriptum habet, quibus in singulum equum dabis tantum, quantum aliis equitibus, hoc est in singulum equum per quinque florenos per XXVIII gross. computatos. Datum Thorunii.

CL. Petrus Tomiczki, Eps. R. P. Vicecancellarius, Michaeli Spiss, Consuli Cracoviensi.

Famate dne. amice charissime. Impetravi tandem a Mte. regia id, quod optastis pro dno. Andrea Salomonis, creavit enim illum Mtas. sua burgrabium castri cracoviensis, et literas ejusmodi Cod. G.

MDXX. ejusmodi creationis illi mitto, quas scripsi paulo extensius quam fuit in exemplari, quod mihi misistis, volens vobis in hoc gratificare prout in omnibus aliis soleo. Rogo vos plurimum: faciatis emi mihi in nundinis lublinensibus pro festo purificationis beate Marie proxime celebrando mille pelles albularum, que vulgo bielki seu popielicze dicuntur, et faciatis eligi bonas et que non diu in creta jacuerunt. Id quod vre. industrie committo. Solvam vobis cum gratitudine debita. Nostri milites ceperunt jam in terrâ hostili septem civitates et oppida bene munita et tria castra, cepissent autem longe plura, si haberent secum tormenta et machinas vastatorias. Speramus in dno. deo, quod et civitatem Braunsberg, dolo et proditione interceptam, brevi intercipient. Valeat feliciter Dtio. vra. Dat. Thorunii.

CLI. Andreas Krziczki, Prepositus Posnaniensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario, Avunculo.

Cod. G. R. Rme. in Christo pater et dne. mihi colendissime. Perveni huc — diis gratia — salvus et incolumis, ubi licet tam mihi quam his, qui mecum sunt, omnia placeant, tedio tamen nonnihil afficimur vel mutata consuetudine, vel eo quod aulicis absque principe videri ubique solet. Accedit ad hec dni. hujus rmi. assidua confabulatio et propinquorum undique convolantium impetitio, que omnia certum est perpeti, male mihi imprecante mea Camena. Faciat dnus. deus, ut rmam. Dtionem. vram. sanam et letam revisere valeam. Cujus gratie me et obsequia mea commendo. Posnanie in vigilia purificationis Domine nostro.

CLII. Andreas Krziczki, Pptus. Posnaniensis, Petro Tomiczki, avunculo suo.

Cod. G. R. Rme. in Christo pater et domine colendissime. Communi mihi dolori est egritudo vre. rme. Dtionis., expertus ipse alias dentilem hunc cruciatum. Quantum autem in hac re prestare potui, sollicitavi hesterno die, que fuit S. Apolonie, sacricolas omnes, ut illam pro sanitate ipsius rme. Dtionis. vre. suis preculis et sacrificiis fatigarent, interminatus etiam illi, ut in officium suum nunc faciat, me sententiam Luteri sequuturum. Effeci, ut capitulum hoc consenserit ad mutuandas pecunias Mti. regie, cui de hac re nihil omnino constitit, factum id de industria pestis illius communis et omnium publicorum bonorum turbatoris.

Ego, mi reverendissime dne., ago hic satis ex sententia, reperi complures in cetu hoc ecclesiastico viros probos et suavissime consuetudinis, cum quibus mihi convictus est, benivolentia mihi etiam et honor tantus exhibetur a summis et infimis, quantus vel episcopo satis esse possit. Combussi — ut Plautino verbo utar — hos dies in accipiendis sigillatim vicariis et canonicis ac demum heri dno. epo. cum dno. capitaneo et civibus ac mulierculis aliisque plurimis convivium et choreas ad multam usque noctem ducentibus; verum perturbaverat mihi nonnihil ipsos hospites unius ciathi mei argentei surreptio, supervenientibus quibusdam

dam nostris nobilibus cum illo suo grege furtifico et cura ac cautione servorum meorum quam vestra rma. Dtio. novit. Francz me urget, ut finem faciam. Me rme. Dtioni. vre. humiliter commendo, que sit optime sospes et incolumis. — Posnanie die Veneris Sancte Scholastice. MDXX.

CLIII. Andreas Cricius, Tomicio Epo.

Rme. in Christo etc. Venit huc heri Golaneczki et retulit mihi auctam egritudinem vestre rme. Dtionis., dominum doctorem Kostka non adesse pro eoque tumultarie missum. Quo nuncio sum adeo consternatus, ut totam hanc noctem in estu et insomnio duxerim; supplico itaque vre. rme. Dtioni. committere dignetur vel dno. baccalario vel alicui alteri, ut mihi valetudinem ipsius describat, alioquin facere non potero, quin isthuc meum aliquem mittam, quo fieri possem certior, nam et nunc facere id erat animus, ni intellexissem, dominum prefectum stabuli regii jam huc adventare, a quo rem clarius cognoscere potero. Me rme. Dtioni. vestre et obsequia mea humiliter commendo, cui dnus. deus optatam tribuat salutem. Posnanie sabbato XI Februarii. Cod. G. R.

CLIV. Andreas Krziczki, Pptus. Posnaniensis, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario,

Rme. in Christo pater etc. Accepi hesterno vesperi literas vestre rme. Dtionis. datas in die S. Scholastice, que me de levato jam ejus dolore magna sollicitudine et angustia liberarunt, sumque vulgi opinioni pro S. Apolonia contra Lutherum plane adstipulatus et illi gratias egi. Hodie mane ad ecclesiam eunti obtigit Zielienski, servitor dni. Latalski, prepositi, jam versus Thorunium iter faciens, quem continui, donec id, quod sibi vra. rma. Dominatio jussit mitti, scriberem. Itaque, ne quid negligerem, et ne illum etiam festinantem remorarer, scripsi hec omnia tumultuarie, puto tamen satisfactura lepidis oratoribus, quos videor videre quales sint, et literas dni. Staszkowski magno dolore legi, sciens jam dudum alioquin, quantam indignitatem et damnum nobis iste tales legationes faciunt, que nullius unquam usus fuerunt. Quare virtutis erit et illius magnitudinis animi vre. rme. Dtionis. ita in verbis et commissis omnibus se gerere, ut cognoscant, principem non regulum esse nec eorum umbratili ope adeo egere. Sed urget Zielenski. Vra. rma. Dtio. dare veniam huic scriptioni Albertiste dignetur et felicissime valeat. Posnanie die Lune XIII Februarii. Cod. G. R.

CLV. A. Cricius. P. Tomicio, Epo. Avunculo.

Rme. etc. Salvam et sospitem vram. rmam. Dtionem. audire valde desidero, nam licet dominus Nicolaus mihi retulit, nihil adeo noxium et metuendum esse levatamque illam majori ex parte, quidquid tamen id est, velim omnino nihil esse. Cod. G. R.

Ego

MDXX. Ego his duobus diebus, quo dnus. P. Kmita, marsalcus, huc venit egre valeo, quassatus inter illos continua inquietudine. Nam et ille et omnes ejus comites sunt hic toti in amoribus et conviviis, quarum ineptiarum nescio quid voluptatis habent, me spectatorem adesse et occupatum meis necessariis negotiis occupare, videor videre quid in nuptiis istis futuris mecum erit, sed statui subducere me, si quo pacto citra indignationem dominorum potero. —

Habeo multa referre hinc rediens Dtioni. rme. vre. de miserrimo illius ambitu, qui hoc uno et sibi et aliis officit, quem non etate solum, sed ne morte quidem puto remissiorem futurum. Loquutus est mecum super illa expectatione multa, sed simulatim et expiscans a me aliquid. Ubi vero hamum sensi, homini ut homo est morem gessi et ejus orationi subservivi, pungens tamen illum identidem integra et pertinaci alterius valetudine. Sed de his et aliis coram abunde. Postulant mea negotia, ut hic paulo diutius opinione immorarer, nam eorum nihil prorsus adhuc confeci, hoc tamen rme. Dtionis. vre arbitrii esto, que me facere dignetur certiorem, an cum ejus venia fieri possit, ut iter minus instituto accelerarem nec ne, nam contra ejus voluntatem ne latum quidem digitum excedere vellem. Cujus gratie me cum servitiis meis toto studio commendo. Posnanie XVII Februarii.

CLVI. A. Cricius. P. Tomicio.

Cod. G. R. Rme. etc. Post obsignatas priores meas, accepi literas vre. rme. Dtionis., quibus me certiorem fecit de illo negotio ex Cracovia et in eo sedula cura sua, quam cum domino Posnaniensi communicari eo quod magna sollicitudine tenetur, ut ita succedat, nec alio nomine quam hoc me appellare vult, hicque omnes passim alii, me erubescente, et rem omnibus modis dissimulante. Censet ipse dominus Posnaniensis agendum aliquid cum his, qui officere putantur, quod prudentie et benignitati rme. Dtionis. vre. committo.

CLVII. Pasquillus. Cricius fecit.

Ex cod. mss. bibl. Korn.

Integra Corbita est, Rosa sobria, Aluta diserta,
Facundus Vitulus, patienti pectore Pinus,
Demissa est Aquila ascriptitia, Cymba severa
Fortes Mandibulę: celebres reliqui et reverendi.

In his versibus contrarius sensus est intelligendus. Episcopi enim et mores eorundem per stemmata eorum gentilicia notantur. JOANNES siquidem Laski, archiepus. gnesnen. de armis Corabitarum, non erat rectus homo, sed turbas plebis in Republica et contra regem suum concitabat, facta ejus vide in epigrammate subscripto. ANDREAS de domo Rosarum, archiepus. leopoliensis, bibax ac temulentus erat. JOANNES Conarski, epus. cracoviensis, de domo Allutarum sev Habdangk taciturnus et parum loquens. MATHIAS de Drzewicza, epus. cuiaviensis,

sis, non eloquens cogitata a se et inventa efferre non valens. JOANNES de Lubbrancz ex familia Pinorum sev Godziembarum, vir quidem doctus, consilio bonus, ceterum ad res indignas cum in Senatu tum alibi domique ad minutas etiam offensas impatiens ac morosus ad risum vsque hominum. ERASMUS Ciolek, epus. plocensis, genere plebeio de Cracovia, nobilis creatus, et in familiam Dria, que Aquilam nigram dimidiatam cum tribus lapidibus pro insigni defert, ascitus ac ascriptus, elati homo animi erat et a superioritate metropolitani sui Joannis Laski, archiepi., eximi se per Leonem X. papam procuraverat, et Mathie Drzevicio, epo. cuiaviensi se subdiderat. PETRUS Tomiczki, eps. premislien., de stemmate Cymbę, probus, prudens, affabilis, comis, humanissimusque. JACOBUS de Buczacz, epus. chelmensis, ex ea familia, que Bubali caput defert, mollior ac voluptarius. Ceteri episcopi obscuri atque ab hominibus neglecti. Et hic est sensus huius epigrammati verus.' MDXX.

Epigramma in Joannem Laski, archiepum. Gnesnensem. A. Cricius fecit.

Consilio, lingua, calamo, racione prophana
Sed fictis lacrimis, perfidiaque tua
Vectus es ad summam, o mores, o tempora, sedem.
Naso nilque potest altius esse tuo.
Dedecus eternum patrię clerique ruina
Et fomes sceleris perniciesque boni
Deprimis integros vitę extollisque Simones
Fraude tua virtus cum probitate cadit.
Consulis in commune malum, dum commoda queris,
Pro tuaque posses vendere templa domo.
Tu regem regnumque, tuos tu prodis amicos,
Tu bella et lites et mala cuncta cies.
Per fas perque nefas rapis omnia, nulla Simonis
Est labes vicio, nullaque falsa manus;
Sic hominum testata voras, sic congeris aurum
Et sacra imponis, sic scelerate bona
Discurrisque senex toto versatilis orbe
Et ridet nugas quelibet ora tuas.
Morbum fallendo, mortem quoque fingere nosti
Arte hac divinum nec caret officium.
Singula quid repetam, te maior hypocrita et harpax
Nemo, nec ardelio, nec sycophanta fuit.
Recte igitur pre te fertur crucifixus Jesus,
Omne tuum rursus quem crucifigit opus.

CLVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Bonero, Zuppario etc.

MDXX. Cod G.R. Generose fidelis dilecte. Valde nobis ingratum est, quod rotas istic pro bombardis disponi non fecisti quemadmodum tibi commiseramus, nam facilius istic ligna pro hoc opere acquiri possunt quam hic, ubi nulle sunt ad hanc rem silve. Utcumque est, volumus, ut nobis mittas quam celerius decem istas bombardas, quas nobis in cedula descripsisti, sicque mittas, ut eas disposuisti in vehiculis unacum rotis et bono fabro lignario et ladulis atque eo instrumento, quo levari bombarde solent, ut si quid destrueretur esset statim, qui reficeret. Mittasque tot equos cum illis, ut, si via vehiculàris deficeret, possint sine mora curribus adduci, nam nobis summe sunt necessarie et sine illis nihil hic utiliter exercitus noster facere potest.

De pulvere bombardario volumus, ut tantum nobis mittas, quantum ad maximum potes, volumusque, quod mitteres pro majoribus bombardis plus quam centum centenarios, pro pixidibus vero manualibus mittas supra decem centenarios, et si tantum non erit de nostro, tunc illum istic emas, de quo ut putamus satis Cracovie invenies.

Mittemus jam quam celerius ad te Petrum Zagajewski, capitaneum niessoviensem, qui bombardas istas majores conducere istinc ad nos debebit, quas ita instructas, dispositas et omnibus necessariis provisas quam celerius mittas, ut in via nullo impedimento remorari possint, et, ut diximus, fabrum lignarium aliaque apparamenta ac tot equos cum illis mittas, quod sufficere possent ad ea vehenda, ubi nives hoc medio tempore dissolvuntur. Pro gratia nostra aliter non facturus. Dat. Thorunii.

CLIX. Edictum de non importandis rebus ad Cruciferos. De moneta mala. De cavendis incendiariis a Magistro subornatis. Ne externi milites furtim ad Magistrum penetrent.

Cod. G. R. SIGISMUNDUS, rex Polonie etc., universis et singulis etc. Sincere et fideles dilecti. Non incognitum est vobis, nos ex decreto conventus generalis cracoviensis proxime preteriti inhibitionem per universum regnum et dominia nostra fecisse, ne ex illis per quempiam ulle res vel merces in terram domini magistri et ejus ordinis Cruciferorum ducerentur aut importarentur, id quod jam pridem per alias literas nostras ad vestram notitiam duximus. Quia vero certo edocti sumus, quod non obstante hujusmodi inhibitione quidam ex vobis habere debeant et exercere secreto commercia et negotiationes cum subditis ipsius magistri, que res esset nobis valde molesta et nequaquam ferenda, ideo iterum vobis et cuilibet vestrum districte mandamus, ut hujusmodi inhibitionem nostram firmiter et inviolabiliter observetis nullasque res et merces sub pena capitis ac amissione et confiscatione omnium bonorum vestrorum in terram magistri predicti invehere quocunque modo, nec cum ejus subditis

subditis aliquas negotiationes exercere presumatis, neque id permittatis nec aliquis vestrum MDXX.
permittat.

Et quia etiam ad nostram notitiam deductum est: magistrum ipsum hostem nostrum cudisse et hactenus cudere monetam grossorum sub signis suis et non parvam ejus summam in provincias regni et dominiorum nostrorum emisisse cum magno detrimento nostro et subditorum nostrorum, idcirco eandem monetam grossorum prefati magistri, quam ipse cudi fecit et regno et terris nostris Prussie aliisque dominiis nostris banniendam et ejiciendam duximus ac bannitam et ejectam esse tenore presentium declaramus, illamque tam publice quam occulte recipi in terris et dominiis nostris inhibemus sub penis nostris regalibus et amissione ejusdem monete.

Ceterum cognovimus ex nostris exploratoribus, quod prefatus magister, hostis noster, multos incendiarios occultos conduxerit, ut civitates, arces, oppida et villas nostras subditorumque nostrorum clam incenderent atque cremarent. Quocirca vobis universis et presertim locorum capitaneis et eorum vices gerentibus committimus presentibus, mandantes, quatenus in omnibus civitatibus et oppidis ac villis in capitaneatibus vestris existentibus diligenter provideatis et provideri faciatis, ne — quod procul dominus deus avertat — per hujuscemodi occultas et christiano principe indignas machinationes hostis ipse noster voti compos efficiatur, in eisdemque locis et circa eorum ecclesias parrochiales, diebus festis, ac foris publice per publicas proclamationes denunciari faciatis, ut omnes et singuli subditi nostri aquam, hamos, secures aliaque instrumenta ad arcendam et repellendam vim ignis ubi acciderit habeant, ac ab inferendis et inducendis rebus quibuscunque in terram ordinis et cum subditis ipsius negationibus exercendis et a receptione monete predicte grossorum, quam ipse magister modernus, hostis noster, cudi fecit, omnino caveant. Nam si quis ausu temerario huic edicto nostro contravenire presumpserit, penas supra descriptas se noverit incursurum.

Insuper providere volentes, ne aliqui homines seu milites bini aut trini, vel in aliquo alio numero minus notabili ad magistrum ipsum hostem nostrum undecunque per civitates et oppida regni nostri sensim et furtim penetrent, volumus et mandamus vobis, ut in portis civitatum et oppidorum ac in locis, que fines dominiorum nostrorum et aliorum viciniarum disterminant et claudunt ingressum et exitum cujuslibet ignoti et externi observari et unde quave de causa appulerit, ac de conditione, statu et negotiis ipsius diligenter inquiri faciatis, et si ex precedentibus ullis indiciis quempiam suspectum vel partium esse magistri, aut ad illum proficisci intellexeritis, hunc detineri et ad capitaneum loci deduci faciatis. Facturi pro debito officii vestri et gratia nostra. Datum Thorunii die S. Valenti.

CLX. Sigismundus, Rex Polonie, Michaeli Bragwagen, Consuli Elbingeni, Rotmagistro.

Famate fidelis dilecte. Retulit nobis rev. in Christo pater dnus. Petrus, eps. premisliensis Cod. G.
et regni nostri vicecancellarius, qua fide et studio istic nobis servias et quod civitas ista
nostra

MDXX. nostra elbingensis et ecclesia in Frawenburg est tua cura et circumspectione bene provisa, quominus illi hostis nocere possit. — Commendamus summopere hanc tuam diligentiam, quam facis, volumusque tibi illam gratia nostra regia referre. Hortamur vero te: non intermittas providentiam et curam tuam adhibere, quo hoc turbulento tempore civitas ista nostra sit sub bona et firma custodia. Speramus autem, quod postquam campiductor noster cum exercitu ad istas oras applicuerit, prout jam istuc de mandato nostro recta contendet, hostis non audebit ita libere prout hactenus fecit, vagari et excurrere ad villas et possessiones civitatis elbingensis, tu vero poteris cum eodem campiductore nostro de omnibus, que intelligis nobis et Reipublice expedire, libere conferre, ille vero non negliget exequi et providere de iis, que erunt necessaria. Datum Thorunii.

CLXI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Konarski, Epo. Cracoviensi.

Cod. G. Rev. in Christo pater et dne. colendissime. Omnes ferme dni. consiliarii regni jam dudum discesserunt a Mte. regia, solus dnus. archieps. nobiscum adhuc hic manet qui et Mti. sue regie et nobis omnibus est admodum molestus. Ingerit enim se ad omnes et suo arbitrio cupit, ut omnes dignitates et officia, que vacant, distribuantur in suos vel nepotes vel amicos, et opus est, ut toleremus ejus naturam et mores, cum sit in eo dignitatis gradu, ut non patiatur se ab inferioribus reprehendi vel admoneri. Inter alia autem hoc unum potissimum hic nunc ambit et instat, ut nepos ipsius sit pocillator aut incisor regius, paulo ante vero volebat, illum creari castellanum voinicensem, ubi dominus Jordan eveheretur ad altiorem dignitatis gradum (et consulebat mittendum ad electum Romanorum imperatorem et alios reges christianos peditum subsidium contra Turcos et alios Infideles, quorum impetum regnum nostrum suis humeris suisque propriis viribus assidue sustinet), nunc iterum mutato proposito cupit illum mense regie admoveri. Incertum vero est apud nos, si obtinuerit id quod petit.

Exercitus noster est jam prope Holland et Braunsberg, prope sedem dni. magistri et penetralia terre ipsius et satis strenue ac celeriter omnia facit. Occupavit jam ad hunc diem civitates et oppida decem et tria castra, quorum nomina in scedula presentibus inclusa mitto vre. rev. Dtioni. Cui me et obsequia mea commendo et quam valere felicissime desidero. Datum Thorunii.

CLXII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi etc.

Cod. G. Mgce. domine, dne. et fautor colendissime. Exercitus noster est circa castrum et oppidum Hollandt, nondum tamen illud expugnatur, expectans meliora tormenta a civibus Gedanensibus, quibus quatere possit muros, qui satis debiles ibi esse dicuntur. Equos habunt adhuc

huc nostri milites satis robustos, familia tamen eorum multum est infracta et concussa ni- MDXX.
mio frigore, quod erat diebus preteritis. Venit huc dnus. Joannes Zeroczynski, cum quo tractat Mtas. regia, ut educat huc ex Moravia et Bohemia equites sexcentos bene armatos, et pedites trecentos, verum nimis difficilem se nobis prebet. Cupit enim ut ad primum quartale anni detur ei stipendium in prompta pecunia ad prefatum numerum equitum et peditum, preterea ut floreni solvantur per triginta grossos et pro coquina sibi mille aurei numerentur ultra stipendium. Itaque nescio, quem finem cum eo habebimus, deest enim nervus belli, et nostre contributiones nescio quomodo et quando extradentur. Non vult Mtas. regia hunc morem inducere, ut militibus levis armature in finibus regni collocandis solvi debeat plus quam per sex florenos. Itaque expectabit in hoc vra. Mgcia. informationem a Mte. sua, que nondum declaravit mihi in ea re suam voluntatem propter celerem hujus nuncii discessum.

Literas indemnitatis mittemus, cum significaverit vra. Mgcia. qui erunt rotmagistri et quot quisque eorum equos in servitio est habiturus. Me vestre Mgcie. plurimum commendo et valere illam felicissime desidero. Datum.

CLXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Boner, Zuppario etc.

Generose fidelis dilecte. Etsi scripserimus tibi mandantes, ut quam primum rotas, axes et Cod. G. R.
ladulas ad tormenta majora fieri faceres, quo ad nos e vestigio huc adduci possint, considerantes tamen, quod sine hisce tormentis majoribus exercitus noster non potest arces et civitates munitas sibi obvias occupare, iterum atque iterum mandamus tibi, ut easdem rotas et cetera apparamenta ad ipsa majora tormenta laborari quam citissime facias ex ligno, quale haberi ad presens potest. Que volumus ut laborent omnes artifices, qui sunt Cracovie; provideas vero, ut rote sint crasse et firme ac bene preferrate et similiter axes atque alia id genus necessaria, pondus enim illis grave ferendum erit, et ob hoc opus est, ut ipsa etiam sint firma, solida, robusta et non tenuia. Cum autem necessaria sunt hic nobis decem majora tormenta, hoc est octo Carthone et duo Notsslange, volumus, ut illa nobis apparari facias et ad diem dominicum ante Carnisprivium proximum huc omnino transmittas vel ocius si fieri potest. Et si fecisti in aliqua re nostra curam et diligentem operam tuam, volumus, ut eam in mittendis huc nobis dictis tormentis majoribus impendas, nam sine illis omnis nostra bellica actio est debilis ac manca. Interim autem vectores tempestive ordines et conducas, nam circiter ducenti equi erunt necessarii, qui vehant tormenta predicta et pulveres; funes etiam majores et crassos, quos lini vocant, parari ad minus quatuor facias, nam et hi quoque erunt necessarii. Pulveres incendiarii, cura, ut sine intermissione fiant, quos volumus, ut cum tormentis huc transmittas, in quibus quidem tormentis transmittendis ut diximus accelerare omnio debes, dum iter est bonum et durum et ad vehenda tanta pondera satis aptum; nam si resolutiones nivium incident, cum maxima difficultate poterint huc traduci. Opus autem erit, ut cum his tormentis et pul-

MDXX. veribus mittas aliquem hominem discretum, qui vectores gubernet et expensis provideat, qui etiam itinera et pontes presens perspiciat, antequam tormenta per illos ducantur. Et ne idem famulus et homo tuus habeat difficultatem cum vectoribus, convenias cum eis istic et constituas tam de pretio quam etiam de diario equorum et quantum avene illis in itinere dari debeat et de omnibus his facito nos postea certiores.

Admiserunt nobis consiliarii nostri propter presentes Reipublice necessitates, ut centum milia marcarum argenti in monetam excudere possimus. Volumus itaque, ut tacite, nihil cuipiam de hac re adhuc dicendo, provideas de argento, ut quam celerius fieri possit, monetam ipsam inchoare valeamus.

Scribimus generoso Achacio Jordan, theloneatori nostro cracoviensi, ut pecuniam, quamcunque habet ex theloneis nostris collectam, tibi consignet, quam bene conserves usque ad informationem nostram.

Ceterum significatum est nobis ab autore satis idoneo et insigni: fratres dni. magistri nonnullos equites et pedites conducere in Germania, quas ducere vellent contra nos et terras nostras Prussie. Volumus et mandamus tibi: facias operam, ut de hac re intelligere possis, et an hec gentes congregantur et qua via penetrare huc vellent diligenter perquiri facias. Pro gratia nostra. Dat. Thorunii.

CLXIV. A. Cricius. P. Tomicio, Epo. Avunculo.

Cod. G. R. Rme. in Christo pater etc. Reddite sunt mihi hodie litere vre. rme. Dtionis., quas cum magno dolore legi, intelligens, illam preter spem, quam ex dno. Nicolao et eo quod pro responso scripserat optimam conceperam, nondum ab egritudine sua levatam. Ego si id compertum habere potuissem, dudum me ad illam, etiam relictis his hymeneis recepissem, utcumque nesciam, quid istic aliud prestare deberem, quam officium scribendi, quod puto alii pro arbitrio suo dirigunt et parcitur egritudini vre. rme. Dtionis. Utcunque est, intersit aliquid istic mea nec ne, cum ita mandet, die Martis proximo, Deo bene juvante, hinc posthabitis omnibus negotiis evolabo. Cujus interim gratie me et servitia mea perpetua commendo. Posnanie die S. Mathie, apostoli.

CLXV. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Bonero, Zuppario etc. Cracoviensi.

Cod. G. R. Generose fidelis dilecte. Hodie rediit ad nos Vilkoczki, cubicularius noster, et literas tuas nobis reddidit, ex quibus solitam tuam in negotiis nostris curam et diligentiam cognovimus, que nobis est admodum grata. Quia vero hec ad presens est summa sollicitudo nostra, ut tormenta majora hic habeamus, volumus: impendas omnem operam tuam, ut ea quam celerrime huc transmittas, si possunt vehi in vehiculis, bene quidem, sin autem via vehicularis istic destructa est, fac ut vehantur in rotis ut fieri potest. Nos vero hic interim

rotas

rotas alias crassas et axes fieri faciemus. Magistros bombardarum, pulveres bombarda- MDXX.
rios, funes magnos, fabrum lignarium cum eisdem tormentis mittas, ut alias tibi scripsimus, et quamvis funes magni hic bene laborari ac fieri poterunt, opus tamen est, ut tu etiam istinc aliquos mittas, cum in itinere semper erunt necessarii; foramina, per que pulveres immittuntur in tormenta, que vulgo prochownie vocantur, fac ut serris bonis occludi facias, ne in itinere hominum malignitate in illa aliquid immittatur, quod nocumentum afferre posthac posset, et quanto celerius potes, ut diximus, eadem ipsa tormenta bene apparata huc transmittas, et aliter non facias.

Oratores summi pontificis, de quibus scribit rmus. dnus. epus. plocensis, quam primum isthuc applicuerint, fac ut honorifice exceptos in hospitio honesto et decenti collocari facias eisque de omnibus necessariis provideas, et cum aliquot dies istic quieverint, ad nos huc venire illos permittas, cum quibus volumus ut vadat venerabilis Jacobus Staszkowski, secretarius noster, tu vero des illi pecuniam necessariam, qua illos per totum iter cum eorum familia et equis expensis honeste provideat. Equum enim est, ut ob reverentiam sedis apostolice bene ubique et honeste in regnis et dominiis nostris tractentur.

Quod scribis de moneta, quod ex literis nostris intelligere non potuisti, ubi et in quo gradu ac valore cudi debeat, scias, quod permissum est nobis cudere monetam et in regno et his in terris Prussie, nondum quidem est diffinitum, qualis moneta et cujus valoris hic cudi debeat, verum in regno et istic Cracovie cudi debent medii grossi sub eo valore et grano, quo prius. Quare jam cogites et operam facias, ut argentum habere possemus et quomodo ac quam cito eadem ipsa moneta inchoanda sit et unde habituri simus argentum, nobis sententiam tuam perscribas. Exercitus noster est jam prope Castrum Hollandt et his diebus cepit iterum tres civitates magistri videlicet: Morung, Libemoel et Libstatt, nec moram facit ullam, sed longe lateque vastant terram hostilem; altissime tamen nives et nimia frigora illum aliquantulum retardant atque impediunt. Dat. Thorunii.

CLXVI. De estimatione monete.

Moneta est aurum vel argentum signatum, qua pretia emptibilium vendibiliumque rerum numerantur, secundum cujusvis reipublice institutum vel gubernantis ipsam. Est igitur mensura quedam estimationum. Oportet autem mensuram firmum semper ac statum servare modum, alioquin necesse esset confundi ordinationem reipublice, ementes et vendentes multipliciter defraudari, quemadmodum si ulna, modius pondusve quantitatem certam non servet. Hanc ergo mensuram, estimationem puto ipsius monete, que etsi in bonitate materie fundetur, oportet tamen valorem ab estimatione discernere; potest enim pluris estimari moneta, quam ejus, qua constat materia, et e converso. Causa vero constitutionis monete necessaria est; quamvis enim auri et argenti solo pondere rerum commutatio fieri posset, ex quo communi hominum consensu aurum et argentum ubique in pretio habeatur, sed propter multam incommoditatem afferendorum semper ponderum, quodque non statim auri et argenti sinceritas deprehenderetur ab hominibus, institutum est, publico sigillo monetam signari, quo significetur, justam auri vel argenti partem in-

Ex cod. mss. bibl. Ossol.

esse

MDXX. *esse et fidei auctoritas adhibeatur. Justa autem et equa monete estimatio est, quando paululo minus auri vel argenti continet, quam pro ipsa ematur, utpote quantum pro expensis duntaxat monetariorum oportuerit deduci. Debet enim signum aliquam materie addere dignitatem.*

Potest hec tribus modis depravari: vel propter defectum materie solum, quando sub eodem pondere monete plus quam oportet es commiscetur argento, vel propter defectum ponderis quamvis justam habeat eris et argenti mixtionem, vel, quod pejus, propter utrumque simul. Potest etiam propter immoderatam multitudinem moneta vilescere, si tantum argenti in monetam redigitur, donec argenti massa magis ab hominibus desideretur, perit nempe hoc modo dignitas monete, quando per ipsam tantum argenti emere mihi non licet, quantum ipsa pecunia continet, sentiamque tunc majorem profectum eliquando argentum in monete destructione. Remedium est non amplius monetam cudere, donec se ipsam coequaverit. Vilescit etiam ultro valor monete longo usu detrite, propter quod solum instaurari aut innovari debet, cujus signum est, si argentum in moneta aliquanto minus reperitur, quam pro ipsa emptum. Quotiens ergo nova fieri debet, opere pretium est, antique usum interdicere omnino, et eam inferentes in argentariam officinam recipiant novam, qua argenti quantitas, que in antiqua est, admodum compensetur. Quod si neglectum fuerit, inficiat antiqua nove monete dignitatem duplici ratione. Mixta enim reddet summam a justo pondere deficientem et nimium forsan multiplicatam, sequetur, quod dixi superius. Maximus vero error est et admodum intolerabilis, si dominus, vel apud quem est reipublice gubernatio, ex monete cusione lucrum querat, dum videlicet pre existenti monete materia vel pondere difficiente novam inducit, sub pretextu estimationis antique, fallit enim non subditos solum, sed etiam se ipsum, presenti tantummodo gaudentem lucro, et quidem modico, non aliter quam parcus seminator, qui mala semina mittit, ut servet bona, metet itidem, que seminavit. Infestat malum hoc estimationem monete perinde ac rubigo frumenta, quod postquam invaluerit fueritque jam sero deprehensum, non facile amovebit dnus. sine subditorum altero gravamine, neque honeste satis, utpote, cujus causam prestiterit ipse.

Exemplificatio nunc de moneta patrie Prussie multis viciis hactenus obnoxia. Transit autem sub nominibus marcarum, scotorum etc. *et sunt sub iisdem nominibus etiam pondera:* marca *ponderis est libra et scoti III faciunt unciam, marca autem numeri constat solidis LX. Verum ne equivocatio obscuritatem pariat in iis, que in sequentibus dicam, ubicunque marca dicitur, numerum intelligi volo, pro pondere vero* libram *nominabo, quemadmodum marcarum II constituunt ipsam. Pecunia igitur, qua modo utimur, ex* solidis, grossis *et* denariis, *constat. Invenio autem ea numismata, que nunc* grossi *vocantur, aliquando* solidos *fuisse, et marcas VIII habuisse libram I purissimi argenti, quod etiam ex ipsorum compositione deprehenditur, constant enim ex dimidio eris et argenti et eorum marc. VIII per LX pendunt prope libr. II et hos vocabant* novos solidos *et eorum* novas marcas *sive* bonas. *Erant enim et alii* antiqui solidi *et eorum* marca antiqua *sive* levis, *pondere quidem pares illis, valore autem ex dimidio. Erat in iis quarta pars duntaxat argenti et marc. XVI libr. argenti continebant, pendentes quadruplum.— Deinde mutato statu patrie, cum civitatibus esset cudendi monetam concessa potestas et ipse novum exequerentur privilegium, crevit pecunia multitudine non autem bonitate, cepitque IIII partibus eris quinta argenti misci, donec pro marc. XX libra argenti purissimi emeretur. Manente autem adhuc antiqua partim moneta, novi illi* solidi *facti sunt* scoti, *ut XXIIII pro marc.*

levi

levi computarentur; erat enim tunc marca I solidorum *non multo melior quam illi XXIIII;* MDXX.
postea vero quum evanescerent illi novi solidi *jam* scoti *facti eo, quod etiam per Marchiam et Pomeraniam accepti essent, placuit eos* grossorum *estimatione revocare hoc est sub lb. III maximo errore et tanto procerum consilio prorsus indigno, quasi propriis malis gaudentium, quod scilicet Prussia non posset esse sine illis, quamvis non essent meliores lb. XV et absque his moneta erat plus quam sufficiens. Dissidebant ergo* grossi *et* solidi *in quinta vel sexta parte minus valentes, estimatione tamen fallaci pares detrahebant dignitati* solidorum, *bonitatem eorum sibi mentientes et promiscue pecunie estimationem cum bonitate confundentes. Decrescebat ergo in dies magis ac magis estimatio pecunie, placuit tamen a fabricatione monete plane non cessare, et cum expense non sufficerent et equivalens priori cuderetur, facta est semper, quod estimationi continue labanti vix satisfecit. Itaque posterior et pejor semper priori inducta estimationem precedentis oppressit et extrusit, donec estimatio* solidorum *et* grossorum *valor coequaretur; et* marc. *XXIIII* leves *pro libra cedant argenti; necdum cessatur usque in presens. Quam etiam post equatam jam fere estimationem cum grossis, novi jam etiam grossi succedunt, pondere saltem deficientes; nam marc. XXVI libr. II pendentes libr. I argenti habent. Quid restat, nisi ut proxime marc. XXVI libra argenti ematur, nisi interim succursum fuerit. Tantis ergo vitiis laborat prussiana moneta et per eam tota patria, soli aurifices ejus erumnis fruuntur; colligunt enim ex promiscua pecunia antiquam, ex qua eliquatum argentum vendant plus semper argenti cum moneta recipientes ab imperito vulgo. Et postquam antiqui illi solidi jam penitus evanuerunt, eliguntur proxime sequentes tanquam ex avenis triticum. Utinam reformentur hec, dum tempus est, ante ruinam majorem, ut saltem ad XX marc. libra argenti restitueretur et retineretur in futurum per artem supradictam. Subjiciam ergo etiam hujus reductionis exemplar. Primum est, ut unus duntaxat locus cusioni monetarie deputetur, ubi non civitatis nomine unius vel sub ejus insigniis, sed totius patrie et quatenus sine optimatum terre ac civitatum decreto non fiat deinceps nova moneta, decreto autem inviolabili, ne ultra XX marc. fiant ex argenti purissimi libra. Hoc nempe modo sub* solidis *sumantur eris libr. III argenti puri libr. I minus uncia vel quantum necesse fuerit pro expensis duntaxat detrahendis, confletur massa, ex qua marc. XX fiant, que in emptione valebunt argenti libr. I. Fiant etiam* scoti *ex eris libr. II et unc:* XIIII *argenti pro marc. XX per XXIIII. Sed magis forsan conveniret, si pro* solidis semisolidi *formarentur ad predictam rationem, ut essent V pro VI et* semisolidi *pro* IIII *remanentibus commutarentur. Cum autem incepta fuerit hec monetatio, interdicatur usus antique, et in monetaria pro marc. XIII antique reddantur X nove sive solidorum sive grossorum. Oportebit enim hoc damnum semel pati, ut multa inde bona sequantur, et constans utilitas et in XXV vel pluribus annis semel renovasse monetam satis sit.*

Et hec de moneta sufficiat, que meliori judicio examinanda relinquo, quemadmodum cum tempore novi semper casus sese offerunt.

CLXVII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, J. Konarski, Epo. Cracoviensi.

MDXX. Cod. G. Rev. in Christo pater et dne., dne. colendissime. Dnus. archieps. manet adhuc hic nobiscum et forte usque ad Quadragesimam est mansurus, curat enim impetrare officia vacantia per mortem dni. olim Chroberski pro suis nepotibus et consanguineis.

Exercitus regius est circa castrum et oppidum Hollandt, nondum tamen illud oppugnat eo quod tormenta, que cives Gedanenses miserunt, non visa sunt satis apta ad demoliendos muros. Itaque missum est pro aliis, interim vero excursiones fiunt in omnes partes et aqua est oppido intercepta, sine qua diu homines sustinere eam incolentes non possunt.

Dnus. magister est in civitate Braunsberg, quam mirabiliter brevi tempore munivit, sacerdotes, monachos et omnem clerum ex ea expulit, ecclesias omnes clausit, consules in Montem regium abduxit, fluvium Passariam per totam planitiem, que est circum civitatem diffudit, salices et alias arbores, que ibi erant, incidi mandavit, civibus accepit claves ad portas, ad pretorium, et in quolibet domo duos, tres pedites collocavit, adeoque nunc structuris, tormentis, machinis, presidiis civitatem illam firmavit, ut sine magno periculo expugnari non possit, nullas tamen habet gentes externas, et cum suis domesticis nescio, quomodo tanto exercitui nostro resistere possit. Nos speramus in domino Deo, quod ea, que felici omine cepta sunt, brevi in finem optatum perducentur. Me vre. rev. Dtioni. et mea obsequia commendo, quam dnus. Deus diu sanam et felicem conservet in sua gratia. Datum etc. —

CLXVIII. Leo, Papa Decimus, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. Charissime in Christo fili salutem et apostolicam benedictionem. Scribi non potest, quanto nos dolore affecerunt Sertis. tue litere belli jam abs te, ut cernimus, decreti contra nepotem tuum, magistrum Prussie, causas numerantes; quas causas cum nos legeremus, etsi alicujus momenti esse iudicabamus ad animum non iniusta ira promovendum, tamen ut frangere deberent invicti regis constantiam et summam apud omnes omnibus jam modis cognitam pietatem, nullo modo assentiebamur. Itaque nihil unquam nobis preter spem accidit, quam regem illum nostrum, qui semper animo nostro charissimus fuisset, quem in omni laude pietatis et vere fortitudinis reputavimus primum, tales ad nos literas mittere, conquestiones forsitan, expostulationes aliquas, iracundie motus, petitiones a nobis, ut operam interponeremus autoritatemque, quominus ad hec tanta mala devenire necesse est expectare potuimus, bellum autem et arma tumultumque Christianitatis, effusionemque pii sanguinis, hoc presertim tempore pleno suspicionum ac periculi, ab uno precipue te, o fili charissime, ut expectaremus, nunquam animum induximus. Nostra ergo illa tacita cogitatio, qua in multis pro Republica susceptis curis utebamur, quum christiane paci belloque

in

in impios Turcas dies noctesque intenderemus, quonam abierit? Quum ita nos solaremur, MDXX.
adesse nobis fortissimum et prestantissimum regem ad omnia consilia paratum, qua quidem cum Deo et cum religione conjuncta essent, hec, inquam, nostra prope unica consolatio repentene adeo erepta nobis et prorsus pessundata est? et unde nostris perpetuis laboribus subsidium speravimus, inde principia turbationum oriantur, quamquam preter Dei omnipotentis causam, cuius fides sanctissima his discordiis in periculum ac discrimen adducitur, preter humanas necessitudines ruptas. Ille enim nepos tuus certe est iniquus fortasse et irreverens adversum te tanquam parentem alterum, aut certe cuius tu inanem insolentiam paterna indulgentia frangere et tanquam celsus et magnanimus rex ne iniuriam quidem ab eo ullam armatus agnoscere deberes, presertim quum intelligant cuncti, quantum tibi ille impar sit cum existimatione tum opibus, te vero prudentissimum regem non lateat in huiusmodi contentionibus, eos qui plus multo sine controversia possunt, videri non iure uti, sed viribus. — Sed tamen preter divinas humanasque rationes, que Sertem. tuam ab hoc bello dehortantur, quid nos, quorum nil te amori benivolentie charitati studium nullum par est, parumne digni sumus, quorum honoris ratio ab te habeatur? Nos enim cum maximo labore nostro pacis universalis fundamenta iecimus, nos inducias quinquennales indiximus, quas etiam omnibus ecclesiasticis penis censurisque interposita Dei et beatorum eius apostolorum Petri et Pauli auctoritate munivimus, nostra sollicitudine et cura effectum est, ut quorum dissensiones metuebantur ad concordiam conversi sint, qui arma minabantur, hi pacem fuerint amplexi, hinc te nostro — domino adjuvante — preclaro et perfecto operi primum ac solum derogare auctoritatem tantamque nobis ignominiam inferre, profecto nec filii est erga patrem, nec amici erga amantissimum nec christiani regis erga romanum pontificem. Ut si te pene ille — quod absit — a tua christianissima prestantissimaque mente non moveant, movere certe debeat noster amor et illud singulare ac perpetuum, quod semper facimus de tua virtute iudicium, ut nobis potius ceterisque principibus christianis interpretibus, iuri tuo consulere quam excitato per arma tumultu omnia nunc pacis et Christianitatis iura perturbare constituas. Nam quod illius hostile et pertinax inceptum bello ultum ire te cogi testaris, cedat, quesumus, charissime fili, sapientie illi tue, qua semper usus, iracundia, nec eam statue idoneam ultionem, que graviorum malorum causa sit futura, qua veri tui hostes, iidemque Deo tuo infesti, gavisuri sunt, socii et amici in luctu futuri, vel publico christiane Reipublice damno vel tue pristine et glorie detrimento, presertim cum ad illos hostes perpetuos, quos dimittis, nulla tibi concordie pactio unquam esse possit, cum his vero, quos aggrederis, multe intercedunt et sanguinis et fidei et multorum officiorum necessitudines. Salus autem populorum tuorum, qua te moveri scribis, non hoc postulet, ut eos, qui te forsitan lacessere possunt, ledere valde non possunt, opprimendos statuas, sed quorum impius effrenatusque furor et populis tuis et nomini christiano universo exitium meditabitur, eos tua solita virtute domes et retundas. Ac nos literas ad ipsum quoque magistrum misimus in eum sensum, ut graviter nos significemus laturos, si non aliquam honestam et tibi acceptam rationem inierit concordie faciende, nunciisque item apud Sertem. tuam nostris scribimus, quod nos Sertem. tuam per Jesu Christi, salvatoris nostri, nomen obsecramus, ut tamdiu sustinere impetum

MDXX. petum armorum velit, quoad nostra quid proficiat autoritas fuerimus experti. Hec nos scribebamus eo ipso die dominico Februarii XXVI. tempore accepto exaudivi te. Quem nos Deum et dominum nostrum statim supplices deprecati fuimus, ut quo in animo tuo vere regio omnis excelsa virtus domicilium sibi constituisset, in eodem, ipso operante, reiecta omni ira princeps reliquarum virtutum religio et pietas stabilem suam sedem et locum obtineret. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXVI. Februarii.

CLXIX. Leo, Papa Decimus, Alberto, Marchioni Brandeburgensi, Magistro Cruciferorum in Prussia.

Cod. G. R. Dilecte fili, salutem etc. Gravi dolore affecti sumus molestissimo nuncio, quo cognovimus rupta pace, violatis omnibus necessitudinibus, bellum inter te et charissimum filium nostrum, Sigismundum, Polonie regem, aut susceptum jam esse, aut certe decretum, neque vero causam ullam tantis malis adesse justam cernimus, nisi quod eternus humani generis hostis, quo tempore maxime pacis egemus, ut sancta et christiane reipublice salutaria iniri possint consilia, eo potissimum tempore zizaniis jactis bonam dei frugem corrumpere et optimum dei munus, pacem videlicet ac concordiam, cedibus ac tumultu perturbare conatur. Ac nos quidem magna spe concordie inter nos cura sollicitudineque suscepta, nuncios nostros aliquotiens misimus eisque, qui nunc sunt, speciatim mandavimus, ut cognitis utrinque expostulationibus vestris, nos facerent certiores, ut auctoritate nostra vel etiam sententia interposita, tot que partim inciderunt, partim vero evenire possunt, mala sedaremus, quem nostrum laborem frusta fuisse, vosque tam festinato ivisse ad arma, non possumus non graviter ferre, nec vero audemus quicquam decernere, uter vestrum jure aut injuria moveatur. Sed si tua Devotio reprehensionem nostram in bonam partem acceptura est, statuimus tue prudentie magis proprium futurum, si ea arma devitares, quibus par esse non posses, potiusque aliquando aliquid de tuo summo jure decederes, quam nimis constanter, ne pertinaciter dicamus, decretis tuis inherendo, causam ullam preberes totius Christianitatis in tumultum et periculum vocande. Favemus tibi, quantum publico bono possumus, regis quoque illius virtutem et gloriam adamamus, nec vero ulli vestrum sumus autores, ut jus suum deserat, sed ut ratione temporis, periculorum, dei, religionisque habita via ad concordiam aliquam inveniatur, nec qui major est, adhibeat vim, qui inferior contumaciam. Hoc est, quod optamus atque contendimus. Est magnanimitatis, non sibi querere tantum, quantum potest, est prudentie et moderationis, remittere quandoque aliquid de suo. Que laudes si in privatis controversiis magne sunt, quanti sunt estimande, ubi reipublice commodum accesserit, presertim in te, dilecte fili, qui religionem arctius profiteris et sub ejus gloriose virginis nomine, que merito humilitatis super omnes angelorum choros fuit exaltata, credas nobis volumus laudi tibi continuo et deinde etiam utilitati futurum, si moderatione tua factum fuerit, quominus hec tanta inter populos Christi mala exoriantur. Hec nos non sine animi dolore scribimus, nollemus enim ledere cujusque voluntatem

tatem, sed respectus reipublice et nostri officii ratio nos cogit. Quod nisi nobis bene mo- MDXX.
nentibus in armorum causa ejicienda obtemperatum fuerit, preter gravissimas censuras in nostra indictione induciarum appositas, ad alia quoque remedia necessarium erit devenire. Itaque ad ipsum etiam regem efficacius scribimus, sed te, dilecte fili, hortamur plurimum in domino et per ejus religionis, quam pre te fers, nomen honoremque, qui in humilitate et patientia longe est excelsior enixe requirimus, ut adhibere omne studium, curam diligentiamque velis, ad arma ne catur omnisque fomes discordie penitus sopiatur, aut si controversie restant ulle, debita verborum et actionum reverentia erga tantum regem, cujus tu certe nepos es, premissa, ostendas te juri tuo modeste deesse non posse, ab armis vero et cedibus abhorrere. Qua ex moderatione ingentem gloriam apud deum et homines laturus es, quid virtute et sapientia possis, omnibus declaraturus. Sed nos de his ad nuncios nostros latius scribi jussimus, ut agerent tecum, quorum tu orationi fidem habere deoque omnipotenti et nobis, qui te paterna charitate diligimus, te prebere studebis obsequentem. — Datum Rome etc. die XXVI. mensis Februarii.

CLXX. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie, patruo.

Serme. rex, patrue noster charissime. Ex literis Mtis. vre. proxime ad nos datis intellexi- Cod. G. R.
mus prosperum adhuc prussiane expeditionis eventum, fuerat quidem utrique nostrum optabile, ut Mtis. vestre arma et vires alius hostis sensisset, sed cum subditorum injurie et calamitates necessario propulsande fuerunt, rebus a Mte. vestra preclare gestis ex animo gratulamur, quas non minus habemus jucundas, quam si a nobis aut nostro auspicio cepta illa oppida, expugnate arces et in potestatem essent redacte. Nos etsi deo favente non modo reliquum hujus belli cursum, sed etiam exitum optimis initiis parem expectemus, facit tamen Mtas. vra. quod sapientissimus et in re militari exercitatissimus princeps, ita enim presenti fortuna ac felicitate sua gaudet, ut etiam futuris diligentissime prospiciat.

Quod igitur Mtas. vra. voluit, regno nostro Bohemie, marchionatui Moravie, Slesie ac Lusatie ducatibus severe ediximus, ne quis in hanc militiam adversus Mtem. vram. nomen dare aut magistri capere stipendium audeat. Alio item edicto jussimus, ut in his nostris provinciis universi ad ferendum, si res postulet, Mti. vre. auxilium parati et expediti esse debeant. Ultimoque huic edicto nostro adjecimus: ut si que copie contra hujusmodi edicta nostra conscripte et magistri stipendio sive in predictis provinciis nostris sive alibi conducti essent, revocentur et a transitu, adhibita etiam vi, tanquam hostes arceantur. Mandavimus preterea secretis literis fideli nostro mgco. Leoni Rosmitall, pragensi burgrabio, ut Sigismundum Bonarum aliosque, si quos esse adversarum partium cognoverit, quique annuo stipendio obstricti magistro essent, vel pro conducendis militibus illic versarentur, eos tum jurejurando, tum aliis, quibus erit necesse, vinculis in fide atque officio contineat, milites conscribere vetet ac fines regni nostri egredi nequaquam sinat aut patiatur. Scripsimus iisdem de rebus accuratissime Illribus. quoque Saxonie et Bavarie ducibus cla-

MDXX. reque sumus testati sicut regna, provincie, opes facultatesque nostre cum Mte. vra. communes sunt, ita Mtem. vestram, patruum nostrum, quidquid undecunque eveniat in nullo casu nos deserturos. In his itaque aliisque rebus omnibus, quibus Mtas. vestra voluerit, operam nostram, studium, curam, diligentiam, vires denique omnes nullo loco aut tempore sibi defuturas polliceatur ac persuadeat.

Quam valere optamus felicissimam et eidem nos nostraque omnia ut patruo optimo et amantissimo unice commendamus. Datum Bude prima die Martii.

CLXXI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Andree Cricio, Preposito Posnaniensi, Secretario regio.

Cod. G. R. Venerabilis dne. nepos charissime. Nostri milites sunt adhuc circa oppidum Hollandt, nondum tamen illud oppugnant eo quod unum ex tormentis majoribus, que cives Gedanenses miserunt, in quo omnis spes rei bene gerende erat collocata, repertum est fractum. Itaque missum est pro alio, quod muros bene quateret et demoliretur. Interim vero excursiones faciunt equites et pedites usque ad Braunsberg non parcentes etiam villis dni. epi. et capituli Varmiensis. Magister discurrit hinc inde in terris ditionis sue, confortans suos, qui nimium vacillant, eo quod vident illum contra hostes suos progredi non audere, ille vero ut eos retineret in fide, ostentat eis literas fratris sui, domini Casimiri, marchionis, et per omnes districtus publicari jubet, quod idem frater ipsius irrupisset in terras Majoris Polonie cum quatuordecim milibus militum lanceariorum et quatuor milibus equitum armatorum Posnaniamque et alias civitates cepisset et quod propterea rex deserere Prussiam et defendere suos esset coactus. His et aliis fabulis alit suos subditos et confirmat, cum armis et viribus defendere eos non possit. Magnam tamen nihilominus crudelitatem exercet in omnes, quos comprehendere potest, et nuper burgrabium de Melsak captum in itinere quadripartiri et puerum dni. epi. Varmiensis cum literis apprehensum decapitari coram se jussit.

Capitulum ecclesie Cracoviensis noluit dare in mutuum Mti. regie pecuniam universi cleri apud se depositam, nisi capitula aliarum ecclesiarum consentiant. Itaque agatis cum prelatis et canonicis istius Posnaniensis ecclesie, ut in rem tam piam et necessariam prebeant suum consensum. Nam hac pecunia conducere vellet sua Mtas. equites et pedites ex Bohemia et Moravia, qui ei sunt multum necessarii. Bene valere et me diligere non desinatis. Dat. Thorunii.

CLXXII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Ebrehardo Ferber, Consuli et Burgrabio Gedanensi.

Cod. G. Nobilis et strenue dne. amice charissime. — Ab eo tempore, quo castrum et oppidum Hollandt obsidere cepit regius exercitus, nihil intelleximus, quid ibi agatur, bene tamen speramus,

ramus, postquam vos tormenta majora vastatoria illuc misistis, expectamusque in dies le- MDXX.
tam et felicem novitatem. Mtas. regia curat facere supplementum militum suorum et jam conduci fecit ex Bohemia et Moravia mille equites bene armatos et duo milia peditum, de regno vero militum levis armature habebit adhuc Mtas. sua quadringentos equites et Tartaros ex Lithuania ducentos, tormenta etiam majora infra paucos dies huc adducentur et Lithuani ac Moscovite agent strenue ac cordate partes suas. Itaque speramus, quod ea, que felici omine cepta sunt brevi in finem optatum deducentur.

CLXXIII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Conarski, Epo. Cracoviensi.

Rme. in Chr. pater et dne., dne. colendissime. Valde bene fecit vra. rma. Ptas., quod pre- Cod. G.
latos et canonicos ecclesie sue induxerit ad mutuandum regie Mti. id reliquum pecuniarum contributionum nostrarum, nam capitula aliarum ecclesiarum libentissimo animo et sine ulla difficultate consenserunt in hoc ipsum mutuum; considerant enim omnes, quanta necessitas incumbit nunc Mti. sue et Reipublice, ut miratur vehementer, quam a principio capitulum vre. rme. Dtionis. non statim consenserit in rem tam piam et necessariam.

Nostri milites oppugnant adhuc castrum et oppidum Hollant, expugnare tamen illud et capere non possunt eo, quod non habent tormenta magna vastatoria, nam que huc nuper istinc adducta sunt, nondum sunt illic transmissa, nec mitti poterunt, priusquam veniant huc gentes armate, que illa secure deducant ad exercitum.

Hodie venerunt huc oratores summi pontificis, quorum mores descripsit mihi dnus. Staszkowski ex itinere, exceptique sunt satis honorifice, ut apud nos omnes oratores solent, et tractabuntur humaniter, modo sciant et velint nobis esse utiles. Sunt hic ad presens oratores vojevode Valachorum et imperatoris Tartarorum, cum quibus tractatur de pace. Me vre. rme. Dtioni. et mea obsequia plurimum commendo, que sit incolumis et semper felix. Dat. Thorunii.

CLXXIV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius,[1] Andree Crziczki, Ppto. Posnaniensi.

Venerabilis dne. nepos charissime. Satis tempestive attulit mihi dnus. Zielinski, servitor Cod. G.
dni. Latalski literas vestras cum responso dando nunciis summi pontificis, quod ego tunc cum pro illo ad vos scripsi putabam me illis dare potuisse nomine regie Mtis., verum aliud Deus et mea fata voluerunt, nam a die agente, quo me dolor dentium et febris invasit, febris ad hunc usque diem non me deseruit, mitius tamen agere jam mecum videtur et spero in domino Deo, quod cura medici et regimine vite debito cito restituar priscine sanitati.

Die

MDXX. Die lune preterito auditi sunt nuncii summi pontificis, quibus dominus archieps. suo more respondit, audio vero, quod nec Mti. regie, nec dnis. satis placuit illius responsum. Non libenter viderem, quod ultra diem dominicum futurum immorari deberetis, satis enim jam superque mansistis inter vestros veteres amicos, bonaque et possessiones prepositure vre. interim bene revidere potuistis. Quare rogo vos, posita omni mora, ad nos redeatis. Ego in hoc duro servitio existens non solum episcopatum meum adire, sed ne unum quidem prediolum circa Cracoviam visere potui sicque hoc saxum volvo, curam possessionum mearum in alios rejiciens, qui alioquin melius sciunt ea gubernare quam ego ipse. Potuissetis sub hoc tempore, quo egrotavi, multa tractare cum regia Mte. meo nomine negotiaque multa ejus Mtis. obire, que omnia neglexistis.

Noster exercitus adhuc obsidet castrum et oppidum Hollandt, nec expugnare illud potest priusquam habeat tormenta et machinas murales ad menia demolienda. Magister vero bello ad nauseam usque exsatiatus jam civitatibus et castris suis non satis fidere audet et de transitu in Livoniam, vel, ut aliqui existimant, Moscoviam meditatur. In Kinsberg et aliis ejus civitatibus omnium timor maximus majorque, est adhuc futurus, postquam Lithuani in terram Zambiensem, omnium opulentissimam, irrumpent, id quod brevi facere debent. Masovite agunt jam egregie partes suas et nuper ceperunt oppidum et fortalicium Pyssz, arte et natura bene munitum, in quo multum prede acceperunt. De ambitionibus hominum, quos ego diu notavi, referetis mihi postquam Deo juvante huc venietis. — Datum Thorunii.

CLXXV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Boner, Zuppario Cracoviensi.

Cod. G. Generose dne. amice et fautor honorande. Bene fecit vra. Dtio., quod significavit Mti. regie, gentes armate dno. magistro Prussie in Germania conduci aut jam conductas esse, providebit enim Mtas. sua interim hec sciens, ut plures etiam milites habeat, regnicolas etiam omnes paratos in armis esse jubebit, ut transitum gentium ex Germania in finibus arcere et impedire possint. Oppugnatur adhuc oppidum et castrum Hollandt et frustra cum desint tormenta vastatoria, ea enim que istinc adducta sunt, nondum sunt parata. Sed nec vult Mtas. sua illa mittere ad exercitum suum priusquam equites et pedites, qui postremo suscepti sunt huc appulerint.

Affectus fui diebus preteritis gravi dentium dolore cum febricola; jam vero et cruciatus dentilis cessavit et febricula mitius in dies mecum agere videtur speroque in dno. Deo, quod brevi pristine restituar sanitati.

CLXXVI. PETRUS

CLXXVI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, etc.

Mgce. dne., amice et fautor honorande. Respondet Mtas. regia vre. Mgcie. ad ea, que illi scripsit et ideo mihi repetere illa non est necesse. Exercitus noster strenue et alacriter vastat terram hostilem et castra, civitates ac oppida in potestatem regie Mtis. redegit, nunc vero oppugnat castrum Hollandt. Ad quod cum accessissent prime illius cohortes, dnus. magister eduxit nonnullas copias suas illinc et invasit eas cohortes, sed ab eis ignominiose est pulsus et fugatus usque ad portas oppidi. Dnus. palatinus Sandomiriensis induxit in animum suum non discedere ab eodem ipso castro et oppido, nisi illud prius expugnet, vel ad deditionem compellat, nam ex eo multa damna inferri possent subditis Mtis. regie. MDXX. Cod. G.

Subditi episcopatus Varmiensis plus sunt propensi in partes domini magistri quam nostras; verum ipse dnus. eps. adhuc satis constans in fide esse videtur, itaque milites nostri nesciunt, quomodo se erga eosdem subditos gerere debeant. Jure quidem et merito pro hostibus habendi essent, sed e diverso licere non videtur irritare dominum epum. et ejus capitulum, nec aliquid hostile contra illorum subditos agere, nisi cum illorum scientia et consensu.

Si haberent nostri tormenta magna vastatoria, facili negotio possent castra et oppida quecunque obvia capere. Ceperunt tamen ad hoc tempus hec castra, civitates et oppida, que in scedula presentibus inclusa sunt descripta. Me vestre Mgcie. plurimum commendo. — Dat. etc. —

CLXXVII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Rme. in Christo et dne. major honorande. Literas rme. Ptis. vestre, quibus et suam et suorum atque ecclesie Varmiensis conditionem et calamitatem deplorat, nuper accepi easque non modo privatim, verum etiam astantibus multis consiliariis, regie Mti. perlegi. Sua Mtas. tametsi presentium rerum statum ita ut decet satis gravi animo ferre videatur, tamen cum intelligat, vram. rmam. Ptem. ea prudentia eaque fide esse et fore, ut conditionem bellorum et motuum consideret, non dubitat, illam minime mirari, si in ditione sua et ecclesie sue aliquid detrimenti et incommodi patiatur. In ea enim necessitate temporum aliter fieri non potest, quin vicissim et hostis a nobis et nos vicissim ab hoste urgeamur. Utcunque tamen res ceciderit, hoc est, sive Mtas. sua vi et armis hostem debellaverit sive eum ad officium coëgerit, id rmam. Ptem. vram. solari debet, quod sua Mtas. in hoc est, ut omnia damna, quecunque in hoc bello ab hoste rma. vra. Dtio. acceperit, eidem resarcire velit. Quod autem vra. rma. Ptas. deliberat, an in ea causa ad pontificem maximum confugiendum esset, id ego nullo modo adhuc censeo faciendum. Non enim satis decorum esset, cum ejus Mtas. tam instructum tamque firmum exercitum habeat, rmam. Ptem. ves- Cod. G.

 tram

MDXX. tram aliunde consilia vel auxilia suis rebus quereret, quinimo rma. Dtio. vestra sit bono animo neque spe dejiciatur, cum res Mtis. regie ubique secunde adversariorum vero adverse sint. Est pene in conspectu rme. Ptis. vestre exercitus regius, qui tametsi ad hunc hostem debellandum per se sufficit, aderunt tamen brevi ex Bohemia et Moravia conducti mercede tam equitum quam peditum copie, quibus non modo proditione amissa recuperabuntur, sed etiam reliqua omnia, si Deus volet, occupabuntur.

Machine bellice ad menia demolienda nuper Cracovia huc adducte sunt. Ex Germania quominus aliquid auxiliarium copiarum, quas dnus. magister jactare solet, huc penetrare possit, a regia Mte. est diligentissime provisum.. Reliqua omnia sunt ejusmodi, ut preter anni tempus nihil aliud nostros remorari possit, quin hostem undique premant. Ego hoc tempore adversa valetudine non nihil concussus sum, dolor dentium simul et febricula me urgent, tamen quidquid dignitati et commodis rme. Ptis. vre. conducibile arbitrabor, dabo operam, ut id, quam diligentissime perficiam. Cui me unice commendo. Dat. Thorunii.

CLXXVIII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Boner, Burgrabio etc.

Cod. G. R. Generose domine fautor et amice honorande. Jam pedites non pauci huc appulerunt, equites vero adhuc non adsunt, quo fit, ut retardetur missio tormentorum et machinarum majorum ad exercitum, sine quibus Hollandt nequaquam capi poterit, et jam certe satis multe occasiones rei bene gerende sunt neglecte per tam diuturnam obsidionem Hollandt.

Illustres principes Fridericus et Georgius, duces Saxonie, ac etiam Joachimus, marchio brandeburgensis, rescripserunt Mti. regie, se plurimum dolere, inter illam et magistrum Prussie ad arma ventum esse, velleque propterea se mittere ad Mtem. suam suos insignes oratores, qui hoc bellum sistant et controversiam omnem bonis ac honestis modis componant. Ego jam melius in dies valere incipio videorque jam a febre quasi mundus et liberatus esse, superest tamen adhuc lassitudo quedam et totius corporis debilitas, sed et hec, spero in dno. deo, cito abibit. Me vre. Dtioni. plurimum commendo et valere illam felicissime desidero.

CLXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Bone Sfortie, Regine conjugi.

Cod. G. R. Serma. princeps. Magnas agimus et habemus gratias vre. Mti., quod nos literis et nunciis suis frequenter invisere non pretermittit deque sua et communis filie nostre valetudine reddit nos certiores, de qua jucundissimum est nobis semper audire. Retinuimus ad hoc tempus hunc cubicularium vre. Mtis. volentes illi per eum significare aliquos letos successus nostri exercitus, qui tamen hactenus castrum et oppidum Hollandt capere non potuit propter defectum tormentorum et machinarum majorum, quibus muri demoliri solent, brevi tamen illas hinc mittimus speramusque omnia nobis feliciter cessura.

Ad

Ad preposituram vojnicensem, que vacavit per mortem olim doctoris Michaelis Parisiensis MDXX.
et quam dari petebat Mtas. vra. capellano suo, institutus est jam venerabilis Andreas Kostka, phisicus noster. Impetraverat enim illi a nobis Mtas. vra. gratiam de primo sacerdotio jurispatronatus nostri ubicumque in diocesi cracoviensi vacaturo. Vigore cujus gratie ille dictam preposituram acceptavit et proinde capellanus vestre Mtis. expectabit aliam vacationem. Nos gratia dei bene ac recte hic valemus et ut quoque vestra Mtas. prospera semper ac inoffensa utatur valetudine magnopere desideramus. Cujus mutuo ac individuo amori nos commendamus. Datum Thorunii.

CLXXX. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo Ciolek, Epo. Plocensi, Oratori apud sedem apostolicam.

Rme. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Non ignorat vra. Ptas., quas molestias et in- Cod. G. R.
jurias nobis magister Prussie semper exhibere consuevit premendo multifariam subditos nostros, ut illos ad defectionem cogeret, utque toto tempore delectus faciebat, arma, pontes, tormenta ac alia belli instrumenta parabat, subsidia sibi ubique contra nos parabat, que omnia cum tanta patientia, quanta vix ullus monarcha posset, ferebamus, nolentes arma nostra a negotio cum Infidelibus divertere et ea in Christianum et consanguineum stringere, morem etiam gerentes sedi apostolice, ad cujus postulata per biennium inducias pacis medio fratris Nicolai Schombergi cum ipso magistro susceperamus causa generalis expeditionis, etiam illa non sequente res eo processit, ut ille abusus patientia nostra suique debiti sueque professionis ac etiam vinculi sanguinis immemor existens et dispositis libere suis rebus omnibus, conspiravit adversum nos cum nostris hostibus, Tartaris et Moscis, quorum nuncios semper apud se habuit et nunc habet. Eduxeratque e Germania, ut Pti. vestre ante scripsimus magnam vim militum lancearіorum et interim, cum illi adventarent, multas clades per predones subditis nostris intulit et preter infinita alia elbingenses cives aliquot insignes capi et truncatis manibus et pedibus exanimes ad civitatem reduci procuravit, sollicitavit subditos nostros ad defectionem et transitum sibi cum exercitu prestandum, ipseque in procinctu fuit omni apparatu bellico nos ex improviso adoriendi, quibus rebus ingenti motu ac trepidatione in terris nostris Prussie facta jamque aliquibus valde nutantibus coacti sumus hoc tempore incommodissimo cum apparatu bellico huc venire et subditos nostros tueri, persistente adhuc illo in sua pertinacia et nobis juri et subditis nostris deesse nolentibus, ventum est ad bellum.

Jamque misimus exercitum nostrum in terram ipsius magistri, qui eam longe lateque devastavit et tres arces et novem oppida et civitates illius cepit, nuncque oppugnat arcem et civitatem Hollandt, extra quam eduxerat nuper magister nonnullas suas copias, quas satis modicas habet, et terga dare est coactus fugatusque est usque ad portas oppidi, quo ab exercitu nostro brevi, juvante deo, expugnato, conferet se idem exercitus ad recipiendum Braunsberg, quam ipse magister dolo et proditione illorum civium die circumcisionis

MDXX. nis domini intercepit. Ita fere omnes subditi eptus. varmiensis ad defectionem sunt propensi, qui si constantiores in fide esse noluerint, habebuntur a nostris pro hostibus et vastabuntur.

In summa statuimus hunc ordinem non solum nobis, sed toti rei christiane noxium jam continuo bello premendum et exterminandum, cum intelligimus, nos aliter nunquam pacem habituros. Quod Pti. vestre significamus, volumusque, ut tam coram summo pontifice, quam omnibus cardinalibus hec, uti poterit, facinora magistri amplificando et nostram patientiam et injuriam manifestando declaret, et quanta hec sit pernicies rei christiane futura inculcet, quod ordo hic ex sua professione non modo non pugnat ipse contra Infideles, sed cum illis conspirans nos impedit et distrahit ab hoc negotio, quod solis humeris nostris et continuo sanguine sustinemus. Repetas illis, quante clades erant olim illate cum aliis regnis christianis, tum Italie et urbi Rome per gentes ex Scythia et Sarmatia prorumpentes, et id, ne adhuc accidat, nos illos arcentes nunquam a bello et summo labore et angustia vacui sumus. Et proinde agat omni studio et industria, ut magistrum et ordinem hunc ad invidiam et causam nostram justissimam in gratiam istic summi pontificis et omnium insinuet favoremque illorum nobis in hoc eventu conciliet, qui magis ex usu sumus et esse poterimus semper romane sedi, quam decem isti ordines, qui alioquin nihil pro illa vel religione unquam agunt.

Reliqua id genus prudentie vestre Ptis. committimus, ut quanto melius potest super hac re declamet et favorem nobis comparet, ut absque ullo impedimento possemus hunc omnium malorum nostrorum fontem extinguere. Et bene valeat vra. Paternitas. Datum Thorunii.

CLXXXI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Nicolao Radivilo, Palat. Vilnensi, Cancellario Magni Ducatus Lithuanie.

Cod. G. Mgce. dne., dne. et amice honorande. Doleo plurimum, concordiam inter vram. Mgciam. et dnum. palatinum trocensem factam non esse, quam certe amore Reipublice et boni communis istius Magni duc. Lithuanie libenti animo viderem. Intelligo enim, quantum obsit discordia vrarum. Dtionum. felici et tranquillo statui ejusdem Mg. ducatus. Cum autem nesciam, qua infelicitate fieri non potuit eadem concordia, rogo plurimum vram. Mgciam. semotis privatis quibuscunque simultatibus, quod hactenus semper fecit, consulere atque agere velit id, quod intelligit cedere ad decus, ornamentum et commodum Reipublice.

Mtas. regia diu multumque dissimulavit varias injurias, quas Illris. dnus. magister Prussie illi et subditis illius inferre consuevit, de quibus et benigne admonitiones Mtis. sue nihil valuerunt, et ea ipsa patientia et dissimultatio illius profecit, ut ipse magister conjuratione adversus suam Mtem. facta cum ejus immo totius rei christiane hostibus, Moscis et Tartaris, eduxerit magnam militum vim ex Germania, domi etiam delectu facto, jam in procinctu fuit Mtem. suam inopinantem aggredi, et magnam illi cladem intulisset, nisi ipsa rebus suis propere consuluisset, sollicitante tamen illo subditos Mtis. sue ad defectionem

et

et transitum sibi cum exercitu prestandum, obtruncari crudeliter procurante cives, subditos Mtis. sue, quos nancisci potuit, et gravi perturbatione inde in his terris Prussie facta, coacta est Mtas. sua huc cum exercitu venire et subditos ac dignitatem suam armis tueri invito certe animo, nondum cum ullo christiano principe bellum experta, et negotio cum Infidelibus et Scysmaticis intermisso, moxque post sacra natalis domini preterita, misit Mtas. sua exercitum et gentes suas in terram dicti domini magistri, qui illam longe lateque ferro et igne vastavit, et nonnulla castra civitatesque et oppida cepit, que ex scedula presentibus inclusa vestra Mgcia. cognoscet. Nunc vero oppugnat idem exercitus castrum et oppidum Hollandt, ex quo multa damna fieri solebant subditis Mtis. regie, speramusque in dno. Deo, quod ea, que felici omine cepta sunt, brevi bonis auspiciis in finem optatum perducentur, nam Mtas. regia habet gentem electam et bene armis instructam, magister vero nullos milites externos habet, nec habere ad presens potest, et cum suis domesticis tanto exercitui Mtis. regie nequaquam resistere poterit. Me vre. Mgcie. plurimum commendo et valere illam felicissime desidero. Datum Thorunii. MDXX.

CLXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Bone Sphortie, Regine, conjugi.

Serma. princeps et dna. Mittimus ad invisendam valetudinem Mtis. vestre nunc nunciium, quam plurimum rogamus, ut nos de illa facere velit certiores. Sciatque, quod in expeditione tormentorum nostrorum ad terram hostilem commiseramus prefectis cohortis illius, ut oppidum Quidzin cum arce et ecclesia munitissima et que sedes est episcopatus pomesaniensis — fuitque magno impedimento in his terris nostris, utpote qua iter erat nostris hominibus ad exercitum et alia loca ditionis nostre — primum adorirentur et de ipsis tormentis periculum facerent. Quo ubi applicuerunt inveneruntque reluctantes et defendentes se acriter oppidanos et nobiles illic collocatos, eos uno die vi tormentorum expugnarunt et ceperunt. Unde non dubitamus et reliquas arces et civitates tormentis ipsis expugnatum iri. Nos amori Mtis. vre. ex animo commendamus, que sit felix et incolumis. — Datum Thorunii. Cod. G. R.

CLXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Boner, Burgrabio, Zuppario et Mg. procuratori Cracoviensi.

Generose fidelis dilecte. Mittentes hic tormenta nostra majora ad exercitum nostrum, qui est in obsidione castri et oppidi Hollandt, commiseramus prefectis copiarum nostrarum, quas cum eisdem tormentis misimus, ut circa Quidzin, oppidum epi. pomesaniensis aliquantulum subsisterent et si illud capere possent, tentarent. Qui sequuti mandata nostra accedentes ad hoc ipsum oppidum Quidzin, uno die illud una cum castro ceperunt. Opti- Cod. G. R.

MDXX. mum autem servitium nobis fecerunt tormenta nostra predicta, globi enim ex eis emissi tres muros penetrabant, qua re tam violenta et alias non visa vi homines perterriti subito se dederunt.

Datus est salvus conductus Job, episcopo pomesaniensi ad regem cum triginta comitibus in Thorun veniendi, intra quem salvum conductum castrum Rysemberg ejusdem epi. liberum erat ab omni oppugnatione et hostilitate militum.

CLXXXIV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Epo. Pomesaniensi.

Cod. G. R. Rme. in Christo pater et dne. amice charissime. Doleo profecto vehementer, illatum esse damnum vre. Pti. ac ecclesie per milites Mtis. regie, idque unquam non libenter vidi, ut res ad hos terminos pervenire debuisset, sed Mtas. regia ut benignus et christianus princeps nunquam, quod scio, bellum hoc affectavit, cujus autem culpa ventum est ad illud, dnus. deus judicabit. Ego libentissime omnem impendam operam, ut vestra Ptas. et ejus bona deinceps non affligantur et ut Mtas. regia illam suo favore complecti dignetur, quem omnibus uberrime solet exhibere, qui animo integro illum habere student. Commendo me vre. Pti., que felix sit et incolumis.

CLXXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Epo. Pomesaniensi.

Cod. G. R Rnde. in Christo pater, nobis sincere dilecte. Reddite sunt nobis litere vestre Ptis., quibus commemorat suam in nos fidem et observantiam. Non ignorat vra. Ptas., quam benigne nos semper erga illam gesserimus cum non vulgari testimonio nostre in eam benivolentie, quamque arcte pacem illam perpetuam in omnibus ejus conditionibus observavimus. Quomodo autem ea ipsa pax ab illis, a quibus debuit, erga nos et subjectos nostros observata fuerit, id toti pene orbi notum esse putamus, nedum Pti. vre., cujus fere in conspectu hec omnia fiebant. Postea vero quoniam tot injuriis lacessiti totque querelis et clamoribus subjectorum nostrorum permoti exercitum nostrum ad arcendam vim et injurias propulsandas isthuc misissemus, erat ei iter per ditionem Ptis. vestre, quo in tempore, si ipsa amico et non hostili animo se erga nostros gessisset, provisum fuisset a prefecto copiarum nostrarum, ne quam jacturam ecclesie sue passe fuissent; nunc si par pari relatum est, sibi ipsi imputet Ptas. vra. et non nobis, qui, quominus quicquam atrox aut sevum faceremus, semper studiose cavimus. Quod vero ad violationem ecclesiarum attinet, sciat Ptas. vra., nunquam id nos velle, quinimo severe prohibuisse, ne ss. ecclesie et res divine quoquo modo violarentur. Nec dubitamus, quin si quispiam militum, qui talia patraret, deferretur, aut si de cujuspiam ejusmodi maleficio plane constaret, debito supplicio a prefectis nostris in ta-

les

les esset animadversum. Non enim sumus ii, qui nostra tuendo ss. religioni christiane, MDXX.
aliquid detrimenti inferri velimus, qui jam ab initio principatus nostri cum Infidelibus et Scismaticis et Impiis bellum gerere non intermittimus eosque non solum a nostris finibus, sed ab aliis etiam vicinis dominiis arcemus et propulsamus. Quodsi in eorum amicos et confederatos a nobis gravius aut inimicius quidquam tentatur vel constituitur, digni venia ab omnibus christianam fidem profitentibus judicabimur, qui magis ob publicam Christianitatis causam, quam propter privatam injuriam pia arma sumpsimus. Bene valeat vestra Ptas. Datum Thorunii fer. III. prox post dominicam Oculi.

CLXXXVI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Boner, Zuppario Cracoviensi.

Generose etc. — Jam Deo propicio restitutus sum pristine valetudini sensimque omnis lan- Cod. G.
guor et debilitas corporis abscedit. Miserunt huc rmus. et Illmi. principes dni. Albertus, card. archieps. Moguntinus et Maideburgensis, Joachimus, marchio Brandeburgen., Fridericus et Georgius, duces Saxonie, nuncium suum cum literis, quibus declarant Mti. regie, se mittere ad illam insignes oratores suos ad tractandum de pace et concordia inter illam et dominum magistrum Prussie et dirimendo bello inter eos exorto postulantque, ut mittatur conductor ad fines regni cum literis salvi conductus, qui eosdem illorum oratores usque huc secure deducat, id quod facere Mtas. sua non est gravata, neque enim licuit tantorum principum justas postulationes obaudire.

De exercitu nostro nescio quid scribam; referunt omnes, nullum esse in eo ordinem, nullam disciplinam militarem. Fuit non pridem is ipse exercitus prope Kinsberg et longe lateque terram domini magistri vastavit, ac ne unum quidem hominem vidit, qui se ei opposuisset. Omnes enim subditi magistri se ad castra et oppida munitiora receperunt. Heri admota sunt tormenta vastatoria ad oppidum Qwidzyn, quod Mariewerder dicitur, tentabiturque si primo et subito terrore atque impetu intercipi poterit. — Commendo plurimum dnum. Stanislaum de Bochnya, quondam servitorem dni. Crziczki, nepotis mei, et rogo illam gratiam et pietatem in eum suam facere velit. Valeat felicissime. Dat. etc.

CLXXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Luce de Gorka, Castell. Posnanien., Capit. Majoris Polonie generali.

Mgce. sincere nobis dilecte. Etsi non satis verisimilis nobis ea novitas esse videatur, de qua Cod. G.
nobis tua Stas. scripsit de decem octo milibus hominum armatorum, equitum et peditum, qui in regnum nostrum ex Marchia venire et civitates nostras Myedzirzecz et Sqwyrzinam brevi oppugnare deberent, tum quod ab hostibus nostris emanavit, tum quod tantus numerus hominum diu occultari non posset. Non sunt tamen contemnendi ejusmodi rumores,

MDXX. res, et volumus, ut tua Stas. mittat e vestigio aliquem celerem nuncium ad loca, in quibus hi ipsi homines congregati esse dicuntur et cognita rei veritate, nobis statim perscribat; que sciat, nostros milites, Deo propicio, vi tormentorum nostrorum castrum, oppidum et ecclesiam in Qwidzin die Veneris preterito cepisse et in nostram potestatem redegisse et bene valeat tua Stas. Dat. etc.

CLXXXVIII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi etc.

Cod. G. Mgce. dne., dne. et fautor colendissime. Multa hic et magister et ejus subditi atque officiales spargere solent de nostris militibus et sua contra illos victoria, longe tamen illa posthac aliena a veritate esse comprobantur, faciuntque id, ut extenuarent res et milites Mtis. regie et suas vires attollerent, quo facilius aliena auxilia sibi compararent. Idem puto fecisse et magistrum Lagowiensem, hominem cruce signatum, et nomini polono apprime infestum. Is enim volens deterrere homines finitimos, potuit hanc fabulam de hominibus armatis advenientibus confinxisse, nam forte veritatem nobis non patefaceret, quo imparati facilius opprimeremur. Utcunque est ad omnia bene advertat vra. Mgcia. et exploratores bonos habeat, qui illam de omnibus moliminibus hostium possint tempestive edocere. — Factum est jam periculum tormentorum regie Mtis. apud oppidum Qwidzyn, quod eorum ministerio uno die una cum castro et ecclesia gentes Mtis. regie ceperunt. Cives etiam gedanenses destruxerunt his diebus portum Konigsbergensem. Exercitus vero, qui obsidebat Hollandum, jam inde discessit, re infecta, propter nimias aquas, propter quas diutius in obsidione illa durare non poterat. Me vestre Mgcie. et mea obsequia plurimum commendo. Que cum suis omnibus sit incolumis et felix. Dat. etc.

CLXXXIX. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Stanislao Janowicz, Capit. Samogitie generali.

Cod. G. Mgce. dne., amice et fautor honorande. Jucundissimum fuit mihi audire de bona valetudine vestre Mgcie., cui etiam magnas ago gratias, quod me literis suis visere dignata est. Mtas. regia Dei gratia est optime sana, ego etiam satis bene valeo. Vidi literas, que scripte sunt vre. Mgcie. ex Memell, in quibus non aliud reperi quam meras nugas. Solantur dni. Cruciferi se externis auxiliis, que sperant se habituros, sed: ve illi! qui sub spe alieni presidii bellum inchoat cum suo vicino. Certo credat vestra Mgcia., quod nihil eorum ita se habet in veritate prout vre. Mgcie. est ex Memell scriptum. Vellent fortasse vram. Mgciam. his falsis novitatibus deterrere, quominus faciat id, quod illi a Mte. regia est commissum, sed non advertat vra. Mgcia. ad eorum figmenta, qui efferre volentes res et potentiam suam, quam nullam habent, volunt persuadere hominibus, ut illos timeant, et putent eos multum posse, cum tamen jam experti sint et brevi magis adhuc experientur, quantum

incommodi

incommodi attulit eis ipsorum protervitas et contumacia, qua usi sunt erga Mtem. regiam. MDXX.
Omnia bene et prospere succedunt exercitui Mtis. regie, profligati quidem sunt ducenti pedites bohemici in oppido Melsak et plures ex eis capti, sed ex alia parte expugnatum est per nostros castrum et oppidum Qwidzyn dni. epi. pomesaniensis una cum ecclesia cathedrali, que ibi est multum munita; neque enim fieri potest, ut uno eodemque tenore felicitatis res bellice semper procedant; ad hoc tamen tempus nullas gentes colligere potuit magister, cum quibus se opponeret exercitui Mtis. regie, nec habere potest tam cito milites ex Germania, quoniam non habet pecuniam, qua illos conducat; nam dux Moscorum in quo spem habuit, servat sibi suam pecuniam si quam habet. Valeat vestra Mgcia. et sit felix meque diligat. Datum Thorunii.

CXC. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Georgio Targowski.

Generose domine, amice charissime. Mitto vobis literas creditivas una cum exemplo litera- Cod. G.
rum, quibus se dominus eps. Pomesaniensis obligare debet ad servandum articulos in eis contentos. Et quam omnia sunt justa, honesta, decentia, non puto vos aliquam difficultatem in eis concludendis habituros, immo magnam gratitudinem merituros. Putarem, non ab re fore, ut ad articulum, qui incipit: *bonum commodum et honestum Mtis. sue pro virili mea procurabo*, adjicerentur hec verba: *et quod noxium et damnosum illi putarem aut intelligerem, indicabo et premonebo.* Et si id efficere potestis, ut adjiciantur in eo articulo, bene quidem, sin minus, scribantur eo modo litere, quo illas scripsi et cum presentibus mitto. Quod ad Mtem. regiam attinet, vos promittetis nomine Mtis. sue et vigore mandati vobis concessi, quod Mtas. sua non permittet ipsum dominum epum. et duo castra Risenburg et Prevschmarght, ac subditos ac servitores ipsius oppugnari, violari, nec hostile quidquam contra illos attentari, idque omnibus militibus et subditis suis publico edicto denunciari curabit. Cum autem omnia illic, ita ut habetis in mandatis concludetis et perficietis, per celerem nuncium priusquam ipsi huc veniatis, Mtem. suam regiam reddatis certiorem; nam non prius solvet exercitus a Qwidzyn quam vos de conclusione rerum omnium Mtem. suam edocebitis, quod quam celerius fieri potest facere curetis, et bene valeatis. Dat. Thorunii.

CXCI. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Bonero, Zuppario etc.

Generose fidelis dilecte. Cum fortuna in omnibus rebus, maxime vero in bellicis domine- Cod. G. R.
tur, fieri non potest, ut militibus nostris, quos in terra hostili habemus, nonnunquam aliquid adversi non eveniat. Reliquerat mgcus. Nicolaus Firley, palatinus sandomiriensis, nonnulla presidia peditum in Melsak, oppido capituli varmiensis, quod jam antea bis ad magistrum defecerat, et dum omnes ferme decuriones inde discesserant ad Hollandum pro

MDXX. curribus suis et equis ac etiam pro pecunia, que nomine nostro erogabatur, duobus tantummodo rotmagistris Kostelak et Bieniassewski ac paucis admodum et his quidem gregariis militibus relictis, cives de eodem oppido Melsak annuntiarunt ad Braunsbergk, paucos valde milites polonos apud se esse optimamque occasionem oblatam ad illos inde ejiciendos. Hostes igitur noctu cum tormentis grandioribus illuc advenerunt et expugnato oppido, nostros milites, qui ibi aderant, partim occidere partim captos in Braunsbergk secum abduxerunt. Hanc cladem nos utcunque non sine gravi dolore accipiamus, scientes tamen, varium esse belli eventum, boni consulimus et equo ferimus animo, quidquid dei voluntate accidit, deinceps vero providere curabimus, ut nostri milites sint cautiores etiam apud suos.

Cod. G. Adducti sunt nobis pulveres, quos per Paul Bott nobis misit. Quia vero multum pulveris insumptum est in expugnatione Qwidzin, volumus ut nobis pulveres et isthic factos et aliunde emptos sine mora subministres. Vale.

CD milites in Melsak in presidio positi fuerunt, quorum parte maiore absente reliqui cesi captique fuere. Costelak Bohemus eger occisus, Beniassewski captus, alter rothmagister captus.

Sub idem tempus Castrum et oppidum Qwidzin cum ecclesia cathedrali per regios expugnatum. Portus etiam maris Konigsbergensis per Gedanenses destructus fuit.

Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Boner, Zuppario etc.

Cod. G. R. Generose domine, amice et fautor honorande. Intelligit vestra Dtio. ex literis regie Mtis., quod nostri pedites fraude et proditione civium de Melsak sunt cesi et intercepti. Reliquerat in eo ipso oppido Melsak dnus. palatinus sandomiriensis quadringentos pedites, sed majori illorum parte absente et inde discedente pro curribus suis et equis ad Hollandum, hostes ex Braunsbergk noctu cum tormentis vastatoriis advenientes, illos, qui ibi supererant, oppresserunt et profligarunt. Kostelak, Bohemus, qui tum erat egrotus fertur esse occisus, Bieniassewski vero alter rotmagister, captus. Perturbavit nos non parum hec clades nostrorum militum, sed et ex alia parte consolati sumus ex capto castro, oppido et ecclesia Qwidzinensi et portu maris Konigsbergensi per cives gedanenses destructo. Commendo me plurimum etc..

Anno MDXX. XV. Martii Datus fuit salvus conductus oratoribus a principibus romani imperii ad regem in Thorun venientibus, ab Alberto, cardinali moguntinensi et archiepiscopo maideburgensi, archicancellario, Friderico, duce Saxonie, archimarschalco et vicario; Joachimo, marchione brandeburgensi, archicamerario, et a Georgio, duce Saxonie.

CXCII. Leo, Papa Decimus, Zacharie, Epo. Gardiensi, Prelato domestico et Referendario secreto, Nuncio nostro.

De canonizatione S. CASIMIRI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Cum singularem fidem ac industriam tuam pluribus experimentis notam perspectamque habeamus ac speremus, quod ea, que tibi per nos commissa et inducta fuerint, omni studio ac diligentia perficere curabis, licet venerabilibus fratribus, archiepo. gnesnensi ac premisliensi epo. per alias nostras literas jam pridem commiserimus, ut de vita, gestis ac miraculis beati Kazimiri ex regibus Polonie, quem charissimus in Christo filius noster Sigismundus, Polonie rex, canonizari et in sanctorum catalogum referri desiderat, se diligenter informarent ac omnia per eos inventa in processu facerent annotari, eumque clausum ac eorum sigillo munitum ad nos transmitterent, nihilominus ad rei veritatem melius indagandam Fraternitati tue, quam ad partes ipsas nostrum et apostolice sedis nuncium destinamus, duximus committere, ut de prefati Kazimiri vita, gestis atque miraculis per eum dum viveret ac post ejus obitum factis diligentissime inquirat plenamque de omnibus notitiam nobis referat seu per suas literas significet, ut re mature et diligenter cum venerabilibus fratribus nostris s. rom. eccl. cardinalibus discussa deliberare possimus, an idem Kazimirus, de quo multa predicantur, non propter natalium splendorem ac regium sanguinem, sed propter virtutes viteque sanctimoniam sit dignus, qui in catalogum sanctorum jure ac merito referatur. Datum Rome apud S. Petrum sub annullo piscatoris die XV. Septembris a. d. MDXIX., pontificatus nostri anno septimo. MDXX. Cod. G. R. (MDXIX.)

CXCIII. Leo, Papa Decimus, Joanni de Thedaldis, Consanguineo et Nuncio nostro.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Ex instructione, quam venerabili fratri Zacharie, epo. Gardiensi, ad charissimum in Christo filium nostrum, Sigismundum, Polonie regem, nuncio et oratori nostro, fieri et cujus copiam tibi dari mandavimus apertissime intelliges, quid apud eundem regem fieri et cum eo tractari velimus. Tu igitur, qui nationum illarum linguam calles et locorum peritiam tenes multiplicique rerum experientia polles juxta prudentiam dexteritatemque tibi a dno. concessam dicto Zacharie, epo. et nuncio, fideli consilio et opera assistes amboque simul curabitis, ut desideria nostra eum, quem speramus, juvante dno., sortiatur effectum. Cod. G. R.

Postquam igitur apud eundem regem commissa vobis diligenter executi fueritis ipsique regi visum fuerit, ut ad ducem Moscovie ejus animi explorandi causa te conferas, tu cum benedictione nostra iter suscipies et ad dictum ducem proficiscaris. Quo cum perveneris ipsum

MDXX. (MDXIX.) sum debita cum reverentia et humanitate alloqueris nobisque de sancto ejus orthodoxam fidem agnoscendi ac debitam nobis et huic sancte sedi obedientiam prestandi et cum dicto Sigismundo rege perpetuam pacem faciendi proposito, relatum fuisse dices, nosque propterea eidem Zacharie, epo. et nuncio mandasse, ut si tali animo sit preditus, ad eum se transferat eique nostram ac dicti regis mentem declaret. Si ergo ipsum ducem circa premissa bene dispositum esse ac dictum epum. et nuncium libenter audire velle cognoveris, ab eo requires, ut de sufficienti salvo conductu veniendi, standi ac redeundi ipsi ejusque necessarie comitive provideat. Quodsi prefatum ducem ad veram Christi fidem cognoscendam obedientiamque nobis et dicte sedi apostolice prestandum minime inclinatum esse, nec ab aliquo persuaderi posse intelliges, nihilominus efficere curabis, ut cum dicto Sigismundo rege inducias, quas idem rex optaverit, et de quibus specialem tibi commissionem dederit, ineat, quibus initis et peractis reditum ad nos parabis, interimque nos de omnibus et singulis premissis certiores reddere non pretermittas. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die secunda Novembris a. d. MDXIX., pontificatus nostri anno septimo.

Legatio a Leone, Papa X. ad Sigismundum, Regem Polonie, data Zacharie, Epo. Gardiensi, legato apostolico.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Novit Ftas. tua, quod neminem latere potest, quo studio, quantave diligentia semper studuerimus ac etiam procuraverimus, ut pax universalis inter Christianos omnes, reges ac principes fieret ad effectum, ut sancta ac pernecessaria adversus christiani nominis hostes expeditio alias per nos indicta, per eosdem christianos reges ac principes unitis animis junctisque viribus tandem una nobiscum sumeretur. Cui sanctissimo negotio in dies magis intendentes, scientes charissimi in Christo filii nostri Sigismundi, Polonie regis, potentiam et vires admodum necessarias et opportunas esse, te ad ejus Mtem. pro dicte pacis ac aliis nostris ac apostolice sedis negotiis tractandis et procurandis nostrum et apostolice sedis nuncium et oratorem duximus cum benedictione domini destinandum, sperantes Ftem. tuam pro sua erga nos et dictam sedem fide ac devotione nec non prudentia et integritate omnia sibi per nos injuncta fideliter ac diligenter curaturam et secundum cor nostrum juvante domino executuram fore.

Volumus igitur ac tibi mandamus, ut cum nostra benedictione recto itinere ad prefatum regem pergas, ad quem posteaquam deo dante perveneris ac paternam benedictionem Mti. sue nostro nomine nunciaveris ei qua decet prudentia et dexteritate significabis: nostre mentis fuisse, ut dilectus filius frater Nicolaus ad peragendum negotium inceptum ad eas partes rediret, nisi in nonnullis aliis nostris obsequiis ejus opera indiguissemus, nosque nihil magis appetere et desiderare, quam quod quinquennales saltem inducie per nos inter omnes christianos reges et principes indicte et ab eis acceptate firmiter observentur et dicta sancta expeditio sumatur. Que licet obitu clar. mem. Maximiliani in imperatorem electi aliquantum

tum impedita ac dilata fuisse videatur, tamen propter unanimem et concordem electionem de charissimo in Christo filio nostro Carolo, Rom. ac Hispaniarum rege, Catholico factam, speramus ac in domino confidimus, quod expeditio hujusmodi non diu admodum differetur atque tardabitur, cum presertim sciamus, inter alios reges ac principes christianos eundem Sermum. regem optime affectum et dispositum esse, ut non solum ipse ad hujusmodi expeditionem se accingat, sed ad eam quoque charissimum filium nostrum Ludovicum, Hung. regem, cujus patruus et tutor extitit, continue disponere et quoscunque alios reges ac principes invitare non cesset. Cum sciamus autem prefatum Sermum. regem non solum potentia et viribus multum prestare, sed et consilio ac prudentia excellere, Fti. tue committimus: ut ab ejus Mte. intelligas, quam opinionem ac sententiam habeat super dicta expeditione sumenda et que credat expeditioni necessaria et opportuna fore, ut eum quem speramus et optamus effectum sortiri valeat; tandem Mtem. suam certiorem faciendo: nos cum venerabilibus fratribus nostris, s. rom. eccl. cardinalibus, omnia efficere et cogitare, que ad hujusmodi expeditionem facere et convenire credamus. Et quia intelleximus, nonnullas adhuc superesse differentias inter eundem Sermum. regem et magnum magistrum Prussie, nos eas tandem sedari et componi desiderantes, tibi committimus, ut dictum s. regem ad pacem cum dicto magistro ineundam nostro nomine horteris. Quam si, ut speramus, amplecti voluerit, ad eundem magistrum, cum tibi visum fuerit ac ipse rex judicaverit opportunum, proficisceris eumque ad pacem cum Sermo. dicto rege ineundam et observandam efficacibus induces rationibus, inter alia commemorando, quod si pacem ac fedus inter se inire junctisque viribus communem hostem aggredi voluerint, ambo multo plura et majora sibi comparabunt quam sint illa, super quibus inter se totiens non sine miserandis utrinque cladibus dimicarunt. Talique prudentia et dexteritate uteris, ut cum bona utriusque partium gratia nostroque et hujus ss. sedis honore negotium sedulo tractare prospereque conducere possis. MDXX. (MDXIX.)

Eidem regi significabis, nos pro singulari amore paternaque benevolentia, qua Mtem. suam prosecuti semper fuimus, nihil omittere, quod ad ejus ac etiam nepotis sui regnorum in confinibus Infidelium (sicut omnes intelligunt) existentium conservationem et augmentum pertinere credamus. Et propterea cum ex venerabili fratre Erasmo, episcopo plocensi, sue Mtis. apud nos oratore, intellexerimus, eandem Mtem. suam propter diuturna et maxima bella cum duce Moscovie gesta pecuniis adeo exhaustam esse, ut a bellis, que adversus Turcas et Tartaros aliosque infideles gentes gerere consueverat quasi desistere cogatur, animo nostro cogitavimus, ipsum ducem Moscovie per Ftem. tuam hortari ac monere, ut veram Christi fidem agnoscere et ad obedientiam s. rom. ecclesie redire et cum Sermo. rege — ut verum Christianum decet — quiete et pacifice degere velit. Quod futurum in domino speramus, cum non solum ex dicto episcopo plocensi audiverimus, sed etiam a charissimo in Christo filio nostro, Christierno, Danie rege, per ejus literas certiores facti fuerimus, ipsum ducem Moscovie ad hoc sponte sua jam pridem bene dispositum et inclinatum esse. Meminerimusque, dum in minoribus constituti essemus, ejus patrem similis animi atque propositi fuisse et ad f. mem. Alexandrum VI. prodecessorem nostrum suos ora-

 tores

MDXX. (MDXIX.) tores misisse, qui animum ac propositum hujusmodi suum christianam fidem agnoscendi et ad obedientiam ss. rom. eccl. redeundi significarent.

Ftas. igitur tua postquam eidem Sermo. regi consilium nostrum communicaverit, si Mti. sue videbitur, ut ad dictum ducem premissorum causa te transferas, eam nostro nomine rogabis, ut pro nostro et hujus sancte sedis honore de tali non modo salvo conductu per dictum ducem prestando, sed etiam comitiva tibi provideat, ut tuto ire atque redire valeas ac pacis inter ipsam et prefatum ducem ineunde conventiones ac capitula tibi consignet tuque juxta conventiones et capitula hujusmodi et non aliter pacem ipsam cum dicto duce tractabis — nostrum tamen et dicte sedis honorem nunquam postponendo — ac ita solerter, apte prudenterque te gerendo, ut a nobis merito valeas commendari.

Preterea cum dictus rex beati Kazimiri canonizationem per nos et dictam sedem fieri ipsumque in sanctorum catalogum referri summopere cupiat, nos honesto ac pio ejus desiderio, quantum cum Deo possumus, annuere volentes, ut ad hujusmodi canonizationem matura deliberatione diligentique ipsius Kazimiri vite ac morum examinatione nec non miraculorum notitia et recensione prehabitis procedere valeamus: licet alias venerabilibus fratribus, archiepo. gnesnensi et epo. premisliensi similem dederimus commissionem, nihilominus pro veritate diligentius indaganda tibi committimus, ut te ad loca, ubi dicti Kazimiri corpus quiescere dicitur, te conferas et de ejus vita ac miraculis per eum tam post ipsius obitum quam ante factis te diligenter informes, ut, cum redieris, verum testimonium reddere ac omnibus certiores facere possis.

Illme. quoque regine post nostram benedictionem dicere non postponas: nos plurimum optare, ut prospere se habeat, nosque non oblivisci singularis benivolentie, que inter suos et nostros progenitores semper viguit, offeresque ob id eidem gratiam et operam nostram cum oportebit, et quod Mtas. sua curet, ut res polonice, pruthenice ac ruthenice omnino componantur. Quod ut facilius et liberius fiat tractabis et cum dicto rege et cum eadem regina et cum quibus tibi expedire videbitur, ut proceres regni in eisdem rebus componendis, partes suas memorati Serenissimi regis providentie committant. Quod nobis admodum placebit.

Persuadebis etiam prelibato regi nostro nomine, quod plurimum ex nostra sententia ad rem faciat, si de duobus nepotibus suis brandeburgensibus, Joanni Alberto et Gumberto, dicti magistri fratribus, apud nos degentibus et nobis charis, cum opportunitas aderit, duabus ecclesiis in regno Polonie, vel ut melius poterit Mtas. sua provideri curabit, cui rei nos et gratiam et favorem nostrum libenter prestabimus.

De omnibus vero et singulis tibi per nos commissis ac aliis occurrentibus rebus et novitatibus crebro ad nos scribere subindeque rerum successus nobis significare curabis, ut juxta rerum qualitates ac temporum occasiones opportune providere, et quid per te curari ac fieri oporteat, quam primum significare possimus. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die prima Novembris MDXIX., pontificatus nostri anno VII.

LEO,

Leo, Papa Decimus, Alberto, Marchioni Brandeburgensi, Magistro Cruciferorum in Prussia.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Mittimus ad partes istas venerabilem fratrem Zachariam, epum. gardiensem, prelatum domesticum, secretum nuncium nostrum, sedulum imprimis atque prudentem virum, pro nonnullis gravibus christanam fidem concernentibus negotiis, cui nonnulla injunximus tibi communicanda. Plenam igitur ei fidem in omnibus, que nostro nomine referet non aliter, quam si ea a nobis ipsis audiret, eidem Nobilitas tua prestabit ac ita se geret in his, que operam autoritatemque suam requiret, ut spei, quam de ipsa concepimus, respondere et coram deo nobisque merito valeat commendari. Datum Rome apost. S. Petrum sub annulo piscatoris die XVI. Septembris anno dni. MDXIX., pontificatus vero nostri anno VII. MDXX. Cod. G. R. (MDXIX.)

Oratio Rdi. patris Zacharie, Ferrerii Vincentini, Epi. Gardiensis, Legati apostolici, ad Sigismundum, Regem Polonie, dicta de bello inter regem et Prussie magistrum componendo, Thorunii nono cal. Marcii.

Dum ipse cogito et mecum animo volvo, Sigismunde rex amplissime, quem modo principem alloquuturus sum, propono mihi sublimium tuarum virtutum fastigia, excelsas dotes, quibus omnipotens rerum autor pre variis principibus te excellentius insignivit, pono ante oculos hanc tuam pene divinam Mtem., formam prestantissimam, magnitudinem animi tui, consilii gravitatem, rerum experientiam, amplitudinem, munificentiam, justitie cultum, providentiam in te summam, religionem maximam, que passim circumferuntur et circumquaque predicantur, recenseo quoque vetustissimam illam sanctissimamque familiam tuam Casimiriam, que veluti quoddam singulare precipuumque munus a summo opifice mortalibus concessa est: quo fit, ut clarissimum conspectum tuum regiamque presentiam non modo non magnopere speculari, verum etiam non satis admirari possim. Non minus etiam meoum pensito, quo dicendi genere te alloquar, an illa rhetorices facundia, que sensum auresque dumulcet, an illa oratoria virtute, que mentem potius animumque oblectat, excitat et impellit, videorque mihi, qui non tantum christianam religionem, sed et apostolicam perfectionem ut pontifex profiteor, satius imitari vas illud electionis, beatissimum apostolum, qui ad Corinthios scribens ajebat: veni ad vos non in sublimitate sermonis neque in persuasibilibus humane sapientie verbis, sed in virtute dei et spiritu. Habent humane sectatores eloquentie, quos imitentur, Domesthenem, Ciceronem, Sallustium, habeo ego sacerdos Christum, habeo divos apostolos, habeo sacre ecclesie doctores et mei ordinis pontifices celebratissimos. Loquar ego non ut rhetor, sed uti pontificem decet, uti decet sacerdotem, uti Cod. G. R.

MDXX. (MDXIX.) decet dei ministrum. Non latet tuam Mtem., rex potentissime, exploratumque omnibus est, septimum actum esse annum, quo jactatis dudum inter christianos principes dissidiis tota ferme Europa atrocissimis bellis vehementessime concutiebatur et estuabat. Fervebat Italia, ardebat Germania, flagrabat Hispania, Gallia fluctuabat, Anglia excandescebat, unde et — quod fari doleo — tanta christiani sanguinis effusio sequuta est, ut recte Davidicum illud memorari posset: effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem i. e. militantis ecclesie, et non erat, qui sepeliret. Eterna dei sapientia, que juxta sacrum eloquium, attingens a fine usque ad finem fortiter, disponit demum omnia suaviter, non permittensque juxta eundem apostolum nos tentari supra id quod sufferre possumus, facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere, cupiens tot cladibus, tot calamitatibus Christianorum benigne occurrere, Joannem Medicem, Leonem decimum appellatum, non labe aliqua, non vi, non arte, non astu, non humano ingenio, sed sola sancti spiritus gratia ad summum pontificatus apicem de tot millibus hominum unum delegit, qui veluti angelus pacis fluctantem ecclesiam et Christi cymbam pacaret, velutique salutaris medicus languenti diu christiane reipublice opportunum medicamen adhiberet. — Quod et beatissimus antistes, inito mox pontificatu, omni studio, omni sollertia, omni sagacitate efficere curavit — et effecit quidem — Tertius annus nunc agitur, quo Selimus, Turcarum imperator et christiani nominis accerrimus hostis, quasi gladius quidem cervicibus Christianorum imminere videbatur, animadvertens Sanctissimus dnus. ad tantum exitium compescendum nullum efficacius superesse remedium, quam divinum inprimis presidium implorare, sanctissimas ad celum tollens manus, jejunia, ad deumque opt. max. supplicationes pontificibus, sacerdotibus, senatui populoque romano precepit, easque deprecationes, quas greco vocabulo litanias appellant, frequentari mandavit, inter quas ipsemet nudis etiam pedibus per almam urbem incedere non est dedignatus. Et ne humanam quoque operam parvipendere videretur, complures quum pontificii tum cardinei ordinis patres celeberrimos ad varias Christianorum principes, ad varias nationes oppido expedivit, quo, si quas inter eos simultates forte exoriri metuebatur, ad eas sive jure, sive armis decidendas, quinquennale intervallum interponeretur, dilatoque omni bello communes Christianorum vires communisque potentia in communem religionis hostem conciliatis animis converterentur, necessarius ad id colligeretur nummus generalisque contra impium tirannum expeditio, quam cruciatam nostri vocant, ubilibet vulgaretur. — Quod et pro sua maxima integritate facile obtinuit sanctimonibus et preceptis apostolicis ac interminationibus ecclesiasticis contra violatores stabilivit atque firmavit. Posuit enim pacem sancte ecclesie et dulci illam tranquilitate potiri fecit. Jam pace fruitur Italia, jam quiescit Germania, Gallia, Hispania, Anglia, in totoque Christianorum ambitu jucunda concordia arridet. Unus superest, de quo cum christiano principe congressus expavescebatur, tu scilicet, rex amplissime, quem quum ipse romanus pontifex ad eas intermittendi belli quinquennales inducias capessendas crebris epistolis dudum exhortari ac monere non destiterit, noluit quoque pretermittere, quin et nunciis et oratoribus inviseret et salutaret ad idque faciendam plurimum suaderet, hortaretur et adduceret: quod ita accurate mandavit, ut etiam non sine lacrimis pro boni pastoris officio, quum digrederemur, id nobis creberrime repetierit: pacem ajebat atque iterabat sanctissi-

mus

mus antistes, quum postremum ad te accedendi ab eo mandatum habuissemus sacrosque MDXX.
de more oscularemur pedes, pacem, quam Christus, deus et legifer noster, nobis suo testamento legavit, charissimo filio nostro, Sigismundo, Polonie regi, commissam facite, ad pacem cum christiano principe perquirendam nostro jussu monete et animate, utque illam, quam de ipsius comprobata religione hec sancta sedes, cui presidemus, spem jam dudum concepit, nequaquam cassam irritamque efficere velit, nostro nomine dicitote. Sed quoniam interea, dum ad tuam Mtem. noster ab Urbe accingebatur discessus, ignaro pontifice, ignaris nobis, id quod verebamur evenit, si primum ad illud quinquennale intervallum amplectendum te enixe rogare oportebat, nunc quandoquidem malum irrepsit magisque ac magis quotidie invalescit non tantum enixe, non modo enixius, verum etiam enixissime precari ac supra humanum modum interpellare necesse est. Divus itaque Leo, pontifex maximus, qui dei et dni. nostri Jesu Christi vices gerit in terris, cui date sunt claves super portas celestis atrii ac summe felicitatis, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, cujus pedibus omnia inferiora subjecit deus, cui cesares, reges et omnes populi principes et omnes judices terre supplicia colla submittunt, a suo pontificio solio nos ad te, princeps religiosissime, delegavit, postquam paternos complexus ac eternam salutem te sanctissimum felicissimumque optans, ut a christiani sanguinis effusione tuos milites abstinere jubeas et eam, que christianum principem decet, concordiam amplectaris, postulat, efflagitat, monet, mandat rogatque pro sua benignitate maxima ac precatur. Nec propterea ab justissimo pontifice tibi forte persuasum arbitreris, ut honestum tui, decorem, equum, commodum ac tui regni jura postponas, que sicuti is, qui tibi supra modum afficitur, augere potius sua autoritate decerneret, sed ut eam, que justo decori tuo, que juri regni tui, que condigne indemnitati tue conducat, sive pacem, sive transactionem cum hoste ineas, quod et ut ille non minus efficiat, omnem operam navabit pontifex, nosque pro credito nobis munere ac virili nostra nusquam neglecturi sumus. Sicuti enim, ut sanctissimo principi nostro ac sanctissime sedi, a qua legati sumus, obtemperaremus proque communi et vicaria inter te et Albertum, militaris ordinis S. Marie Teutonicorum magnum et generalem magistrum ac marchionem brandeburgensem illustrem, christianos principes, super rebus pruthenicis pace ac concordia interponenda adversusque religionis hostes adeundo certamine tuam adiremus Sublimitatem, romane urbis sanctitudinem spiritualesque delicias, studiorum nostrorum dulcedinem, amicorum (quibus affluebamus) jucunda commercia, quietem, patriam, agnatos ipsaque omnia privata commoda deseruimus, hiberni temporis inclementiam, itineris prolixitatem, viarum difficultates ac pericula, celi rigiditatem, ipsius quoque nobis insuetam borealis ac sarmatice regionis asperitatem, demum jacturas omnes omniaque discrimina flocci pendimus sic ut dum communi paci communique benivolentie consulatur nequaquam defuturi simus, quin et (ut apostolicum illud imitemur) exhibebimus corpora nostra hostiam viventem sanctam, deo placentem, rationabile obsequium nostrum, quod et tanto magis a te faciendum est, quod cum longe impari certamen tibi sit, et eo minus procul dubio tibi ineundum, quod ille tibi e dulcissima sorore nepos existat, a quo injuriam ullam armatus etiam agnoscere vix debeas, ergaque illum et etate et potentia tibi admodum inferiorem, non modo ut avunculum, sed et veluti patrem, veluti tutorem, velu-

MDXX. tique studiosissimum fautorem te ipsum, rex sapientissime, gerere potius deceat. Nec te fugiat adagium illud: gloriosius longe esse facere reges et principes, quam subjicere. Enimvero que tibi gloria? quis decor? que palma? si nepotem tu avunculus et pater debilioremque supra modum opibus et potentia hostem, tu princeps potentissimus incomparabili exercitu obrueris? et sicuti tibi facillimum est (ut ita dicam) in nihilum redegeris? videarisque apud plerosque in ea controversia, que jure potius quam armis sedanda esset, viribus et non legibus uti? Per tuum regnum, per illud insigne diadema, quo regium caput tuum lustratur, per sceptrum illud, quo regia manus tua redimitur, per suavissimam prolem tuam, per illum, dive memorie, Casimirum, germanum tuum pientissimum, per illam observantiam summam, qua christianam prosequeris religionem, per illum omnipotentem dominum rerum omnium opificem, qui te sua providentia ad regium apicem sublimavit, per ejus denique eternum verbum et consubstantialem filium, qui pro tua salute, princeps optime, de summo celi cardine descendere, carnem sumere et mortem subire dignatus est, te supra id, quod dici, quod excogitari possit, rogamus, precamur, obsecramus, obtestamur, ut, pacatis jam undique christianis principibus, christiano quoque sanguini gladius tuus parcat, ignoscat, indulgeat et in impios catholice unitatis inimicos convertatur, ab eo quoque bello abstineas, a quo te et divine et humane rationes dehortantur. En! quod non sine vehementi fletu effari possumus, innocuus effunditur sanguis, tremulus senex et gemebunda anus absque noxa interficiuntur, vagientes in cunabulis in sinu matrum jugulantur infantes, miserrime trucidantur matres, coram parentibus filii, coram filiis parentes interimuntur, necantur, obtruncantur, nec parcitur generi, nec ordini, nec etati, nec sexui, (ita in omnes absque insontis delectu effrenus effervet miles et cruentus gladius debacchatur). — Eia! surge, rex gloriosissime, accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, contra exleges Agarenos, contra perfidos, hereseos emulatores intende, prospere procede et regna. Propter enim veritatem et mansuetudinem et justitiam deducet te mirabiliter dextera tua, sagitte tue acute, populi sub te cadent. Haud enim parum non modo religioni christiane, sed et tui et proprio cujuslibet regni incremento conduceret, si jacturas, quas non multos annos citra ipsa religio passa est, tecum nostri principes aliquando saltem excogitarent, idque quod ad rei private curam, studium apponunt, ad publicum commodum et communem gloriam adhiberent. Quod si tu, princeps augustissime, pro tua clementia, pro tua religione (uti romanus pontifex de te sibi pollicetur) efficies, tantum tibi accedet ad gloriam, ut nihil sublimius, nihil prestantius accedere possit, ipse sane summus sacerdos animo tenens assiduas pugnas, quas contra vere pietatis emulos, qui in circuitu tuo quotidie geris frequentissimosque triumphos ac singulares palmas, quas adeptus es, illam insuper venerationem maximam, qua ss. romanam ecclesiam observare destitisti nunquam, tanta dilectione, tanta gratia, tanta benivolentia, tam paterno amore Mtem. tuam complectitur, tam denique tue summe probitati propicius est, ut nihil supra possit, sique in ineundo cum principe christiano, nepote tuo illustri, federe, pace ac concordia clementissimi pontificis mentem jussaque ac monita paterna capescere decreveris, nihil sit, quod optare velis, quod et ab ipsa pontificia amplitudine facile non assequare. Si vero hec lis in presentiarum mutua vestrum reconciliatione tolli non possit, suspendatur saltem

saltem eo usque, quo a beatissimo pontifice sanctaque apostolica sede, que unicuique justi- MDXX.
tiam exactissime ministravit semper, maturo consilio definiatur. Non enim est novum aut recens tue regie sublimitati, rex sapientissime, supremum omnium Christianorum pontificem a deo optimo maximo summa illa providentia mortalibus esse concessum, non ut quiescat, sed ut invigilet ac sollicita semper et studiosissima mente, que reipublice nostre conducant, ex suo sublimi fastigio speculetur, unde dominus ad eum per Ezechielem ait: speculatorem dedi te domui Israel, audies de ore meo verbum et annunciabis eis ex me! et per Hieremiam: ecce constitui te super gentes et super regna, ut evellas ac destruas, et disperdas et dissipes, et edifices et plantes; et Paulus apostolicam designans sedulitatem inquit: qui preest in sollicitudine et preter illa, que intrinsecus sunt, instantia mea, quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum. Curarum igitur molibus angi, inquietari, sollicitari, vigilare ac nocturnas etiam custodias super gregem suum habere omni pontifici (romano presertim aliorum principi) ita proprium est, ut quanto magis his exerceatur, tanto et verius pontifex existat. Sicuti enim, quod proprium est, ipsa quisque natura optare consuevit, ita et sanctissimo pontifici optabile et jucundum erit pro communi inter te et nepotem tuum, christianos principes, pacem et concordiam conciliandis hujus cause sarcinam sacris humeris suscipere ac pro imminentibus rei christiane discriminibus seposita omni requie celerius aut solvere aut componere. Nec maximas quantumcunque curas alias et sollicitudines, pontificem aliquorsum ab hac causa utcunque ardua, quin non citius extricetur deterrere, revocare aut impedire formides, rex invictissime, quum ejusmodi et longe majoribus inter principes enodandis questionibus assueverint romani pontifices, nihilque hoc labore jucundius preclariusque ob publicam utilitatem apud eos existimari merito possit. Sane exorta olim inter Carolum magnum et Pipinum minorem, fratres, Caroli Martelli filios, super Francorum regno aliisve provinciis gravi contentione, Zacharias, rom. pontifex, non modo hanc disceptationem sua sententia explicuit, verum et regno et provinciis ipsis ob Caroli magni ignaviam Pipino adjudicatis, Carolum ipsum pro communi inter eos pace monasticam vitam eligere sua autoritate ac persuasionibus effecit, Chilpericoque rege ob eandem desidiam a regno dejecto, Francigenas omnes a fidelitatis juramento, quo illi astringebantur absolvit. Suborta non multo post a Constantino et Leone, ejus filio, imperatoribus, afferendi auxilii rom. eccl. difficultate, que tunc ab Aistulpho, Longobardorum rege, opprimebatur, Stephanus II., romanus pontifex, quo huic malo satius succurreret, eam causam hac sententia absolvit, ut in Latinos translato a Grecis imperio, Carolum Magnum, Pipini filium, ad imperii apicem proveheret, quem et Stephano ab humanis dudum erepto, nata super ea re inter christianos principes ambiguitate, Leo tercius, pontifex maximus, imperatorem non modo declaravit, sed et imperiali diademate insignivit, a quo usque ad hec tempora a Grecis ad Latinos translatum est et permanet imperium. Dum inter se Ludovicus, cognomento pius, et Lotharius filius — Ludovico ipso etiam in vincula conjecto — de imperio decertarent, Stephanus, ejus nominis quartus romanus pontifex, Ludovicum e custodia ereptum imperatorem creavit et apud Aurelianos inunctum coronavit. Sergius secundus pontifex miserandam ac cruentam illam inter Lotharium imperatorem et Ludovicum atque Carolum, fratres, de regno Aquitanie controversiam missis eo legatis divisoque regno suo arbitrio composuit atque sedavit.

Paschalis

MDXX. Paschalis secundus, pontif. rom., quum ob nonnulla Christianorum schismata inter principes de feudis atque homagiis questio haberetur, conventu apud Guarda castellum in agro cremonensi habito, unicuique quod suum erat decernens, eam omnem controversiam amputavit.

Calixtus itidem secundus omnes contentiones sua sententia atque imperio abstulit, que inter Guilelmum, Apulie ducem, et Jordanum, Campanie comitem, ac alios Italie insignes principes seviebant.

Innocentius etiam, secundus maximus pontifex, implacabile illud bellum, quod inter Pisanos et Genuenses super re navali et terris pluribus habebatur, facto judicio sua autoritate compescuit et acrem inter electores discordiam de Lotharii et Conradi ad imperium provectione, declarato et coronato Lothario explosit.

Urbanus, ejus nominis tertius, et post cum Gregorius octavus et Clemens tertius ac Celestinus tertius eam disceptationem, que inter Philippum, Francorum, et Ricardum, Britannie reges, contra Saracenos in Asia dimicantes, super terrarum divisione tunc exorta erat, suo arbitrio extinxere.

Innocentius tertius, mortuo Henrico, dissidentibus electoribus, nonnullisque Philippum Suevie principem et Hetrurie ducem, nonnullis autem Othonem, Romanorum regem et Saxonie ducem, ad imperium eligentibus, destinato mox in Germaniam legato, Othonem imperatorem declaravit.

Clemens quoque quartus controversias diuturnas, que super finitimis terris inter Henricum, Britannie regem, et Simonem, Montis fortis comitem, et deinde inter Florentinos et Senenses intercesserant, data sententia resecuit atque amovit.

Benedictus duodecimus et Clemens sextus, rom. pontifices, ab Ludovico Bavaro imperii fascibus abrogatis atque de Mediolani et totius Insubrie dominatu, cui adjudicaretur, durante contentione, quousque suo decreto questio tolleretur, Luchinum et Joannem, archiepiscopum vicecomitem, illius provincie vicarios pontificia auctoritate assignarunt et confirmarunt.

Clementisque ipsius mandato electores Carolum, Joannis, Bohemie regis filium, ad imperii apicem delegere.

Innocentius quoque sextus — ut plerosque alios pontifices brevitate omnittamus — Venetos et Genuenses diu inter se maritima pugna acerrime dissidentes, Pisanosque et Florentinos super limitibus et vicinis terris invicem decertantes, assignato cuique, quod suum esset, a bello desistere et pacem inire coëgit.

Pontificis igitur judicium nec tu, Sigismunde, rex piissime, nec Albertus, inclytus nepos tuus et magnus Prussie magister, in hac controversia ullatenus evitare aut honeste declinare potestis, quandoquidem et ad illum cause hujus cognitio pertineat et longe majora ac gravioris momenti christianorum principum dissidia et super regnis et romano imperio contentiones romani pontifices, Christi dei ac principis nostri veri in terra vicarii, intermisso bello et suspensis armis diffinierunt, sententiamque suam pontificia majestate ac decreto roborarunt at obfirmarunt. Nec illos principes imitari debes, qui armis atque potentia jus sibi dicere facereque consuevere, sed eos, qui pii, qui religiosi, qui christianum et innoxium sanguinem terris omnibus et regnis anteponentes non tumultu bellico, non militari manu, sed jure atque sanctorum patrum decreto sive arbitrio, quod suum esse censebant,

perquisivere

perquisivere et adepti sunt, Christique veraces cultores et christiane pacis observatores con- MDXX.
stantissimos se ipsos exhibuere. Hanc tuis excelsis virtutibus et rebus gestis, hanc tuis sublimibus preconiis laudem quoque adjicere, rex gloriosissime, hanc in te pietatem erga deum optimum, hanc in te erga christianam tranquillitatem clementiam, hanc in te erga romanam ecclesiam insignem venerationem ostendas atque illam in te speculetur, in te admiretur de teque concionetur et declamet christianus orbis universus. Hoc de tua augustissima probitate, sanctum, religiosum piumque et egregium facinus, Sigismunde, chartis inscribatur, perpetuisque annalibus commendetur ac Sigismundo, Sarmatie regi invictissimo, nihil ad gloriam defuisse dicatur, qui omnem in re pruthenica causam suam, ut christiano sanguini parceret, ut christianis rebus consuleret princeps religiosissimus in arbitrium ac censuram beatissimi Leonis decimi, rom. pontificis, supplex et venerabundus reposuit christianisque principibus omnibus — uti ea tempestate annis et etate pater erat — ita et se eis religionis et pietatis omniumque virtutum exemplar reliquit. Quod ut facias, omnis et divina et humana ratio expostulat nosque, princeps optime, votis omnibus obsecramus, quum et ipse reverendissimus et Illris. magister hoc idem nec detrectare nec refugere possit.

Ceterum ut religioni tuisque probatissimis votis satisfaciat pontifex, pie memorie Casimirum, germanum olim tuum dulcissimum, sanctissime vite meritis ac miraculorum virtute preclarum, in sanctorum catalogum referre cupiens, nobis accuratissime mandavit, ut de ejus sanctimonia, integritate ac mundicia gloriosisque miraculis actitata hucusque monimenta mature perspiciamus omnesque ad id necessarias agamus investigationes, quas et scripto redactas ad ipsum beatissimum antistitem sacrumque s. rom. ecclesie senatum vel nobiscum afferamus vel transmittamus. Ad quod opus tanto nos omni corde promptiores accingimus, quanto et mirabilis magis est deus in sanctis suis. Hec sunt, rex clarissime, que Celsitudini tue apostolico jussu significanda suscepimus. Nonnulla quidem alia fidei nostre credita habemus, que pro christiane reipublice incumbentibus rebus pontificis mandato, quum tibi injucundum non erit, semotis arbitris aperiemus. Dixi.

CXCIII. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, datum Zacharie, Epo. Gardiensi, et Thedaldo, Nunciis apostolicis. XIV. Marcii.

Sacra regia Mtas. suscepit omni gratitudine et reverentia benedictionem sanctissimi domini Cod. G. R.
nostri agitque et habet gratias, quas potest majores, ejus Sanctitati de hoc officio et cura paterna, quam gerit in se ac regnum et dominia sua, ut que intelligens res ejus Mtis. in continuo motu bellico constitutas, miseritque huc vestras Dtiones. ad illas pacandas idque omne obeundum, quod opportunum et salutare Mti. sue regnoque et dominiis suis esset futurum. Mtas. sua Serenissima uti hactenus consuevit ita et deinceps curabit hanc illius pietatem paternam omni studio, observantia et viribus suis erga illam et ejus sanctam sedem perpetuo demereri. Habet etiam ejus Mtas. commendatas singillatim personas vestra-

MDXX. rum Dtionum. et illis pro affectu et studio isto, quod erga Mtem. suam preseferunt proque his laudibus, quas ejus Mti. gravi et eleganti oratione tribuerunt gratias habet non vulgares. Cum autem Dtiones. vre. lassitudinem itinerariam paulo sedaverint, Mtas. sua cum illis id agere et tractare dignabitur, quod ex usu rei christiane et dignitate tam sanctissimi domini, quam ejus Mtis. futurum videbitur.

Laudat autem summopere et probat Mtas. sua sanctissimum et maxime necessarium studium, curam et institutum illius Sctis., quod omnes reges et principes christianos ad quinquennales inducias et deinde ad bellum et communem expeditionem contra Turcam suscipiendam persuadere et exhortari non desistit.

Dominoque deo gratias agit Mtas. sua, qui hanc illius Sanctitati mentem inspirare dignatus est pro vindicanda salute et bono statu rei christiane adeo nunc ut nunquam alias magis in discrimine constitute. Mtas. enim sua Serma. ut ea, que assidue humeris suis hanc molem Infidelium sustinet, nihil unquam magis desideravit, quam hoc aliquando faustissimum tempus futurum, ut omnes principes christiani unanimi consensu et coactis viribus tandem ad redimendum periclitantem reipublice christiane bonum statum consurgerent; verum de hac ipsa generali expeditione Mtas. sua Serma.: alio tempore plenius tractare et conferre cum vris. Dtionibus. dignabitur.

Quod vero vre. Dtiones. nomine illius Sctis. postulant et hortantur: ut Mtas. sua Serma. pacem iniret et amplecteretur cum nepote suo Illri. dno. magistro ordinis S. Marie Teutonicorum in Prussia, non dubitat Mtas. sua satis constare illius Scti. ex literis et nunciis suis: quantas molestias et adversitates idem Illris. dnus. magister Mti. sue semper exhibere consuevit, premendo subditos illius vectigalibus insolitis, vadimoniis, carceribus, spoliis, grassationibus, incendiis, cedibus ac aliis variis ac indignis modis, ut illos ad defectionem ab ea cogeret, et subinde toto tempore delectus faciebat, arma, pontes, tormenta ac alia bellica instrumenta parabat, suggillando Mtem. suam indignis crimininibus apud christianos principes et impingendo illi hec facinora, que ipse adversus illam patrabat auxiliaque sibi adversus illam comparando.

Que omnia cum usque huc patienter ferret ac dissimularet Mtas. sua, id subterfugiens, quod semper horruit, ne arma sua, quibus assidue molem Infidelium sustinet, in populum christianum converteret, ille abusus hac patientia et equanimitate Mtis. sue suique debiti, sue professionis ac etiam vinculi sanguinis immemor, conspiravit adversus Mtem. suam cum ejus, immo totius christiane reipublice hostibus, Moscis et Tartaris, et nullo illi bello indicto eduxerat magnum militum numerum ex Germania ipseque in procinctu fuit, Mtem. suam inopinantem et aliis bellis cum Infidelibus occupatam adoriri et subditos ejus partim ad defectionem, partim etiam ad prestandum sibi liberum transitum per loca munita sollicitavit.

Quibus rebus ingenti motu ac trepidatione in his terris Prussie facta, coacta est Mtas. sua posthabitis omnibus negotiis et tempore hiberno, bello minime congruo, huc cum exercitu venire, ubi longo tempore adhuc expectans, ut ille resipisceret ac debitum suum prestaret, illumque in sua pertinacia et hostilitate constantem videns, facere aliter non potuit, quam illum, quod hactenus vitavit, bello aggrederetur.

Quod

Quod ceptum Mti. sue domino deo propitio prospere succedit; gentes enim Mtis. sue, qua- MDXX.
cunque per eam terram eunt, omnia libere ferro et igni populantur, arces plerasque et civitates ac oppida, nonnullos etiam non vulgares captivos interceperunt.

Non videtur itaque Mti. sue, ut, rebus sic stantibus, arma, que ex tam justissimis causis sumere est coacta, ad presens deponat, facere enim id absque gravi suo et subditorum suorum dispendio atque incommodo non posset, sed et hostis Mtis. sue, ut est homo nimium confidens viribus suis, ubi id nunc fieret, crederet, se timeri occasionemque sumeret suam libidinem deinceps sevius atrociusque explendi.

Grata est tamen plurimum Mti. sue hec cura et studium vestrarum Dtionum. quod obtulerunt et curabit, id illis omni favore et beneficentia sua regia semper referre.

Quia vero Sctmus. dnus. noster commisit vris. Dtionibus. nonnulla etiam alia negotia curare et agere in Mg. duc. Lithuanie, censet et postulat Mtas. sua, ut vre. Dtiones. interea temporis illuc proficiscantur et munus sibi injunctum diligenter obeant. Ubi autem postea videtur, esse opus tractatibus aliquibus cum ipso dno. magistro, tum demum Mtas. sua id vris. Dtionibus. declarabit.

CXCIV. Achilles de Grassis, Cardinalis Bononien. P. Tomicio, Epo. Vicecancellario,

Rde. in Christo pater et domine tanquam frater honorande. Cognoscens Sermi. regis nostri Cod. G. R.
animum erga me sincerum et optimum, nonnullis etiam sue Mtis. accedentibus pollicitationibus et ne Mtas. sua retardetur mecum agere sine aliquo regni detrimento, quod alii reges cum suis protectoribus consueverunt, obtinui a summo pontifice breve, ut quecunque beneficia fuerint mihi in isto regno concessa post mortem meam nullo modo in curia romana reserventur, sed ad regiam Mtem. revolvantur; quod eidem per presentem apostolicum nuncium transmitto. Et rogo obsecroque Dtionem. vestram rev. pro fraterna amicitia nostra, ut apud Mtem. ipsam ad aliquid consequendum mihi velit esse auxilio: ut omnes cognoscant, me regi munificentissimo servivisse et Mti. sue me charum esse. Nuncius ipse latius super hoc nomine meo cum rev. Dtione. vra. aget, cui dignetur fidem prestare et me quandoque suis literis de rebus, que istic agantur, certiorem reddere. Qua re non posset mihi rev. Dtio. vra. facere gratiorem. Cui me commendo et bene valeat.

CXCV. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Carolum V. electum Romanorum et Hispaniarum Regem.

Data Hieronymo Laski X Aprilis MDXX Thorunii.

Sacra Mtas. Sermus. princeps, dnus. Sigismundus, Polonie rex etc., dnus. meus clementissi- Cod. G. R.
mus, vre. Mti. plurimam salutem, felicissimos successus et omnium honorum incrementum dicit

MDXX. dicit et optat. Utque Celsitudo vra. votis suis omnibus fruatur provehaturque in dies magis in omnem honoris, glorie et nominis sui accessionem, id illius Mtas. Serma. semper et ex animo audire desiderat.

Offerenda demum litere,
quibus lectis dicendum:

Excellentissime rex. Licet Sermus. dnus. meus fuerit jam pridem vre. Celsitudini de assequuto culmine imperatorio cum per nuncium suum, dominum Joannem Dantiscum, quem apud illam antehac habuit, tum etiam per literas suas gratulatus.

Pro ea tamen arctissima necessitudine, amore et conjunctione, que illi cum defuncta cesarea Mte. et vestra Celsitudine intercedit, nec non pro illa cura et studio suo, quo una cum Sermo. dno. Ludovico, Ungarie et Bohemie rege, nepote suo charissimo, tam hoc negotium provectionis vre. Mtis. cordi habuit, tamque illud, quantum ejus facultatis erat, obiit et curavit, quam quodvis suum proprium.

Visum erat illius Mti. Serme. suo sibi officio non usque quaque satisfactum iri, nisi nuncio singulari gratulationem hanc iteraret ac suum animum et affectum vestre Mti. clarius testaretur.

Mittere me igitur voluit Mtas. sua Serma. ad vestram Celsitudinem hac imprimis causa, ut eam nomine suo viserem illique de adepto solio isto celsissimo et digno nomine et virtute Mtis. vestre toto studio gratularer, in quo illam diutissime presidere, felicissime imperare, rem christianam augere et nomen famamque sibi clarissimam et perpetuam comparare illius Mtas. Serma. sperat et toto affectu desiderat.

Accessit deinde huic rationi, quod illius Mtas. intellexit, vestram Celsitudinem in Germaniam proficisci debere, atque ita non alienum ab officio suo putavit, mittere me obviam vre. Mti., ut in hac illius profectione felicissima obire id totum suo nomine, quodcunque ad rem et dignitatem vre. Celsitudinis pertinere videretur.

Et ut preterea tam amici quam etiam inimici Mtis. vre. viderent et intelligerent, quam illius Mtas. vre. Celsitudini afficiatur, quam rebus et honori illius studeat, quam denique ipsa una cum Sermo. dno. nepote suo nulla in re Mti. sue deesse neque unquam se ab illa separare velit, et pro necessitudine ac conjunctione sua possit ac debeat.

Ceterum, excellentissime rex, quemadmodum Mtas. vra. significare dudum Sermo. dno. meo dignata est, se cum toto collegio Velleris aurei decrevisse, illum in societatem ejus ordinis accipere, et ipse Sermus. dnus. meus optavit, capitula prius observationis ejusdem societatis videre, ne quid in illis contineretur, quod illi prestare non esset integrum, vra. vero Mtas. dignata fuit, illi capitula ipsa mittere, in quibus illius Mtas. cognovit, omnia esse honesta, decentia et ad prestandum a se non difficilia, gratiosissimo animo suscepit hoc munus a sua Mte. et pro hac benivolentia illi gratias egit amplissimas. Quomodocunque autem illius Mtem. vra. Celsitudo edocebit, quid ad eam rem facto sit opus, id totum quam libentissime prestabit et exequetur.

Privatim dicendum.

Invictissime rex. Non dubito, perlatum jam ad Mtem. vram. esse de orto bello inter Sermum. dnum. meum regem et Illrem. dnum. magistrum ordinis Sct. Marie Theutonicorum de

de Prussia, causas autem belli hujus non posse satis vre. Celsitudini constare, cum ob etatem adhuc teneram, tum ob longam illarum regionum distanciam, ad quas explicandas opus quidem esset, altius res pruthenicas repetere, presertim, quibus initiis ordo ille coaluerat; sed quia longa est historia, longe ambages, ne Mti. vre. Serme. fastidio sim, hoc in summa totum accipiat. MDXX.

Introductum fuisse ipsum ordinem ad terras Prussie et loca ac ditionem illam ei a principibus Polonie datam hac conditione, uti se contra vim Infidelium, qua tum undique septi erant, juvaret et cum illis una militaret.

Qui firmatis illic rebus suis et radicibus bene actis, cepit sensim occupare latius terras ipsorum principum Polonie et illos pro Infidelibus armis impetere. Vnde cum utrinque multa essent acta prelia, multi item tractatus et concordie sequute, nihil tamen unquam adeo firmum et certum confici potuit, ut non ordo ipse per omnem occasionem illud infringeret ac violaret.

Ad extremum, post ingentem belli molem, que per Sermos. olim reges, avum et parentem Mtis. dni. mei et ordinem ipsum agitata fuit, qua tantum impendii fuit factum, tantum sanguinis christiani fusum, quantum nulla ratione possit estimari, subsequuta fuit solennis concordia Pauli II, summi pontificis auctoritate, ipsiusque legati ac aliorum principum medio, quam etiam ordo ipse sensim labefactare cepit, dehinc modernus dominus magister, nulla justa causa et ratione habita, totam dissuit et irritam fecit.

Post assumptum enim ejus ordinis regimen idque annuente Mte. dni. mei et sperante, illum, ut necessarium et nepotem suum, equanimiorem observantioremque pacis et debiti sui futurum, cepit mox omnia in illius Mtem. hostilia moliri, arma et tormenta bellica comparare, arces et civitates munire, premere variis et indignis modis subditos Mtis. sue vectigalibus insolitis, vadimoniis carceribus, spoliis, latrociniis, incendiis, cedibus, aliisque innumeris cladibus ac maleficiis, que satis verbis explicari non possunt.

De quibus cum illum sepe per literas et nuncios suos illius Mtas. humaniter ac benigniter admonuisset, nihil unquam proficere potuit, quin etiam ille abusus hac tolerantia et equanimitate illius Mtis. sueque professionis, sui debiti, ac etiam vinculi sanguinis immemor conspiravit adversum ejus Mtem. cum illius, immo totius christiane reipublice, hostibus, Moscis et Tartaris, auxiliaque contra ejus Mtem. ubique apud christianos principes et fortasse etiam apud Celsitudinem vram. comparabat, famam et honorem illius Mtis. innumeris et indignis modis suggillando ac impingendo illi hec facinora, que ipse adversum illam patrabat.

Que omnia diu admodum illius Mte. patiente ac tentante prius quecunque alia, quibus ille contineri potuisset, quam in consanguineum et populum christianum arma sua stringere deberet. Novissime, ut jam vre. Celsitudini constare potest, eduxerat adversum illius Mtem. ex Germania magnum militum numerum, nullo illi bello indicto, ut eam inopinantem et aliis bellis cum Infidelibus occupatam adoriri potuisset, jamque delectum hominum in terra sua facto et machinis aliisque bellicis instrumentis pro arbitrio suo dispositis, erat in procinctu irrumpendi terras illius Mtis., et subditos ejus partim ad defectionem partim etiam ad prestandum sibi liberum transitum per loca munita sollicitavit.

MDXX. Mtas. dni. mei videns hoc illius pertinax et hostile inceptum eo patentia sua processisse, ut jam non liceret, nisi armis subditos suos tueri, coacta fuit, tempore bello minime congruo et posthabitis omnibus negotiis suis, ad terras suas Prussie cum apparatu bellico venire. Ubi longo tempore adhuc illius Mtas. expectans, ut ille resipisceret, et sibi debitum suum prestaret, nolens et omnibus modis etiam atque etiam declinans arma sua, quibus assidue molem Infidelium sustinet, et non solum a suis finibus, sed aliis etiam vicinis dominiis arcet et propulsat, in christianum principem et suum consanguineum convertere. Videns autem et cognoscens illum ejus Mtas. in cepto et hostilitate suo persistere, neque ullis rationibus dignis aut modestia illius Mtis. permoveri, necessarium tandem sibi ejus Mtas. putavit, illum, quod hactenus omni studio vitavit, bello aggredi et tueri armis subditos suos. Quod vestre Celsitudini ejus Mtas. significandum duxit, quemadmodum videlicet ipse dnus. magister ejus Mtem. a bello continuo, quod multo labore, impendio et sanguine cum Infidelibus gerit, omnibus modis remitentem distraxit, et id secum ejus Mtem. agere coëgit, quod sua mens semper abhorruit. Vnde maxima rei christiane incommoda et perturbationem sequuturam dubium non est, et cum pauci norint et perpendant, quanta hec moles calamitatis sit a Scismaticis et Infidelibus, quam illius Mtas. suis humeris et solis viribus suis sustinet, futurum erit aliquando, ut illa ab hoc negotio cessante constabit omnibus, quantum illa et gentes ejus de re christiana merentur.

Rogat itaque Sermus. dnus. meus majorem in modum Celsitudinem vram., ut causam hanc suam justissimam commendatam habere eique favore et consilio suo adesse dignetur, quod ejus Mti. vestra Celsitudo rectius prestare poterit, quam ullus alter, ut que ignorare non possit, quantum olim ejus predecessores, reges Hispanie, cum eodem ordine in regnis suis negotii et laboris habuerunt, et quo denique remedio usi sunt ad providendum sue et regnorum suorum tranquillitati. Mtas. illius Serma. hoc officium et benivolentiam Celsitudinis vre. pollicetur vicissim illi omni studio, viribus et facultate sua, quacunque poterit, semper referre.

De hereditate Neapolitana.

Preterea, sacratissime princeps, miserat Sermus. dnus. meus rex ad vram. Mtem. predictum nuncium suum, dnum. Joannem Dantiscum, qui ageret apud illam, ut hereditas testamentaria Illme. dne. Isabelle, ducis mediolanensis, per Sermum. olim dnam. Joannam, reginam Neapolis, illi legata, per vram. Celsitudinem illi confirmaretur. Quod negotium post longam ejusdem Celsitudinis vestre deliberationem in jus traditum et decisum est contra dictam Illmam. dominam ducem Isabellam forte magis errore advocati, quam ulla alia culpa, quare licet adhuc reservata sit illi actio super petitorio, tamen quia Mtas. dni. mei nollet illam judicium aliquod cum. vra. Celsitudine subire, sed deferendam ducit potius totam hanc causam gratie et fraterne charitati vre. Serme. Mtis. absque ullo juris strepitu terminandam, rogat impense illius Mtas., ut vra. Celsitudo rationem habendo affinitatis et officii in se ejus Mtis. dignetur in eodem negotio gratiam ipsi Illme. dne. duci absque juris actione de sua mera benignitate exhibere, quod illius Mtas. vestre Celsitudini pari gratificatione in omnibus, quibus poterit, referre curabit.

CXCVI. SIGISM.

CXVCI. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo Austriaco, Cesari cathol.

Postulante amore et studio nostro, quo Mtem. vram. prosequimur, mittimus ad invisendam illam generosum Hieroslaum de Lasko, incisorem mense nostre nobis fidelem dilectum, et ad referendum simul Mti. vre. nonnulla negotia nostro nomine, quam plurimum rogamus, ut et plenam illi fidem adhibere et in iis, que retulerit, ita se erga nos exhibere dignetur, ut benivolentia, conjunctio et necessitudo nostra mutua requirit, et quemadmodum nos de illa plane nobis persuademus. Id quod vre. Mti. omnibus officiis nostris referre curabimus. Que felicissime valeat et nos mutuum amet. Thorunii X. Aprilis. MDXX. Cod. G.

CXCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Domine Margarethe.

Illustrissima princeps et dna. consanguinea nostra charissima. Mittimus hunc nuncium ex patriciis regni nostri ad Sermum. dnum. Carolum, Rom. et Hispaniarum regem, in negotiis nostris non vulgaribus; de cujus Mte. quia Illma. Dtio. vra. certam habere potest scientiam, quibus in locis sit, et qualiter ipse nuncius illam tutius et celerius adire possit, rogamus Illmam. Dtionem. vram., illum edocere juvareque in his omnibus et commendatum habere dignetur. Factura rem sua humanitate et nostra mutua necessitudine dignam, quam illi vicissim volumus omni benivolentia et gratificatione nostra referre. Felicissime valeat vra. Illma. Dtio. et nos diligat. Cod. G.

CXCVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Georgio, Duci Saxonie.

Illme. princeps et dne. amice et affinis noster charissime. Mittimus hunc patricium regni nostri ad Sermum. dnum. Carolum in negotiis nostris non vulgaribus, qui cum per ditionem Illtis. tue iter est facturus, rogamus illam plurimum, ut ei et de tuto transitu providere velit, et ubi ipsum Sermum. dnum. Carolum invenire quibuscunque commodioribus viis proficisci ad illius Mtem. deberet, illum edoceat, quo nobis rem gratissimam faciet, quam illi omni benivolentia et pari gratificatione referemus. Valeat felicissime Illustritas vestra et nos diligat. Datum Thorunii X Aprilis. Cod. G.

CXCIX. SIGISM.

CXCIX. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Franciscum, Regem Gallie.

Hieronymo Laski data
Thorunii X Aprilis.

MDXX. Cod. G.R. Imprimis dicendum: quod Sermus. princeps, dnus. Sigismundus etc., Sermo. principi, dno. Francisco, regi Francorum christianissimo plurimam salutem, felicissimos successus et omnium bonorum incrementum dicit et optat.

Ut illius Celsitudo votis suis omnibus fruatur provehaturque in dies magis in omnem honoris glorie et nominis sui accessionem, id idem Sermus. dnus. Polonie rex semper et ex animo audire desiderat.

Offerenda demum litere,
Quibus lectis dicendum:

Quod cum anno superiori misisset ad Mtem. regiam Sermus. rex Francie oratores suos, declarando illi suam benivolentiam et postulando ab illa, ut sibi in assequendo imperio adesset, Mtas. sua gratissima existens de hoc illius Mtis. in se affectu et considerans, neminem magis idoneum fuisse imperio magisque utilem rei christiane quam illius Mtem., omni studio curavit una cum Sermo. nepote suo, dno. Ludovico, rege etc., ut illius Mti. christianissime commodare in hac re potuisset; verum quid factum sit eo in negotio, quo minus ex sententia cesserit, jam illius Mtas. christianissima liquido intelligere potuit.

Nihilominus Mtas. regia benivolentiam, quam erga illius Celsitudinem concepit, testari volens mittere vos ad illam deliberavit, ut eandem benivolentiam suam illi testatam faceretis et quod in omnibus rebus, quibus posset, illi cupiat ex animo semper placere et gratificari cum eaque firmam amicitiam et conjunctionem perpetuo colere et observare.

Referendum deinde: qualiter Mtas. sua distracta sit a bello, quod assidue cum Infidelibus gessit per magistrum Prussie. Jam enim a longo tempore premebat variis modis subditos Mtis. sue et aperta belli preparamenta faciebat, que Mtas. sua graviter et cum non parva indignitate sua eo usque ferebat, declinans arma contra principem christianum et suum consanguineum stringere, donec ille hac patientia obusus conspiravit adversus Mtem. suam cum ejus, immo totius rei christiane, hostibus, Moscis et Tartaris, ipseque, magnum militum numerum ex Germania educens, erat in procinctu Mtis. sue terras invadendi jamque nonnullos subditos Mtis. sue Pruthenos ad defectionem et prebendum sibi transitum ad reliquos sollicitavit.

Quibus rebus sua Mtas. permota continere se amplius non potuit, quin ad tuendum subditos ac dignitatem suam, arma contra illum sumeret eumque compescere et frenare decreverit. Quod Sermo. dno. regi Gallie Mtas. sua significare voluit, ut, si qui alii rumores ad illum per hostes et adversarios Mtis. sue deferrentur, eis fidem non adhibere, sed ejus Mti. in hac sua justissima causa consilio et favore suo adesse dignaretur, id quod illi vicissim vellet Mtas. sua omni studio et facultate sua semper referre.

Ceterum

Ceterum exponetis: quod Mtas. sua desiderat firma et sincera amicitia conjugi cum ipso Sermo. dno. rege Gallie, neque ullam rem esse, qua intelligeret illi vel commodare, vel gratificari se posse, quin eam non libentissime prestare et exequi vellet. MDXX.

Quare commendabitis hanc benivolentiam et propensionem ejus Mtis. ipsi christianissimo domino regi Gallie, non ex ullius necessitatis impulsu, sed ex mero affectu et amore promanantem rogabitisque illius Mtem., ut pari benivolentia, studio et favore complecti velit ejus Mtem., quo hec illam prosequitur et prosequi semper nullaque in re pro viribus suis illi deesse pollicetur.

Si objiciet aliquid, Mtem. regiam contra promissum suum in electione imperatoris fecisse.

Referendum erit: oratores dni. regis Gallie sic postulasse Mtis. sue suffragium, ut, si eorum rex non haberet nisi unum aut duo suffragia, daret ejus Mtas. suum cui vellet, si autem haberet tria, daret, vel quinque quartum et quintum similiter, si quatuor haberet. Quod illius Mtas., utcunque consensum ad hoc Bohemorum non habuit, pro quorum rege suffragari debuit, nec potuit merito contra conjunctionem, que sibi cum ipso regno intercedit, quidquam insciens et invitis illis in hac re facere; tamen commodare volens Sermo. domino regi Gallie et persuasa ab illius oratoribus, quod ad minus tria suffragia esset habiturus, promiserat secreto illis, se ubi ita compertum esset, quartum et quintum suo periculo illi daturam. Cum autem ad rem ventum fuit, nihil eorum apparuit, quod dicti oratores fuerant polliciti, unde majori ratione queri deberet Mtas. regia, quod illorum persuasione hoc promissum fecerat, quod et ante tempus non habitum est secretum, non modicam dissensionem concitare potuisset inter ejus Mtem. et Bohemos, qui indissolubili conjunctione et summa observantia Mtem. suam prosequuntur et cum quibus Mti. sue arctissima federa et amicitia intercedit, qui ad extremum obtinuerunt, quod oratores Mtis. sue suffragium non tulerunt: allegando, se singulare habere privilegium, ubi eorum rex vel decederet, vel legitimam etatem non haberet, neminem quam regnum Bohemie suffragium laturum, atque ita illorum primus suffragium ipsum tulit, potius quam cum illis ad dissensionem esset ventum. Oratoribus vero Mtis. regie solis nihil integrum fuit facere, nulla presertim habita significatione de his, que oratores dni. regis Gallie tot suffragiis pollicebantur, de quibus cum oratores nostri omnes electores tentarent, nullum eorum aliter dispositum invenerunt, quam totum in partem regis Hispanie, et proinde potuerunt ante aliqui sua suffragia Sermo. dno. regi Gallie polliceri, sed aliter fuit in effectu.

Si objicietur: loquutum fuisse pro domino rege Gallie Marchionem Joachimum cum Oratoribus Majestatis regie.

Dicendum: loquutum quidem fuisse tentantis more, et non declarare se tamen ipsum voluisse, cujus ipse partis esse vellet, et illos hoc videntes non ausos fuisse, quicquam cum illo solo confidenter agere, utpote cum hoste Mtis. regie, non apparentibus ullis certis indiciis et non existente illic legato pontificis et oratore domini regis Gallie, cum quibus de hac re ut in mandatis habuerunt consulere et certiores ab illi fieri de omnibus, qualiter

MDXX. agendum esset, debuerunt. Non dubitandum, quod ipse marchio querebat odium apud omnes Mti. regie conciliare, quum ab illis exigebat, uti consilia et commissa sua aperirent et ipse nulla certa testimonia pro domino rege Gallie, vel saltem indicia tam de se quam etiam de aliis ostenderet. Nec Mtas. regia suum suffragium ipsi dno. regi Gallie dare promiserat, nisi tum cum locus esset ferendorum suffragiorum et ille tria vel quatuor, ut dictum est, haberet, et hoc non cautelis aliquibus, sed ne in re dubia inimicitias sibi vicinorum regnorum et futuri imperatoris concitaret, prout et ipsi oratores dni. regis Gallie hoc improbaverunt. Oratores vero regie Mtis. ne dubiam quidem rem Mtis. regie invenerunt in conventu electionis, sed omnia pro dno. rege Hispanie apertissime agi ab omnibus et illos excludi, quicunque adversus illos fore putabantur. In summa voluntatis et propositi in hac re Mtis. regie testimonio esse potest summus pontifex ex illis literis, quas ei Mtas. sua respondendo commendationi pro domino rege Gallie scripserat, qui etiam utcunque eidem Sermo. regi Gallie favit, tamen videns, rem in partem dni. regis Hispanie declinare, mox in illum tota benedictione consensit et causa regni neapolitani cum illo dispensavit.

Si objicietur de dno. Raphaele, quod ad conventum illum fuit missus.

Dicendum: fuisse illum jam pridem ad hoc munus designatum, nec licuisse Mti. regie illum postea rejicere citra ejus ignominiam presertim veterem servum suum et bene semper in fide et ejusmodi legationibus conservatum. Omnem tamen facultatem non illi a Mte. regia, sed epo., ejus superiori college, datam fuisse. Unde si etiam contra fidem aliquid agere voluisset, nihil officere poterat.

Hec singula supra scripta notissima sunt et facile sic comperiri poterunt, nisi forte per hostes Mtis. regie aliter essent relata coram dno. rege Gallie, quibus ille juste fidem habere non debet, velantibus factum suum et in alios culpam immerito rejicientibus.

De his omnibus utcunque egeritis, erit virtutis et fidei vestre Mtem. regiam et me quam celerius edocere, ut Mtas. sua sciat, quid de benivolentia domini regis Gallie sibi polliceri debeat.

Nam quod ad ejus Mtem. attinet, ipsa desiderat firma et sincera amicitia conjungi cum ipso Sermo. domino rege Gallie, neque ullam rem esse, qua intelligeret illi vel commodare vel gratificari se posse, quin eam non libentissime prestare et exequi vellet. Quare commendabitis hanc benivolentiam et propensionem ejus Mtis. ipsi christianissimo dno. regi Gallie, non ex ullius necessitatis impulsu, sed ex mero affectu et amore promanantem. Rogabitisque illius Mtem. christianissimam, ut pari benivolentia, studio et favore velit ejus Majestatem, quo hec illam prosequitur et prosequi semper nullaque in re pro viribus suis illi deesse pollicetur.

CC. PETRUS

CC. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Cast. Capitaneo.

Mgce. dne., dne. et fautor colendissime. Feria II Pasche venerunt huc oratores principum MDXX. Germanie et die sequenti sunt auditi. Declararunt imprimis: principes suos multum in- Cod. G. doluisse, cum intellexerint bellum inter Mtem. regiam et magistrum Prussie esse exortum, partim quod res christiana ex hujusmodi discordiis principum Christianorum in discrimen adducatur' partim quod intelligerent, nobilitatem germanicam propterea non leviter tumultuari, quare cupientes hoc ipsum bellum vel in totum tollere, vel per inducias aliquas et rejectionem in arbitros aut arbitratores intercipere, presertim quod cum utraque parte sibi multe et arcte necessitudines intervenirent, se mittere huc voluisse paratos ad obeundum munus sibi injunctum, his modis et conditionibus, quas Mtas. sua proponere dignabitur, et futuros se promittentes bonos et fidos mediatores et rogantes, ut Mtas. sua ut princeps christianus causa principum suorum ad equam concordiam et pacem accedere et secum de illa tractari permittere dignaretur.

Respondimus illis hesterno die et commendavimus imprimis hoc studium et curam Illrium. principum suorum quam bono statui rei christiane providentes adhibent, ut hoc belli incendium restringerent et pro tanto illorum affectu gratias illis amplissimas egimus. Diximus deinde: non dubitare Mtem. regiam quod Illme. Dtiones sue ex animo indoluerunt, rem ad eos terminos devenisse, quum et ipsa Mtas. sua intelligens, quantum mali afferat secum bellum, et que illud hactenus non solum non consuevit gerere cum ullo christiano principe, sed etiam tam pro vicinis dominiis quam suis continue se opponere, et immensam vim Infidelium suis humeris sustinere solet, cum ingenti dolore suo arma contra ipsum dnum. magistrum ut christianum principem et consanguineum suum sumere sit coacta, coacta quidem tot injuriis et damnis, que illi Majestati sue Serme. intulit, premendo a longo tempore variis modis subditos Mtis. sue et bello contra illam, inita indignissima societate cum ejus hostibus, Moscis et Tartaris, et eductis jam gentibus, instructo. Utcunque autem Mtem. suam diu admodum ferentem et cum non mediocri sua indignitate gravissimas injurias dni. magistri, admonentemque illum sepissime literis et nunciis suis, ut se continuisset, nihilque intentatum relinquentem, quominus ad arma deveniretur, ac nihil unquam proficientem, bellum justissimis ex causis magis propulsare quam aggressam esse, et consuevisse, Mtem. suam Sermam. unumquodque suum opus et institutum ut minime leviter incipere sic ceptum constanter prosequi, tamen causa rei christiane et Illrmorum. principum suorum, causa etiam Sctmi. dni. nostri, qui per oratores suos pro pace et concordia etiam operam et auctoritatem suam interponit, non detrectare Mtem. suam ad equam, honestam et se dignam concordiam accedere, verum revolventem animo Majestatem suam priores actus, tot tractatus, tot concordias et pacem perpetuam denique in bellis superioribus factam, nihilque ab ordine hoc fuisse observatum, sed per omnem occasionem violata et rescissa fuisse per eum omnia. Considerantem etiam Mtem. suam, non satis tutum aut consultum esse de pace et concordia tractare cum illo, qui pacta, federa et juramenta

MDXX. menta sua minime observare consuevit, non intelligere Mtem. suam, quibus rationibus et modis certa et firma pax tractari debeat, sed si dni. oratores intelligerent et scirent, qualiter hoc negotium aggrediendum esset, ut ad bonum et solidum finem perduci possit, declararent ipsi Mti. sue, et ipsa postea faceret id, quod ex usu rei christiane et dignitate sua futurum videretur.

Hec fuit summa et effectus responsi nostri, super quo ipsi deliberant et quid deinceps proponent, sique cum illis ad aliquos tractatus deveniemus, postea vre. Mgcie. perscribam, cujus egritudini multum indoleo, et cupio ut sit semper cum suis omnibus sospes et incolumis et felix, meque illi plurimum commendo.

CCI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castell. Posnaniensi.

Cod. G. Mgce. dne. et fautor colendissime. Heri descripsi vre. Mgcie. summam et effectum legationis oratorum, qui missi sunt a principibus Germanie et item responsi illius nomine regie Mtis. dati, et in quibus terminis tota res resedit, posthac vero nihil est renovatum preter id, quod oratores regni Swetie huc hesterna vespera appulerunt, quos constans fama habet, se subdere velle Mti. regie et suppetias illi contra ducem Moscovie ferre et insuper tributum quotannis ei solvere. Hi posteaquam audientur, et quid illis fuerit responsum, a vestigio vre. Mgcie. scribere curabo. Cui me et servitium meum commendo et que valeat. Datum etc.

Hodie retulerunt dni. oratores principum Germanie, se plurimum gratos esse de responso sibi dato ac nomine principum ac dominorum suorum egerunt Mti regie amplissimas gratias, habereque se dixerunt nonnulla media concordie et pacis stabiliende, sed non posse tamen illa se in medium afferre, nisi prius exploratam haberent mentem et voluntatem dni. magistri. Itaque petierunt, ut Mtas. regia permitteret illis nuncium cum literis ad ipsum magistrum mittere, quod illis est admissum, hodieque is ipse nuncius per eos est expeditus, et priusquam redierit, nihil cum nunciis ipsis tractari poterit.

CCII. Sigismundus, Rex Polonie, Job, Epo. Pomesaniensi.

Cod. G. R. Rnde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Accepimus literas vre. Ptis., quibus scribit, se ad terminum sibi per nos cum Andrea Galczewski prefixum mittere huc consiliarios suos voluisse, sed interea cladem illi esse illatam ab exercitu nostro, commemoratque suam erga nos propensionem et quod aliam a nobis spem expectavit petitque, ut salvo conductu se aut consiliarios suos ad alium terminum cum dicto Galczewski provideremus. Si vestra Ptas. recte cum se discutere vult, qualiter illi nos semper exhibuimus, non aliter inveniet, quam

quam integrum in se favorem nostrum, et postremo recolligat, que per Georgium Targo- MDXX.
wski jam hic existentes ad illam significavimus. Quibus cum se accommodare et responsum ad illa certum dare non curavit, id quod queritur, nostra culpa non est. Quod vero ad terminum cum Galczewski attinet et salvum conductum Pti. vestre aut ejus consiliariis dandum, intelliget vel jam intellexit ex literis Georgii Targowski, qui ex instructione domini archiepiscopi gnesnensis jam de hac re plene ad illam scripsit. Bene valeat vestra Ptas. Dat. Thorunii.

CCIII. Responsum ab Episcopo Varmiensi et ab ejus Capitulo, datum Nuncio Sigismundi, Regis.

Gratias agimus immortales s. Mti. regie, dno. nostro clementissimo de benigna et inclinata Cod. G. R.
in nos gratia et quod tanta sollicitudine ad res ecclesie nostre animum adjecerit et Dtionem. vram mittere huc dignata est.

Et cum Mtas. regia Dtionem. vram. mittere voluerit, ut perspiceret, quibus damnis et incommodis et nos et bona ecclesie nostre sint affecta, paucis aperire cogimur, que utinam obticere liceret. Que scripsimus ad Mtem. regiam de iis atque aliis omnibus verissima esse omnia, nemo est in vivis, qui non optime sciat, hec nos incommoda non ab hoste, sed a regio milite passos esse.

Inprimis enim districtus Tolkemittensis a regio milite exustus atque eversus est, posthac paulo ab hoste oppido Frawenburg incenso et conflugrato: cum districtus ille in villis, hominibus et pecoribus undique ab hoste illesus servaretur, superveniens regius miles, a quo pauperes defensionem sperare debebant, villas compillatas et omnibus rebus bonisque exhaustas incendit.

In Braunsbergk autem cum magister solum oppidum intercepisset, regius miles districtum adortus, omnibus in eodem direptis, villas pariter incendit districtumque funditus evertit.

In districtum vero Melsak irruentes regii, cum omnem hominum substantiam et suppellectitem abstulissent et ultra centum sexagenas jumentorum abegissent villasque conflagrassent, pauperes in oppidum Melsak fugientes et tuitionem querentes, ad hostem profugerunt, post etiam regio exercitui se dediderunt. Qui discedens, cum non satis validum in oppido presidium idque etiam sine apparamentis repugnationis dimisisset, magister demum oppidum vi expugnavit et in favillam redegit. Regio vero milite oppidum Melsak tenente ville nostre ab eodem in districtu Wormidittensi a Melsak usque Wormiditt desolabantur: itaque quod capituli et nostri coloni in Wormiditt secedere coacti sint, qui ex crudelitate et tirannide militum regiorum cum sua diripi, sacra profanari, filias in conspectu patrum constuprari, senes fustatim concidi cernerent, commoti, oppido etiam nostro Wormiditt in manus magistri fere prodito me exuissent. Quod vel hinc satis liquet cum et adventanti regio militi portas clausissent nec sanguine nobis junctos et per nos vocatos intromittere voluissent, quibus omnibus obviari potuisset, si qui potestatem habent in exercitu,

MDXX. que mandato regie Majestatis vetuerant, in executionem posuissent atque in transgressores animadvertissent.

Gavisus sum quidem, cum audissem, dnum. Janussium Swirczewski, castellanum Zarnoviensem, advenire et disciplinam militarem dissolutam in melius redigere debere; verum tamen, quid fructus ex hac missione mihi acciderit ecce, coram videtis, cum modo tres cohortes Mazovitarum ex altera parte Passarie fluminis primum in districtum Wormidittensem irruerunt, omnia illic vastantes et spoliantes, quamvis antea pecuniam, avenam, victualia et omnia necessaria ab hominibus exegerint ipsosque, fide non servata, nihilominus bonis omnibus exuerunt. Hoc districtu ergo spoliato et desolato, cum istic nihil amplius possent diripere, districtum etiam Guttstatenem adorti, eundem vastant, ut ipse ex pauperum querelis incessantibus satis audistis, quos non satis habent bonis exuere, sed etiam variis cruciatibus pecunias ab eis extorquere non cessant, adeo ut etiam hostis cum nostris, quam ii milites, mitius agat. Qui quidem hostis in die Palmarum, quamvis aliquot villas expillasset, tamen penitudine ductus ablata restituit, presidium autem regium in Frawenburg altera die post Palmarum mox in Wormidittensem districtum irruit et quatuor villas nostras, tres capituli vastavit, una funditus nobis concremata. Et quamvis his malis defensione et repugnatione nostrorum possemus resistere, tamen in gratiam Mtis. regie et ne quid hosti solatii pararemus, hactenus supersedimus. Et subditi quidem nostri diutius hec mala ferre nolunt defensionemque a nobis petunt, at ubi eos defendere noluerimus, alium sibi querere defensorem minantur. Cogimur formidare, ne dum districtus et oppida perdiderimus, ipsi quoque a subditis nostris hostibus offeramur. Unde rogamus, quatinus Majestas sua regia his malis occurrere dignetur.

Agimus etiam gratias reg. Mti. quod cum presidia equitum deducere ex oppidis nostris per campiductorem velit, nihilominus oppida eadem vacua relinquere nolit, sed ea peditum munire presidiis decreverit; quamvis autem Mtas. sua ex regia clementia trecentos exhibeat, ducentis tamen sufficiemus.

Scire autem desiderat Mtas. sua consilium nostrum, an magis Hollandt et Braunsbergk expugnare, an magistrum, ubi modo est, obsidere expediat. Mihi in hac re visum est, quod ante adventum novi exercitus ex Bohemia et Moravia, hi, qui nunc ante Hollandt sunt, ibidem se exerceant studeantque hac arce potiri. Si autem interea temporis, quod Deus prohibeat, arce ista potiri non possent, ut arx cum oppido circumvallarentur et munitiones circa vallum extruerentur relinquerenturque in iis opportuna presidia, ne quis exire arcem ab hostibus vel ingredi posset, quodque totus reliquus exercitus cum machinis in Konigsbergk aut ubi magister inveniretur, moveretur. Posset eo per aquam ex Thorunia, Gdano et Elbingo omnis commeatus exercitui adduci. Nec id Konisbergenses possent vetare. Exercitus etiam facile pontem sibi trans flumen Pregla strueret, unde et in Sambiam et Notangiam posset excurrere, unde oppidula defensione vacua facile ad deditionem venirent, et civitas ipsa Konisbergk, factionibus plena, deficere a magistro ad Mtem. reg. cogeretur.

Speramus hec omnia in bonum finem deducenda, postquam novus exercitus veteri et novi college domino campiductori adjicientur, prout latius Dtio. vra. ex informatione, quam oretenus feci, sacre Mti. regie cum humili mei commendatione referet.

CCIII. LUDOVICUS,

CCIV. Ludovicus, Rex Vngarie, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. princeps et dne. patrue noster charissime atque honorande. Cum nuper Mtem. vestram per venerabilem Balbum, doctorem, prepositum, secretarium et oratorem nostrum, de profectione nostra in Bohemiam consuluissemus, visum fuit Mti. vre., ut transitum nostrum conventu nostro posoniensi anteverteremus et illic cum Mte. vestra tum de ratione profectionis nostre tum de rebus aliis nostris regnorumque nostrorum tractaremus. Medio vero tempore Mtas. vra. bello pruthenico implicata nobis rescripsit, se non posse ad diem statutum locumque conferre, petendo a nobis, ut tantisper Mtem. vram. et ejusdem nobiscum congressum opperiremur, dum ex hujusmodi belli difficultatibus aliqua saltem ex parte sese explicare posset. MDXX. Cod. G. R.

Quoniam vero nos antea statibus regni nostri Bohemie ingressum summopere mirumque in modum eflagitantibus polliciti fuimus: ex hoc ipso posoniensi conventu consulta Mte. vra. in medium ipsorum recta nosmet ipsos recepturos, videntes conventionem nostram pro condicto die fieri non posse, miseramus oratores nostros insignes in Bohemiam, qui nos apud omnes status excusarent causamque exponerent: cur et conventio posthabita et ingressio nostra pariter dilata fuerit, monerentque illos, ut equo animo ferrent hanc dilationem utpote justam ac necessariam. Verum parum profuit hec nostra apud illos excusatio; nam responderunt nobis, nec regnum illud nostrum variis ac multipliciis dissidiis et factionibus undique agitatum distractumque pacari, nec res nostras ullo pacto nisi nostra presentia autoritateque posse componi. Quam ob rem contenderunt a nobis magna instantia magnisque precibus, ut ad festum Pasche jam preteritum in omnem eventum illuc proficisceremur, alioquin regnum ipsum nostrum, crescentibus quotidie magis ac magis odiis et tumultu, in excidium propediem bello intestino prolapsurum resque nostras eo redigendas, ut de illis vel juvandis vel suscitandis parum postea spei superesse possit. Quibus rebus facti anxii, diu multum cogitavimus, quid nobis faciendum esset.

Facta tandem resolutione, rescripsimus illis: nos preter moram preparaturos singula, que ad hoc iter pertinerent et, his paratis, omni cunctatione post posita, transitum nostrum maturaturos et primum Posonium concessuros illincque ipsis significaturos, si quid amplius ad hanc ipsam profectionem nostram pertinere visum fuerit.

Quod ob eam rem a nobis factum fuit, ut per hanc dilationem daretur occasio futuro nostro cum Mte. vra. conventui et ipsi Bohemi per spem illius de ingressu nostro datam, in fide erga nos et in pace inter semet ipsos interim continerentur. Expeditus itaque cursor noster cum hac responsione vix fuerat limen egressus, cum nobis reddite fuerunt litere Bohemorum, quibus significabatur: inter ipsos novam quandam discordiam et majorem et perniciosiorem prioribus iterum esse commotam, et quidem que etiam dignitati regiminique nostro esset, nisi quam primum obviam iretur, non mediocriter obfutura. Qua re permoti cursorem revocavimus retinuimusque expectantes illos, qui ab ipsis Bohemis sic dissidentibus ad nos oratores venturi dicebantur. Ex una itaque parte, dominorum scilicet

MDXX. cet militarium, venerunt oratores, qui propositis et ad unguem causis dissensionum novarum declaratis, supplicarunt nobis multo quam unquam antea vehementius, obortis sepe inter loquendum lacrimis, ut omni mora posthabita, si nostram regiam dignitatem salvam fore cupimus, si regni conservatio nobis cordi est, in Bohemiam properemus, alioquin desperatis rebus omnia propediem ruitura. Agentibus autem nobis cum prefatis oratoribus, allate sunt litere etiam alterius partis, cujus capita sunt nonnulli ex dominis baronibus et nobilibus, qui cum civitatibus omnibus conspirarunt, qui licet ab alia parte dissentire in omnibus videantur, et presertim in hoc, quod ipsi quosdam articulos nuper regni illius — ut ipsi dicere solent — tabulis, communi omnium sensu, inscriptos, autoritatem nostram regiamque dignitatem concernentes, altera parte, dominorum scilicet et nobilium, prosus reclamante, expungere nixi sunt. — Verum in hoc uno concordant omnes et eque hi atque alii cupiunt, ut primo quoquo tempore illuc veniamus, asserentes pericula illi regno ex hac ordinum dissensione impendentia, nisi presentibus nobis, vitari nullo pacto posse.

Quamvis itaque videbatur nobis non satis tutum fore, ut nos illud regnum nostrum tam multis tamque perniciosis odiorum discordiarumque facibus undique ardens hoc tempore subiremus. Ne tamen putarent ipsi Bohemi vel pars eorum, se a nobis habitos esse omnino contemptui et nos nihili facere totius regni salutem, quam in sola presentia nostra omnes reponebant, polliciti sumus denuo aliis per oratores, aliis per literas ingressionem nostram et nos ad festum nativitatis beati Joannis Baptiste Posonii futuros illicque expectaturos eos, qui nobis ex Bohemia obviam sunt venturi. Que dilatio etsi exigui est temporis, oratoribus tamen permolesta videbatur, quod dicerent, omnem moram nocivam et ad extinguendum tantum incendium maxima celeritate subitoque accursu opus esse. Molestiam hanc oratorum ea potissimum causa mitigavimus, quod necesse omnino foret nos per id tempus expectare, qui nobiscum illuc ingrederentur, oratores, tum Sermi. Romanorum regis, tum Mtis. vre., quorum opera ad omnes res agendas componendasque uti vellemus. Huic autem pollicitationi nostre hoc adjecimus, ut interim omnes status inter se concordent de securitate, quam dni. Hungari nobiscum illuc ituri, memores preterite persecutionis, de personis deque rebus suis habere cupiunt et contra diffidatores hujus regni, quorum nonnulli in Bohemia delitescunt, et contra seditiosos alios, qui cum rapinis tum cedibus studere solent et hanc securitatem vel ad Budam vel ad Posonium adferant priusquam ulterius moveamus.

Nunc itaque, Serme. rex, patrue et tanquam pater charissime, res nostre in hoc cardine versantur, nihil esset nobis optatius veluti nihil etiam est magis necessarium, quam si convenire cum Mte. vestra nobis liceret, priusquam fines bohemicos penetrabimus. Verum si id fato quovis iniquo adversante fieri non poterit, Mtem. vram. vehementissime rogamus, non gravetur, aliquos oratores insignes illuc nobiscum mittere, quorum opera ad componendam pacem, ad res bene ordinandas, uti possimus, ut intelligant omnes: non deesse nobis Mtem. vram. que res, honorem, dignitatem autoritatemque nostram cure habeat tueaturque.

Scripsimus etiam ad Sermum. Carolum, Romanorum regem, sororium nostrum, pro eadem causa, quem tum pro nexu tot affinitatum, quibus illi juncti sumus, tum pro officiis aliis,

quibus

quibus a nobis affectus cumulatusque est, nobis in hac petitione nostra non defuturum confidimus. MDXX.

De quibus omnibus fidelis noster rev. in Christo pater, dnus. Joannes Bozthonius (Goztovius, R.), eps. jawriensis, orator noster, plura coram nomine nostro dicturus est ex ea, quam a nobis accepit, informatione. Ejus verbis Mtas. vra. fidem adhibere et nobis ex sententia nostra respondere velit, iterum rogamus Mtem. vestram, quam felicissime valere optamus. Datum Bude die XXIII mensis Aprilis.

CCV. Donatio ville Patzoltowo in Prussia Jacobo Mielenski Zira, post defectionem possessoris illius ad Cruciferos.

In nomine domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum ad autoritatem et dignitatem principum pertineat, bonos, fideles et obedientes subditos gratia favoreque prosequi, in rebelles vero et malos pro juris et equitatis observantia autoritatem demerite animadversionis extendere, quidquid autem pro remuneratione fidelium ac bonorum et pro vindicta et disciplina malorum decreverint et constituerint, id, ut non modo ad presentium sed etiam posterorum memoriam et cognitionem deveniat, literis mandare roborareque consueverunt. Proinde Nos Sigismundus, d. g. etc. significamus tenore presentium, quibus expedit universis et singulis, presentibus et futuris harum notitiam habituris. Quia exhibite fuerunt coram nobis originaliter litere papiree mgci. Nicolai de Dambrowicza, palatini sandomiriensis et capitanei generalis excercituum regni nostri nobis sincere dilecti ejus sigillo impresso munite, donationem in se continentes bonorum infra scriptorum nobili Jacobo Mielenski, ut easdem literas autoritate nostra regia approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Quarum tenor sequitur et est talis. Cod. G. R.

> Nos Nicolaus de Dambrowicza, palatinus sandomiriensis et regni Polonie exercituum capitaneus generalis, significamus tenore presentium universis et singulis, quibus expedit, quod nos attendentes ultimos et immediatos possessores ville Paczoltowo, que est in districtu Olstinek sita inter villas Myelno inter Sthembark inter Dzierswalth inter Kiersthanow et inter Drweczko, nullam obedientiam usque ad hanc horam Sermo. dno. nostro, regi Polonie prestitisse, insuper certa relatione accepimus, eosdem hujus ville heredes magistro Prussie, hosti nostro in servitio esse, considerantes etiam nobilis Jacobi Mielenski dicti Zira fidelia servitia, que hic his temporibus belli nobiscum perseverans exhibuit, eidem prefatam villam Paczoltowo, autoritate nobis in hac parte concessa dedimus et concessimus, cum omni jure et proprietate, cum agris, pratis, campis, silvis, molendinis et omnibus utilitatibus per eundem prefatum Jacobum et ejus successores legitimos tenendum, habendum et possidendum. Ad quod etiam eidem Jacobo Mielenski, prefato adjungimus certam portionem hereditatis in Myelno et Zielyonowo, que portio jure naturali spectabat ad nobilem Jacobum Martinum olim Jacobi Niczki filium, sed

MDXX. quia iste Martinus ac etiam prefate ville Paczoltowo heres obedientiam non prestitit debitam, insuper usque in hanc diem est in servitio magistri Prussie. Nos itaque hujusmodi immerito auferentes bene merito conferre censuimus, hanc itaque sortem hereditariam dicti Martini Niczki prelatam prenominato Jacobo Mielenski et ejus legitimis successoribus damus et concedimus cum omnibus utilitatibus, agris, campis, pratis, silvis, molendinis et aliis utilitatibus et pertinentiis, quibuscunque nominibus vocentur, super quod presentes literas nostras sigillo nostro obsignatas eidem dari fecimus, presentibus circa hoc generosis ac nobilibus dnis. Nicolao Listerziczki, dapifero camenecensi, Sigismundo Sthosz de Kunicze, Nicolao Sthorcz de Rudnicze et aliis multis fide dignis. Actum et datum in castris ante Hollandt fer. quarta post Conductum Pasche proxima. Anno dni. millesimo quingentesimo vigesimo.

Nos vero Sigismundus rex prenominatus, supplicationibus hujusmodi pro parte prefati Jacobi Mielenski nobis factis annuentes volentesque ipsum ad servitia nostra et Reipublice propensiorem efficere et donationem illi factam ad effectum deduci, preinsertas literas habentes ratas, gratas in omnibus punctis, clausulis, articulis, conditionibus et toto illarum tenore approbavimus et confirmavimus, prefataque bona Nos etiam ipsi Jacobo de novo damus et donamus tenore presentium mediante per ipsum et ejus successores legitimos cum omnibus eorum censibus, proventibus, redditibus, obventionibus, pertinentiis et aliis utilitatibus quibuscunque superius expressis, nullis exceptis, cumque omni jure dominio et proprietate ita late longe et circumferentialiter, prout ipsa bona prefata omnia et singula in suis metis et limitibus, ab aliis bonis in vicinatu consistentibus antiquitus sunt distincta et limitata tenendum, habendum, utifruendum pacificeque et quiete possidendum ac dandum, donandum, commutandum, obligandum, vendendum et in suos successorumque suorum usus beneplacitos convertendum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum. Actum et datum in civitate nostra Thorun ipso die S. Marci evang.

CCVI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Stanislao Lanczkoronski, Cap. Camenecen.

Cod G.R. Generose dne., amice charissime. Bene fecit vra. Dtio. quod novitates de Tartaris et Turcis nobis perscripsit. Nos hic adhuc bellum gerimus et deo propitio exercitui Mtis. regie prospere ubique succedit, qui preter alias arces, civitates et oppida, que jam antea redegit in potestatem Mtis. sue, cepit non pridem castrum et oppidum Qwydzin cum ecclesia, que ibi est satis munita. Suscepit adhuc plures gentes Mtas. sua ex Bohemia et Moravia, equites et pedites, qui mox post sacra Pasche venire huc debent.

Magister Prussie cum suis continet se in castris et locis munitis expectans auxilia et milites ex Germania et Dania, quos omnino sperat se habituros, et ne minimum quidem indicium ostendit, quod vellet submittere genua et cervices Mti regie.

De

De dno. archiepo. gnesnensi, quod curaret nepotem suum creari capitaneum camenecensem, nihil antea audivi, sed nec, illum id unquam sollicitasse, quippe qui fecit eum continue adesse Mti. regie, et obtinuit jam, quod fecit eum Mtas. sua incisorem mense sue post mortem dni. olim Chroberski. Si quid tamen vel ipse dnus. archieps. vel alius quispiam aget ad dejiciendam vestram Dtionem. ab hoc officio, adnitar omnibus viribus, quominus id fiat. — MDXX.

Doleo plurimum de morte fratris vre. Dtionis. dni. olim Nicolai, et eo magis, quod ille non compositis rebus suis et ere alieno multum gravatus sublatus est ab humanis. Erit pietatis vre. Dtionis. curare, ut memoria illius non gravetur et ut filius ipsius, cui nihil penitus reliquit, habeat, quo se cum familia sua et familie vre. dignitate sustentet. Valeat et sit felix vra. Dtio. et me diligat.

CCVII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Boner, Burgrabio Cracoviensi.

Oratores principum Germanie, qui hic sunt, in sua oratione, quam habuerunt in suo primo ad Mtem. regiam accessu, postularunt ut Mtas. sua depositis armis pacem et concordiam cum nepote suo dno. magistro inire dignaretur, ad quam componendam dixerunt se habere nonnulla media, que tamen proferre adhuc noluerunt, priusquam intelligerent mentem et voluntatem dni. magistri, ad quem miserunt nudiustertius nuncium suum cum literis. Cod. G.

Audivit eos et excepit benigne Mtas. sua et utcunque multis injuriis provocata arma contra ipsum dnum. magistrum sumpserit, respondit tamen, quod causa rei christiane et Illmorum. principum suorum non detractat ad equam, honestam et se dignam concordiam et pacem accedere, modo ipsi declararent, qualiter hoc negotium aggrediendum esset, se enim non intelligere, quibus rationibus aut modis firma et solida pax tractari possit cum ordine hoc, qui nulla unquam pacta, federa et juramenta sua observavit, sed per omnem occasionem violavit semper et rescidit contractus et concordias secum factas. Audiemus, quam viam suscipere voluerint dicti dni. oratores ad hanc concordiam tractandam, et quidquid cum eis actum posthac et conclusum fuerit, quam diligentissime vre. Dtioni. perscribam, cui nunc mitto literas regias ad cives leopolienses, quas optavit, una cum literis ad dnum. plocensem et commendo me vre. Dtioni. valereque illam felicissime desidero. Datum etc.

CCVIII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Conarski, Epo. Cracoviensi.

Venerunt huc nuper octo oratores principum Germanie, missi ad eliminandum hoc bellum, quod inter Mtem. regiam et dnum. magistrum est exortum, quorum postulatione exaudita Mtas. regia utcunque gravissimis injuriis dni. magistri provocata arma sumere contra illum fuerit coacta et consueverit unumquodque opus et institutum suum, ut minime leviter Cod. G.

MDXX. viter incipere sic ceptum constanter prosequi, tamen causa rei christiane et Illmorum. principum Germanie respondit, quod non detrectat ad equam, honestam et se dignam concordiam et pacem accedere. Verum revolvens animo priores actus, tot tractatus tot concordias et pacem denique perpetuam in bellis superioribus firmissime factam, et nihil ab ordine hoc unquam servatum fuisse, sed per omnem occasionem violata et rescissa fuisse per eum omnia, non intelligeret Mtas. sua, quibus rationibus aut modis certa et firma pax seu concordia tractari debeat cum illis, qui pacta federa et juramenta sua observare minime consueverunt, sed si dni. oratores scirent, qualiter hoc negotium aggrediendum esset, et quibus conditionibus id fieri deberet, ipsi declararent Mti. sue, que cognitis his ipsis conditionibus id tandem facere vellet, quod ex usu rei christiane et dignitate sua futurum videretur. Responderunt illi, se habere nonnullas conditiones, quibus putarent partes ad pacem et concordiam reduci posse, sed non videri sibi adhuc necessarium esse illas proponere, nisi intellecta voluntate dni. magistri. Et proinde rogarent, ut mittere possint ad illum nuncium cum literis suis. Quod illis est permissum, miseruntque statim eundem nuncium, qui priusquam redeat nihil cum eis agetur. Verum quicquid postea cum illis tractabitur, describam per omnem occasionem vre. Rme. Dtioni., cui me et obsequia mea plurimum commendo. Et valere illam felicissime desidero. Datum.

CCIX. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Bone Sfortie, Regine Polonie.

Cod. G. R. Serma. princeps et dna., dna. mea clementissima. Post perpetue servitutis mee et orationum mearum humilem commendationem. Nondum rediit nuncius missus ad Ill. dominum magistrum ab oratoribus principum Germanie, sed et non nisi sequenti hebdomada redire poterit. Interim vero exercitus regie Mtis. oppugnabit Hollandum, admotis ad illum tormentis majoribus vestatoriis, que jam illinc devecta sunt, et spero, quod cito habebimus inde bona nova, que non erunt incognita vre. Mti. Serme. Cui meam parvitatem iterum commendo et que sit incolumis et felix. Datum Thorunii.

CCX. P. Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Jo. Conarski, Epo. Cracoviensi.

Cod. G. Rev. in Christo pater et dne., dne. colendissime. Subditi dnorum. ducum Masovie, qui ceperunt jam pridem castrum hostile cognomento Pyssz et jacuerant illic bene instructi et armati, profligaverunt nuper mille equites dni. magistri, qui ad eos inde deturbandos excurrerant, quorum trecenti feruntur esse occisi, plerique capti, multi in lacu vicino in fuga submersi. Ceterum instaurata est rursus oppugnatio Hollandi, et tormenta majora vastatoria sunt illuc jam devecta, speramusque quod cito inde habebimus bonam novitatem, que non erit etiam incognita vestre rme. Dtioni., cui me et mea obsequia plurimum commendo. Datum.

CCXI. PETRUS

CCXI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castell. Posnaniensi.

Mgce. dne., dne fautor colendissime. Quomodo negotium dnorum. de Czarnkow absolutum est, dnus. subjudex referet plene vestre Mgcie. Oratores germani nimis vafre nobiscum agunt, vellent enim exquirere a Mte. regia conditiones pacis et concordie, quas ipsi nisi valde remotas proponunt. Itaque nescio adhuc, quem finem cum eis habebimus. MDXX. Cod. G.

Credo, castrum et oppidum Holland est jam in manibus gentium Mtis. regie, posteaquam enim demolita est magna pars muri civitatis et turris una per pedites nostros occupata, die dominico preterito prefecti arcis illius miserunt literas ad capitaneos nostri exercitus postulantes, sibi dari salvum conductum et facultatem secum colloquendi, quod illis negatum non fuit. Et proinde non dubito, ut dixi, quod ad hoc tempus vel se dediderunt, vel omnino vi sunt intercepti omnes. Quidquid certius de hac re cognovero, evestigio vestram Mgciam. reddam cetiorem, quam valere felicissime desidero et cui me plurimum commendo. Datum etc.

CCXII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Boner, Burgrabio etc.

Generose dne. fautor et amice honorande. Jam tandem intercepta est arx et civitas Hollandt die dominico preterito, pro quo dno. Deo sit laus et gloria. Facta est in illius expugnatione maxima diligentia et impensa, sed id cedet in magnam famam et gloriam nominis Mtis. regie faciliusque postea relique civitates et arces hostiles se dedent nec permittent se vi expugnari. Non est autem per expugnationem violentam arx et civitas predicta capta, sed per deditionem, prefecti enim ejusdem civitatis et arcis vi tormentorum adacti et nolentes se et populum sibi commissum ponere in discrimen — jam enim tante potentie, quam contra se videbant resistere non valebant — submiserunt se gratie dnorum. capitaneorum exercitus regie Mtis. et se fidei sponsione obstringi permiserunt, una cum peditibus supra trecentis, qui ad presidia loci illius erant collocati et statuere se debent hic ad diem octavam presentis mensis. Cod. G.

CCXIII. P. Tomicius Eps. Jo. Conarski.

Rme. Die dominico preterito arx et civitas Hollandt est capta per exercitum regie Mtis., que quia fuit quondam spelunca et receptaculum latronum, multi dni. consulunt, ut solo equaretur. Tres prefecti ejusdem arcis sunt fidei sponsione obstricti, simul et pedites supra trecenti, qui statuere se hic debent octava mensis presentis. Tractamus quotidie cum Cod. G.

 dominis

MDXX. dominis oratoribus principum Germanie, sed nondum pervenimus ad ea media, ex quibus pax seu concordia sperari possit. Proponunt enim ea, que Mti. regie non sunt honesta nec ferenda. Commendo me etc.

CCXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine Uxori.

Cod. G. R. Serenissima princeps. Mittimus hunc nuncium ad invisendam Mtem. vestram, cui significamus, civitatem et arcem Hollandt esse nudius quartus per milites nostros expugnatam in eaque cum multa instrumenta bellica tum militum et hominum potiorum supra trecenta sunt capti, unde reliqua ad conficiendum hostem erunt faciliora. Vestra igitur Mtas. his faustis successibus nostris letos istic agat dies et nostri memor valeat optime. Dat. Thorunii.

CCXV. P. Tomicius, Eps. Bone, Regine.

Cod. G. Serma. princeps et domina, dna. mea clementissima. Ex literis Mtis. regie cognoscet vestra Mtas. castrum et oppidum Hollandt esse per exercitum regium die dominico preterito interceptum, et tam prefectos loci illius quam pedites supra trecentos, qui illic erant ad presidia collocati, fidei et sacramenti sponsione obstrictos, qui sistere se huc debent omnes octava die presentis mensis. Commendo me et servitia mea in gratiam vre. Mti. Serme. Dat.

CCXVI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Jo. Conarski, Epo. Cracoviensi.

Cod. G. Rev. in Christo pater et dne., dne. colendissime. De interceptis castris Hollant et Dzyaldow scripsi novissimis literis vre. rme. Dtioni., nunc aliud novi nihil est apud nos, quam quod duximus rem hactenus cum oratoribus principum Germanie, ut illi jam ulterius manere hic non intendant, eo quod hactenus illis non est responsum, quid Mtas. regia cupiat ex dno. magistro. Nos enim Poloni sumus in rebus prosperis parum tractabiles, ne dicam elati, in adversis autem multum demissi. Itaque nescio, quid sequetur. Succedunt quidem omnia prospere Mti. sue in hoc bello, sed non est fortune fidendum, nihil enim est certum et stabile in rebus humanis. Quomodo tandem res hic procedent postea vram. rmam. Dtionem. de omnibus reddam certiorem. Que valeat felicissime etc.

CCXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Boner, Zuppario.

Cod. G. R. Generose, fidelis, dilecte. — Oratores Ill. principum Germanie, qui tractarunt nobiscum de concordia et pace, ad hoc usque tempus nihil conficere potuerunt, contumacia domini magistri

gistri obstante, jamque illos absolveramus cum non vulgari testimonio gratitudinis erga il- MDXX.
los et Ill. principes suos nostre; verum mutato postea proposito, censent rursus, non abs
re fore, ut Ill. dnum. magistrum una cum oratoribus summi pontificis et Sermi. dni. ne-
potis nostri adeant, quod nos illis facere non negabimus, prout de his omnibus et aliis,
que hic geruntur, Jodocus plenius tibi referet. Datum in Thorun.

CCXVIII. Tractatus de componenda pace aut Induciis belli Prussiaci inter Sigismundum, Regem Polonie, et Albertum, Magistrum Cruciferorum.

Per oratores Principum Germanie.

Serme. ac Illme. rex, dne. gratiosissime. Reverendissimus, Illmi. et Illres. principes ac do- Cod. G.
mini, dnus. Albertus, ss. romane ecclesie ss. divi Chrisogoni presbyter cardinalis, Mogun-
tiensis et Maydeburgensis ecclesiarum archipresul, s. rom. imperii archicancellarius, Germa-
nie primas, Halberstatensis ecclesie administrator, marchio Brandeburgensis, et dnus. Fri-
dericus, rom. imp. archimarsalcus et vicarius, Saxonie dux, Doringie landgravius, marchio
Brandeburgensis, nec non dnus. Joachimus, marchio Brandeburgensis, s. rom. imp. archica-
merarius, Stetinie, Pomeranie, Cassubie et Slavorum dux, Norimbergensis burgrabius et
Rugie princeps: omnes tres imperii romani electores, ac dominus Joannes et Georgius, Sa-
xonie duces, Doringie landgravii nec non marchiones Missne, dni. nostri gratiosissimi, octo
nobis presentibus injunxere, ut Serme. Celsitudini vre. nomine Illmarum. et Illtrium. Do-
minationum suarum salutem diceremus pronamque serviendi voluntatem, et si cum cor-
poris sospitas, tum in gubernatione regnorum suorum felicitas Serme. Dtioni. vre. arrise-
rit, eas ut affines Serme. Celsitudinis vre. quam gratissimo animo et non mediocri gaudio
inde affici.

Credentiales preterea literas Illme. Mti. vre. in presentiarum offerentes humili mente sup-
plicamus, ut post harum lectionem, que ulterius ad narrandum nobis a Rmo. dno. Illmisque.
principibus nostris commissa sunt, audire dignetur.

Serme. ac potentissime rex, domine gratiosissime. Quum fama ad Rmum. Illmos. Illresque.
principes nostros detulit, Sermam. Mtem. vram. in Rmum. ac Illrem. principem dominum
Albertum, ordinis dive Marie Theutonicorum magistrum generalem nec non marchionem
Brandeburgensem, indignatione nuper commotam ad bellorumque strepitum concitatam,
ob jacturam, que reipublice christiane hac dissensione fortassis evenire possit, veluti tum
Serme. Celsitudinis regie vre. tum adverse partis, jam memorate, affines gravato et turbu-
lentiori animo accepere. Cujus amicabili compositioni studere volentes ponderarunt, quod
non tam Sctmi. Romanorum pontificis, quam invictissimi domini Maximiliani, Romanorum
quondam imperatoris, dive memorie, propositum, quo seditiones inter Christianorum prin-
cipatus tanquam boni pastoris pro virili eliminare conati sunt, ut Turcorum ferocie nos-
tris

MDXX. tris limitibus magis ac magis imminenti commodius resisti posset, per hoc haud parum infringeretur, suspicati etiam sunt, ulteriori hujus belli continuatione haud mediocrem Germanorum partem, inprimisque nobilium ad arma commoveri posse et tandem concursuros. — Quam expeditionem Christianis periculosam, salubri remedio in utriusque partis commoda principes nostri avertere majorem in modum cuperent, presertim invictissimo Romanorum ac Hispaniarum rege dno. nostro gratiosissimo, cui rem sic longe gratissimam se facturos sperant.

Nobis preterea injunxerunt, ut omnem operam nostram, omnes denique conatus, omnem industriam, huic negotio impartiremur, eo usque donec dissensio prememorata inter Illustrissimam regiam Mtem. vram. ex una et Rmum. ac Ill. dominum principem Albertum ex altera partibus, prorsus sopiri, componi ac restingui possit, veluti litere a principibus nostris ad Sermam. Celsitudinem vram. delate, id latius significarunt; vel saltem ad inducias et ad arbitrorum compositionem causam ipsam reduceremus, ne regna et provincias tum Serme. Celsitudinis vre. tum prefati dni. Alberti, que europanis Christi fidelibus ad perfidorum excursiones passim coërcendas repagula et obices hactenus fuerunt, inter se digladiari contingat in non mediocre reipublice christiane dispendium.

Unde Sermam. Mtem. vestram nec non universos cantatissimi hujus regni status Rmus. in Christo, Illtrmi. ac Illtres. memorati principes nostri, veluti affines et amici vehementius interpellant, obtestantur, orant, quatenus hanc eorum intercessionem e sincero corde manantem equo et placabili animo admittere nobisque vias, modos ac formam, quibus hec dissensiones salubrius placidiusque componi queant, aperire dignetur.

Pollicemur insuper juxta mandatum a Rmo. in Christo, Illmis. et Illtribus. nostris principibus nobis injunctum, officio componende hujus discordie pro virili nostra satisfacturos, eo moderamine et prudentia porro, ut neutra partium ex his tractatibus pretense compositionis nostre dolo seu culpa nostra lesionem aliquam sit passura, nisi quantum matura deliberatione previa citra precipitationem ab utrisque consensum fuerit.

Ad tantam quoque dissensionis molem et flagrantes bellorum strepitus salubriter restringendos, memorati domini principes nostri personali et presentaneo aliquorum sua intercessione opus esse animo volventes in hoc tum amicitie tum affinitatis officio quam libentissime satis fecissent, nisi vel temporis angustia eos prepedivisset, quum haud parum laboris ad Illtrium. dnorum. Luneburgensium et Brunswicensium ducum diffidationes sedandas hactenus impenderint, pro nunc Deo propitiante ad quietudinis pacem reductos, nec non invictissimi dni. Caroli Romanorum ac Hispaniarum regis dni. nostri gratiosissimi adventum in Germaniam hoc vernali tempore, sicut regales litere Mtis. sue procurrentes indicarunt, sunt expectaturi, a cujus presentia jam se ad exteros subducere inofficiosum et ob pregnantes causas minime conveniens diiudicarunt. Quare Serme. Mti. vre. enixe supplicant, in hoc Ill. Dtiones. suas excusatas habere seque in mediis ad concordiam idoneis impetrabilem ac benignam nobisque gratiosam ostendere velit. In quo rem profecto se dignam faciet eisque ut amicis et affinibus suis quam gratissimam et reipublice christiane longe saluberrimam, perpetua inserviendi voluntate promerendam.

RESPONSUM

Responsum Oratoribus Principum Germanie ad eorum legationem.

Legationem, quam vestre Dtiones. nomine Rmi. dni. cardinalis et ceterorum Ill. principum suorum coram sacra Mte. regia graviter simul et eleganter retulerunt, Mtas. sua sacra et abunde intellexit et secum diligenter perpendit. MDXX.

Commendatque inprimis non vulgare studium Ill. Dtionum. vrarum., quod bono statui rei christiane providentes adhibent, ut bellum inter Mtem. suam Sermam. et Ill. dnum. magistrum interciperent ac equa concordia tollerent. Idque quod Ill. Dtiones. vre. cum singulari testimonio benivolentie et propensionis sue erga ejus Mtem. facere dignantur et gratias illis sua Mtas. Serma. amplissimas agit et vicissim eis id omni studio et amicitie officiis, quibus poterit, referre curabit; nec dubitat ejus Mtas. Serma., quod Ill. Dtiones. earum ex animo indoluerunt, rem ad eos terminos et incendium belli devenisse, quum et Mtas. sua intelligens, quantum malorum secum afferat bellum, et quod illa hactenus non modo non consuevit gerere cum ullo principe christiano, sed etiam tam pro vicinis dominiis quam suis continue se opponere et immensam vim Infidelium suis humeris sustinere soleat, cum ingenti dolore suo contra ipsum dnum. magistrum ut christianum principem et consanguineum suum arma sumere sit coacta. Coacta, inquam, tot injuriis et damnis, que ille Mti. sue Serme. intulit, premendo a longo tempore variis modis subditos Mtis. sue et bellum contra ipsam, inita indignissima societate cum ejus, immo totius christiane reipublice hostibus, Moscis et Tartaris, moliendo, quod jam delectu suorum facto et gentibus aliunde eductis manifesto instruxerat, et ad inferendum illud erat in procinctu, prout ea omnia Mtas. sua Serma. predictis Illmis. principibus declaravit et vestris Dtionibus. non ambigit esse cognita. Et utcumque Mtas. sua Serma. ferens diu admodum et cum non levi indignitate sua gravissimas injurias dni. magistri et admonens illum sepissime nunciis et literis suis, ut se continuisset, nihilque intentatum relinquens, quo ad arma non deveniretur, ac nihil unquam proficiens, bellum ex causis justissimis est agressa. Et consuevit Mtas. sua Serma. unumquodque opus suum et institutum ut minime leviter incipere, sic ceptum constanter persequi; tamen causa rei christiane et dictorum Illmorum. principum, causa etiam Sctmi. dni. nostri pape, idem per suos oratores agentis, nollet detrectare Mtas. sua ad equam, honestam et se dignam concordiam accedere. Verum revolvens animo Majestas sua priores actus, tot tractatus, tot concordias et pacem denique perpetuam fuisse in bellis prioribus firmissime factam, neque ab ordine hoc fuisse unquam aliquid observatum, sed ad omnem occasionem violata et rescissa fuisse semper per eum omnia. Quumque Mtas. sua non satis tutum aut consultum esse putet, de pace et concordia cum illo aliquid agere, qui pacta et federa sua infringere consuevit, non intelligit Mtas. sua, quibus rationibus aut modis firma et rata pax aut concordia tractari debeat. Sed si Dtiones. vestre intelligunt et sciunt, quomodo hoc negotium aggrediendum esset, ut ad bonum et stabilem finem perduci posset et quibus conditionibus id fieri deberet, ipse Dtiones. vre. Mti. sue declarare velint, et illa demum id facere dignabitur, quod ex usu rei christiane regnique et dominiorum suorum ac etiam dignitate sua futurum videbitur.

Alio die responsum Oratoribus.

MDXX. Dtiones. vre. Rev. et mgci. dni. oratores, quando commissa Rmi. ac Ill. dnorum. suorum sacre Mti. regie referebant, postulaverunt a Mte. sua, uti modum et viam ipsam preberet, qua pax seu concordia inter Mtem. suam et magistrum Prussie tractari et componi possit, quumque Mtas. sua causas referri fecit Dtionibus. vestris, quare nescierit ipsa modos ullos prebere propterea videlicet, quod preterite concordie utcumque firmissime facte, semper ad omnem occasionem violari per hunc ordinem consueverunt, requisivit ab illis, ut si ipse hos modos, quibus certa pax constitui possit, scirent, Mti. sue declararent. Vestre vero Dtiones. obtulerunt, se prestituras media quedam honesta et utilia Mti. sue, nisi quod ante volebant ad dnum. magistrum mittere, et illius mentem de his perquirere. Nunc igitur accepta illius sententia, quod ut pridie dixerunt velit ad honestam et equam concordiam accedere, Dtiones vre. uti se obtulerunt, referre velint ista media et modos, quos habent ad ipsam concordiam tractandam. Vellet enim Mtas. sua libenter illos primum audire et demum id facere, quod illi honestum foret et ferendum; tamen Dtionibus. vris., si sic expedire putant et cupiunt, ut Mtas. sua proponat ea, que adversus dnum. magistrum habet, et quid velit, paucis explicabo.

Hic Oratores petierunt, conditiones sibi proponi.

Dtiones. vre., Rev. et mgci. dni. oratores, scire abunde possunt, res enim est lato patens, ex quibus causis belligeratum sit tot annis inter predecessores sacre Mtis. regie et magistros Prussie et quo jure ipsi predecessores Mtis. sue duces Masovie et reges Polonie has terras uti hereditarias repetebant.

Scire possunt etiam Dtiones. vre., quam solennis concordia et pax perpetua fuerit post tot bella facta inter Majestatis sue patrem et magistrum ac ordinem hunc, accedente autoritate summi pontificis et presentia multorum christianorum principum. Post quam concordiam neque predecessores Mtis. sue neque ipsa postularunt unquam aliud a magistro et ordine, quam illa, que vigore concordie Mtibus. suis debebantur. Magister preter omnem spem Mtis. sue, preter etiam promissa Sermi. olim dni. Vladislai, Ungarie et Bohemie regis ac Illmorum. fratrum suorum, quod obsequentior et equanimior esse debuerat erga Mtem suam, quam alii penitus ipsam concordiam labefactavit et irritam fecit. Inprimis enim et non prestitit ea, que Mti. sue debebat, que juste ab his terris et ditione, quam a Mte. sua et ejus predecessoribus habet, cecidit, et preterea indignam et infestissimam hostilitatem erga Mtem. suam declaravit. Post assumptum enim hoc regimen toto tempore cepit arma et tormenta bellica comparare, arces munire, premere variis ac indignis modis subditos Mtis. sue, que omnia satis verbis explicari non possunt. Preterea, ut prius dictum est, societates indignissimas cum hostibus Mtis. sue et hisdem ecclesie christiane inimicis iniit, bellum contra Mtem. suam undique instruxit, quod et ipse jam ordiebatur et inferebat. Unde Mtas. sua Serma. damnum inestimabile subiit et accepit. Atque ita Mtas. sua justissima

ma ratione repetit nunc a dno. magistro hanc ejus ditionem, quam jure, vel hoc solo amisit, quod concordiam infregit, quodque debitum suum non fecit, ni etiam tanti excessus majorem causam Mti. sue preberet. Tamen Mtas. sua, uti pius et christianus princeps nollet neque cuperet ordinem hunc opprimere aut destruere, sed contra illum solum agit, qui tot indignissimis modis Mtem. suam impetiit et lesit. MDXX.

Responsum die S. Marci.

Conditionem seu medium, quod vre. Dtiones. heri sacre Mti. regie de tollendo bello et pace conficienda inter sacram Mtem. regiam et dnum. magistrum proposuerunt, Mtas. sua secum et cum consilio suo diligenter perpendit. Et tribuit quidem multa Mtas. sua Sctmo. dno. nostro, deinde Sermo. et excellentissimo dno. Carolo, Romanorum et Hispaniarum regi, ut supremis orbis christiani capitibus, nihilque sub tantis arbitris cause sue diffideret; verum ut res est longe et dubie expectationis congressus utriusque et alteruter ipsorum propter sua quisque negotia et occupationes assiduas non posset causam tanti momenti sic ut res exigit discutere. Sua vero Mtas., que bellis continuis cum Infidelibus et Scismaticis distinetur, subditos suos habet semper in consultationibus et armis occupatos, itaque absque summo incommodo suo ac etiam discrimine regni non posset viros ad tantum negotium obeundum idoneos ablegare et se, districtam alioqui tot bellis, permittere etiam his judiciariis actionibus distrahi, et presertim, quod noxium sibi putat Mtas. sua rem actam agere. Sic enim et de reliquis dominiis suis deinde impeti posset et oporteret de illis arbitrari permittere, quod nullus principum facere consuevit. Manifestum est enim plus quam dici oporteat, quomodo principes sua tuentur et illa repetunt, ad que jus se habere pretendunt. Fatetur quidem Mtas. sua regia, pietatis esse christiane bellum declinare et pacem omnibus modis complecti, verum audierunt prius Dtiones. vre. invitam Mtem. suam et lacessitam multiplicibus injuriis per dnum. magistrum arma suscepisse, utque non consueverit, neque unquam concupierit cum ullo christiano principe, nedum consanguineo suo, bellum gerere. Quod adhuc Mtas. sua repetit. Sed quod agit, id agit pro jure suo et provocata. Meminit etiam suscepisse se inducias quinquennales a summo pontifice indictas, et eas non infregit utcumque illas susceperit causa generalis expeditionis et ea procedente. Sed dominus magister initium belli fecit eductis jam militibus lanceariis ex Germania adversus Mtem. suam et delectu domi facto apparatuque omni disposito ac etiam sollicitatis nonnullis subditis Mtis. sue ad defectionem et prebendum sibi et gentibus et tormentis liberum transitum. Que res tam late patet et constat, ut id nulla ratione ipse dnus. magister refellere et inficiari possit. Atque ita rebus ad eos terminos et tantum belli incendium provolutis et summo impendio facto, non posset Mtas. sua citra jacturam inestimabilem et dedecus suum per hanc conditionem et medium ab actione sua desistere, quam invita, coacta et longo tempore reluctans, quod etiam atque etiam repetit, subiit et suscepit. — Quare si Dtiones. vestre habent aliquas conditiones alias ineunde concordie et pacis, quas Mtas. sua suscipere posset citra rationum et jurium suorum jacturam et que solide sint futu-

ture,

MDXX. ture, eas proponere velint. Nam istam propositam conditionem ex causis predictis nullo modo Majestas sua complecti posset. Quod Dtiones. vestre pro sua prudentia et virtute boni consulent.

Responsum oratoribus feria sexta post festum Scti. Marci datum.

Hesterna die, Rdi. ac mgci. dni. oratores, dixerunt vestre Dtiones. nonnulla imprimis ad diluendum eas rationes, quas sacra Mtas. regia referri fecit illis, propter quas suscipere non posset conditionem seu medium per eas sibi propositum, optantes illud iterum a Mte sua suscipi; postularunt deinde facultatem dari sibi ad Ill. dnum. magistrum proficiscendi et tractandum cum illo ea, que ad conficiendam concordiam seu pacem expedirent, postremo commemorarunt eos tractatus, qui habiti sunt in conventu generali Piotrkoviensi inter Majestatem suam et Ill. dnum. Cazimirum, marchionem Brandeburgensem, ac nonnullos ab ordine missos, petieruntque eorundem tractatuum copiam sibi preberi. Et hec summa fuit eorum omnium, que Dtiones. vre. prudenter et copiose disseruerunt.

Quod igitur ad rationes non suscepte conditionis proposite attinet, nollet quidem Mtas. sua aliquibus replicationibus, sicuti multis posset, uti, sciens eas rationes suas, que dicte sunt, tam justas et decentes esse, ut non modo Dtionibus. vestris, que sunt prudentissime, sed etiam unicuique facere satis possent. Ne tamen Dtiones. vre. putarent, Mtem. suam obduratiori animo quidquam agere, quam ex justissimis rationibus debeat, committere mihi dignata est circa causas supradictas nonnihil latius vestris Dtionibus. explicare presertim in hoc, quod dictum: non licere Mti. sue rem actam agere.

Sciunt Dtiones. vre., quod pacta et federa servari debent inviolata et servantur non solum a christianis principibus, sed etiam infidelibus, et qui ea violat, jure amittit id, quod ratione federum illi contigit. Quum ergo post tot bella et lites facta fuit solennis concordia et pax perpetua inter Sermum. patrem hujus reg. Mtis. et magistrum ac ordinem hunc de expresso partis utriusque consensu, per quam prefatus Mtis. sue parens ea retinuit, que jure hereditario ad eum pertinebant, non solum Mtas. sua Serma. putat et censet esse indecens, causam hanc suam de re confecta, longo usu confirmata, et sua hereditaria iterum in dubium vertere et eam sequelam relinquere successoribus suis cum omnibus deinde magistris causam ipsam denuo semper retexendi, sed etiam quod Dtiones. vestre boni consulant, non dubitat Mtas. sua, juste id ad se pertinere justeque id repetere, a quo ille jure decidit, qui pacta et federa tam solennia et firma violavit.

Nam quod Dtiones. vre. commemorarunt aliquot exempla; arbitratum fuisse inter principes per summum pontificem et alios arbitros pro dominiis et hereditatibus, fieri id posse non negat sua Mtas., sed non in eo casu, ubi post concordiam solennem ex dissensione factam et servatam res iterum ad dissensionem fractis ab una parte federibus devenerit.

Sed liquidum est, quo pacto nunc, ne altiori repetamus, et si libet exemplis uti: quo pacto inquam principes de his agunt, ad que jus se habere putant: num arbitramentis egit aliquibus excellentissimus olim Rom. imperator Maximilianus pro civitatibus ad sacrum Rom. imperium

imperium pertinentibus? num rex Gallie pro Mediolano? aut rex Danie pro regno Swetie MDXX.
coram arbitris egit? ceterique alii reges? quos longum esset numerare. In summa: si id vitium est, armis sua repetere ille cui hoc minus congrui deceret, Summus vero pontifex, an unquam arbitros de Bononia, Vrbino, Ravenna et aliis s. Rom. ecclesie ponebat? Itaque, ne multa verba faciam Mtas. sua Serma., ut merito tenetur, jura regni et dominiorum suorum tueri, sic illa in difficultates et ambiguitates aliquas devolvi permittere non debet, unde tam ex his, quam prius dictis rationibus non potest ullo modo Mtas. sua, maxime tanto impendio facto tantisque injuriis lacessita medium et conditionem a Dtionibus. vris. de arbitris propositam acceptare.

Quod autem subjunxerunt, culpam superiorum non debere juste in subditos reddundare, id quidem fatetur Mtas. sua libenterque ipsa hunc ordinem complexa esset omni favore sibique conjunxisset, ita ut reliquos vicinos suos, ad vim Infidelium commodius et efficacius sustinendam et propulsandam, verum quia ille non solum non admonebat et reducebat dominum magistrum a moliminibus contra Mtem. suam et injuriis, quas subditis ejus inferebat, sed aderat illi consilio et particeps omnium fiebat, non potest Mtas. sua illum culpa vacuum judicare.

Nam si non sufficientis sint hec fidei apud vestras Dtiones., revolvere possunt, qualiter se ipse ordo in regnis Hispanie et Anglie novissimeque apud Venetos et Elvetios gesserit et quid illi successerit, facileque ista omnia credere poterunt de ipso ordine, que Mtas. sua et subditi ejus asserunt et queruntur.

Ceterum ubi Dtiones. vestre postularunt, ut Mtas. sua potestatem illis daret, dnum. magistrum adeundi, id quidem illis non denegabit, intelligit enim, si res ad tractatus concordie venire deberet, futuram ipsam profectionem necessariam.

Sed quia nullam adhuc causam videt Mtas. sua proficuam, ut illuc vadant, propterea, quod nondum audivit vel videt ullam conditionem, que ad effectum concordie tenderet, non putat necessarium, ut nunc ad ipsum magistrum proficiscantur.

Verum quando ex tractatibus et conditionibus sibi propositis intelliget Mtas. sua efficax et solidum aliquid ad concordiam esse, libenter consentiet, ut illum accedant et id agant, quod huic negotio expedire putabunt.

Quod autem ad tractatus Piotrkovienses attinet, meminit quidem Mtas. sua, causa intercessionis Sermi. olim Hungarie et Bohemie regis ac Illmi. domini marchionis Kazimiri et de mera voluntate et benignitate sua, non ulla necessitate coacta postulatis aliquibus annuisse sperans id gratum dno. magistro et ejus ordini futurum, licet subditi Mtis. sue graviter ferrent; verum cum res ad dnum. magistrum esset delata, non modo non suscepit illam grato animo, sed etiam contempsit et irrisit questusque fuit per hanc occasionem ubique apud christianos principes, ordinem suum a Mte. sua injuste oppressum, et quod ejus injustitie causa nulla sibi et eidem ordini a Mte. sua concederentur.

Quare Mtas. sua id quod rejectum et contemptum fuit ab initio neque ullis literis firmatum, ipsa etiam in oblivionem dedit, nec scit, qualiter iterum repeti et restaurari possit aut debeat. Vre. igitur Dtiones. post tantum impendium a Mte. sua factum et rerum fa-

MDXX. cie alia nunc existente, proponant alia media seu conditiones, si quas intelligunt et proficuas ad pacem et Mti. sue honestas et ferendas.

Responsum datum Calendis Maji.

Dtiones. vre., Rev. et mgci. dni. oratores cum audissent novissime rationes Mtis. regie, quam conditionem a se illi propositam Mtas. sua acceptare et complecti posset, responderunt, quod si Mtas. sua perstare vellet in eo, quod ab initio proposuisse illam intellexerunt, nescire se alias conditiones et media ineunde pacis et concordie reperire, sed postularunt iterum, ut Mtas. sua id declararet et proponeret, quod sibi a dno. magistro fieri postularet et alia plura, que repetere non est opus. Mtas. sua Serma. ad hec respondere Dtionibus. vris. mihi commisit.

Quod ab initio quando legationem nomine Illmorum. dominorum suorum retulerunt, Mtas. sua Dtionibus. vris. fecerat exponi causas suscepti a se hujus belli et quam variis et indignis modis dnus. magister contra Mtem. ejus excesserit, quos quidem excessus non omnes Mtas. sua exprimi voluit erubescens ipsa de nepote suo ista loqui, que ille facere nunquam erubuit.

Sed et diutissime ista omnia Mtas. sua quemadmodum et fratres sui defuncti tulerunt expectans, ut ipse aliquando resipisceret, tentavitque prius omnia quam ad arma venire debuisset. Que patientia et benignitas Mtis. sue et fratrum suorum non modo non officere debet juribus Mtis. sue, sed etiam ejus causam merito reddere debet apud omnes justiorem et favorabiliorem.

Quare utcumque Mtas. sua adeo provocata, ut aliter facere non potuerit quam armis tueri subditos suos, bellum justissimum agit, tamen respondere fecerat Dtionibus. vris., se causa rei christiane, causa etiam Sctmi. dni. nostri et Illmorum. principum, quibus uti amicis et affinibus suis in omnibus complacere vellet, non detrectare concordiam et pacem cum ipso dno. magistro inire, modo illi conditiones seu media proponerentur, que illi honesta essent et ferenda.

Nam uti a principio proponere ipsa conditiones aliquas non potuit, ita et nunc Mtas. sua nullo modo potest, adeo enim est exacerbata et offensa per dnum. magistrum tot illius in se commissis, ut prorsus excogitare secum non posset, qualiter esset ipsa pax seu concordia ineunda, presertim quod intelligit Mtas. sua, dnum. magistrum in contumacia et hostilitate sua constantem esse illudque prosequi velle, quod adversus Mtem. suam instituerat, cognoscitque id cum ex aliis multis argumentis, tum ex eo, quod adhuc nullum indicium fecit ejus, uti cuperet se Mti. sue reconciliari, et quod conditiones pacis sibi ab Illri. dno. duce Pomeranie oblatas, quamvis hoc sine scientia Mtis. sue ille fecerat, respuit et recusavit nihilque preter inducias breves acceptare voluit, unde intelligere quisque potest, qualem ille animum ad concordiam habeat.

Atque ita cum Mtas. sua id cognoscit, cumque, ut dixi, adeo exulceratum habeat animum illius in se commissis et contumacia, ut non possit ullam conditionem pacis secum reperire et proponere, nec ipsam pacem et concordiam, ut dictum est, detractat, postulat iterum

rum a Dtionibus. vris. ut ipse inter se media aliqua perquirant et Mti. sue proponant, sed MDXX.
ea tamen, que Mtas. sua citra ignominiam et jacturam suam suscipere possit.

Nec Dtiones. vre. persuadeant sibi, aliqua sua proposita Mtem. suam offendisse, omnia enim benignissime audivit, accedetque ad omnia non gravate, ut pius et christianus princeps, que, ut dixi, honesta illi erunt et ferenda.

Aliud Responsum.

Sacra Mtas. regia audivit et intellexit propositiones et postulata vrarum. Dtionum. ad illaque paulisper deliberare dignetur et presertim cum Mtas. sua declaraverat Sermo. domino Hungarie et Bohemie regi, nepoti suo charissimo, hunc eventum rerum suarum, et illius Mtas. pollicita sit ei omnibus regnis suis et dominiis non deesse, nollet vicissim Mtas. sua, cum illius Mtis. tam insignes oratores apud se habeat, quicquam inconsultis illis statuere. Quare vre. Dtiones. hanc parvam moram boni consulere et tedio non affici dignentur, nam ut res iste sunt non parvi momenti, ita in parvo temporis spacio transigi non possunt.

Principium Responsi dati Oratoribus Sermi. Dni. Ludovici, Regis Hungarie, etc. die S. Floriani.

Sacra Mtas. regia, Illme. princeps et rmi. dni., agit et habet ante omnia sumnas et immor- Cod. G.
tales gratias Sermo. dno. Ludovico, Hung. et Boh. regi, nepoti suo amantissimo, quod illius Mtas. in hoc eventu suo et motu bellico dignata est coram universo orbe talem se declarare pro ejus Mte., qualem et fides Mtis. sue et arctissima necessitudo postulavit.

Idque cum multis aliis testimoniis apud summum pontificem aliosque principes, tum edicto publico: ne gentes adversus Mtem. suam per loca et ditionem illius Mtis. transire permitterentur.

Quam benivolentiam et officium illius Mtis. vult vicissim Mtas. sua illi regnisque et dominiis suis omni studio, cura, viribus et facultate sua semper referre.

Et ut de omnibus istis Mtas. sua multo est gratissima, sic de hac re non minus, quod vestras. Dtiones., tam insignes oratores suos, ad se in hac conditione rerum suarum dignata est mittere, in quibus plenam habere fiduciam et cum quibus libere de omnibus colloqui et consulere possit.

Quare constituit Mtas. sua nil absque illorum scitu et consilio agere, quod ut Mti. sue possent commodius prestare, committere mihi dignata est summam rerum suarum ut hactenus vertuntur explicare.

Scire vero possunt abunde Dtiones. vre. (res enim est late patens) ex quibus causis belligeratum sit tot annis inter predecessores Mtis. sue et magistros Prussie et quo jure ipsi predecessores Mtis. sue, duces et reges Polonie, has terras uti hereditarias repetebant.

Scire

MDXX. Scire possunt etiam Dtiones. vre., quam solennis concordia et pax perpetua fuerit post tot bella facta inter Mtis. sue parentem et magistrum et ordinem hunc, accedente auctoritate summi pontificis et presentia multorum christianorum principum.

Post quam concordiam neque predecessores Mtis. sue preter etiam promissa Sermi. olim domini Vladislai, Hung. et Boh. regis, fratris sui desideratissimi et Illmorum. fratrum suorum, quod obsequentior et equanimior esse debuerat erga Mtem. suam quam alii, penitus ipsam concordiam labefactavit et irritam fecit.

Inprimis enim et non prestitit ea, que Mti. sue debebat, quo juste ab his terris et ditione, quam a Mtis. sue predecessoribus habet, cecidit et preterea indignam et infestissimam hostilitatem erga Mtem. suam ostendit; post assumptum enim hoc regimen toto tempore cepit arma et tormenta bellica comparare, arces et civitates munire, premere variis et indignis modis subditos Mtis. sue, ut illos ad defectionem cogeret.

Preterea societates indignissimas cum hostibus Mtis. sue et iisdem inimicis ecclesie christiane iniit, gentes ex Germania contra Mtem. suam eduxit et ipse delectu domi facto et rebus omnibus ad bellum dispositis in procinctu et via fuit terras Mtis. sue vi adoriendi, jamque nonnullos subditos Mtis. sue ad defectionem et prebendum sibi liberum transitum sollicitavit, que omnia tam clara sunt, ut nulla ratione refelli et inficiari possint, nec tamen Mtas. sua unquam omnia exprimi voluit, nec etiamnum vult erubescens ipsa.

Quas gravissimas injurias cum Mtas. sua Serma. diu admodum ferens et admonens ipsum dnum. magistrum sepissime nunciis et literis suis, ut se continuisset, nolens et declinans modis omnibus bellum cum principe christiano.

CCXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Cruciferorum.

Cod. G. R. Illme. princeps et dne. nepos noster charissime. Accepimus literas vre. Illtis., quibus scribit ea, que cum illa egerunt ejus prefecti copiarum, presertim de captivis, commemoratque morem et consuetudines quasdam, que deberent esse inter principes et reges christianos in eo videlicet, quod commutandis captivis utrinque vel se ipsos menstruali stipendio redimendis attinet, querens a nobis, utrum nos juxta eas consuetudines conservare vellemus, in quo pariter vellet se nobis commodare. Nos licet hactenus non consuevimus bellum cum ullo christiano principe gerere semper et libentius cum Infidelibus pugnantes, morem tamen et consuetudines bellicas, que inter Christianos sunt et que in prioribus bellis his pruthenicis servate sunt non, ignoramus, juxta quas gerere nos sciemus secundum quod dignitati nostre conveniet. Leges autem aliquas et presertim ex more germano et consuetudine gregariorum militum nobis statui non permittemus. Non urget nos ulla necessitas, ut facere deberemus captivos pro captivis commutari, sed et mercaturam hominum exercere nolumus, nec eo indigemus, ut captivos pretio dimittere deberemus, sed in his et aliis uti arbitrio et gratia nostra regia volumus, quam satis superque subditi et milites vre. Illtis. sunt experti. Quod autem in fine literarum suarum commemorat de his

qui

qui sponsione fidei sunt nobis obstricti, quod nesciat, qualiter eos ad nos remittere debe- MDXX.
ret propter insecuritatem, ex illo quod casu unus occisus esset non data opera, ipsi viderint qualiter sue fidei et honori satisfacere debent, quod illos non dubitamus facturos. — Cum vero ad nos ipsi captivi venire voluerint, commisimus capitaneis nostris, ut illos sufficienti securitate provideant. Bene valeat vra. Illtas.

CCXX. Sigismundus, Rex Polonie, Militibus Magistri.

Nobiles ac generosi, grate nobis dilecti. Reddite sunt nobis litere vre., quibus diffuse de- Cod. G. R.
scribitis ea, que acta sunt cum his, qui capti fuerunt in Hollandt et aliis nostris captivis, commemorantes morem et consuetudines bellicas, que servari soleant inter Christianos, et agentes id, ut permittere deberemus vel permutari invicem captivos, vel eos menstruali stipendio redimi. Quia vero de eadem re Ill. dnus. magister nobis scripsit et ei respondimus, que sit voluntas nostra, non opus putavimus eadem ad vos iterare, que ex illius Illte. abunde cognoscetis. Verum quod ad ipsos captivos attinet, satis testata est erga illos gratia et benignitas nostra, cum longe aliter agatur cum nostris, ut qui non solum enormibus et pudendis suppliciis affici solent, sed etiam ad Scysmaticos in contumeliam nominis christiani mittuntur.

CCXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Marchioni Br. Magistro.

Illme. princeps. Accepimus hesterna die binas literas vestre Illtis., quarum altera manu ip- Cod. G. R.
sius erant scripte, quibus nobis declarat, se intellexisse, que nuncii sui, quos ad nos cum responsione ad articulos nostros miserat, sibi retulerint et que etiam rev. dnus. eps. pomesaniensis arbitrio suo proposuit, quodque illi ad ea responsum fuit per consiliarios nostros, postulatque a nobis Illtas. vra., ut equo animo feramus, donec super his cum subditis et ordine suo consulat, et nobis demum voluntatem suam significet. Nunquam fuit adversus animum nostrum, quod Illtas. vestra consultaret de rebus ad se et ordinem suum pertinentibus cum subditis et membris ipsius ordinis sui, et nunc molestum nobis non est, quod id quidquid actura est, maturo et bono consilio faciat, et mora hec nos nihil gravabit.

Declaravimus jam sepius Illti. vestre, nos non libenter agere hoc bellum cum illa, ut cum necessario nostro et principe christiano, verum nos officio et debito nostro cogi, quod nullo modo liceret nobis juribus regni nostri deesse. Bene valeat Illtas. vra.

CCXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Firley, Pal. Sandom., N. Zeratinski, Bohemo: Ducibus exercitus in Prussia.

MDXX. Cod. G. R. Mgci. sincere nobis dilecti. Is nuncius Illmi. dni. magistri binas nobis illius literas attulit, quarum altere erant manu ejus scripte. In utrisque scribit, nuncios suos, quos non pridem apud nos habuit, ad se rediisse, et id quod illi respondimus quodque dnus. eps. pomesaniensis ex se ipso hinc exiens proposuit et quod deinde illi erat per consiliarios nostros responsum, se plene intellexisse velleque super his cum subditis et membris ordinis sui consultare et postea nobis mentem suam aperire, postulans, ut hanc moram non molesto feramus animo. Nos respondimus illi: quod nunquam fuit adversus animum nostrum, ut consuleret de rebus ad se et ordinem suum spectantibus et nunc quoque molestum id nobis non esse, quod id quidquid acturus est, maturo et bono consilio faciat, adjicientes, quod non libenter agimus hoc bellum cum illo, ut cum necessario nostro et principe christiano: verum nos officio et debito nostro cogi, quod nullo modo nobis licet, juribus regni nostri deesse. Hec ideo scripsimus vris. Dtionibus., ut intelligant, quod ille verbis tantum nos lactat et detinet in spe pacis, sed hostilia omnia adversus nos cogitat. Quare vre. quoque Stes. par pari illi referant et quantum maxime possunt illum et subditos ipsius urgeant, ut tandem bello, quod tantopere cum suis appetivit, aliquando satietur. Et bene valeant vre. Stes. Datum.

CCXXIII. Andreas Cricius, Tomicio egrotanti

Cod. G. R. Rme. domine. Advocavit me nunc ad se legatus pontificis, retulit, actum fuisse secum hoc mane de voluntate Mtis. regie, uti oratores germanos ipse aliquo ingenio retineret persuaderetque, ut simul omnes ad magistrum proficiscerentur, Mtem. vero suam non modo limitaturam articulos, quos volebant, sed et inducias concessuram. Miratum fuisse se, quod non prius et alio modo fuissent hec sibi insinuata, quominus appareret, tamen fecisse se officium et ipsos oratores continuisse, his tamen conditionibus, que sunt in hac scedula descripte, egit deinde, ut provisio illi pecuniaria fieret, et quod multis rebus indigeret, prout coram latius referam. Rogavit me, ne ad illum hec permanarent, qui secum egit.

CCXXIV. Cricius Tomicio Scheda.

Cod. G. R. Rme. dne. Postquam non licuit mihi adire vram. rmam. Dtionem., scire dignetur, legatos pontificis hec illi nunciari fecisse, quod in summa dnus. magister accedere non detrectat

ad

ad conditiones pacis perpetue cum limitatione quorundam articulorum, ut fuit per oratores propositum; verum non posse se facere id absque consensu tam sedis apostolice, quam alioruin magistrorum hujus ordinis, ad quos consulendos et ad consensum impetrandum petit inducias duorum mensium, atque ita petituros esse illos cum oratoribus principum Germanorum ipsas inducias non satis grato ac fidenti animo, cum intelligant liquido, nihil esse certi ad pacem et quod ingentis sit dispendii Mti. regie, tantum exercitum frustra ad incertam spem pacis alere, tamen fungi se velle suo officio in petendis ipsis induciis et rogant, uti Mtas. sua boni consuleret idque responderet, quod illi ex re videbitur; sed si fieri possit, hodie pariter responderet. MDXX.

CCXXV. A. Cricius. P. Tomicio, Epo.

Rme. dne. Cum venissem ad legatum pontificis obtulit mihi hasce literas, ut illas vestre rme. Dtioni. ostenderem, quas petit plurimum ab illa sola legi et de illis nulli referri, ne quo pacto res ad oratores permanaret. Ex his, dixit, intellecturam vram. rmam. Dominationem non adeo certum esse, velle dominum magistrum pacem illam perpetuam complecti, quam retulerunt ipsi, nam non solum a sede apostolica petere vellet consensum, sed etiam consulere magistros alios et amicos, atque ita sub hac incertitudine statuisse hodie oratores omnes, si Mtas. regia inducias denegabit, prout credunt, id se postulaturos, ut voluntatem suam super limitatione articulorum propositorum in pace perpetua respondere dignaretur, ubi hoc impetrarent, ut Mtas. sua ad limitationem ipsam consentiret, conficere se velle tenorem ejus concordie et mittere dno. magistro, quo illam approbaret et manu sua subscriberet, addendo solum confirmationem et consensum sedis apostolice, qui esset sufficiens, uti domini omnium bonorum spiritualium; et ubi hoc ille facere recusaret, se ad regionem quemque suam discessuros hocque illi se scripturos, quo eum credunt timore permoveri, se videlicet discessuros, neque ullam aliam viam salvandi illum posse reperiri. — Ubi vero consiliis eorum acquiesceret et conditiones concordie subscriberet, nihil aliud superfuturum, quam ad pontificem pro confirmatione mittere. Subintuli ego: qua certitudine Mtas. regia, quo hec confirmatio et pax ad effectum veniat, negotium interim suum tante molis et momenti intermittet. Respondit ille: sedem apostolicam haud dubie omnia facturam. Et alia multa disputata inter nos etiam cum risu fuerunt, que non attinet nunc retexere, verum rogo illam plurimum, ut perlectis his literis teutonicis, illas mihi quam primum remittat, nam dixit, venturos ad se oratores illos et velle ipsas literas cum suis conferre. Cod. G. R.

CCXXVI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Bone Sfortie, Regine Polonie.

Serma. princeps et dna., dna. mea clementissima. Non possumus venire ad concordiam debitam cum oratoribus summi pontificis et principum Germanie, qui hic sunt; proponunt enim Cod. G.

MDXX. enim illi conditiones pacis et concordie ineunde impertinentes et Mti. regie non ferendas, vellent namque, ut Mtas. sua deponeret arma ac a bello desisteret et controversiam, quam habet cum dno. magistro Prussie et ejus ordine, rejiceret in arbitrium summi pontificis et Sermi. dni. Romanorum et Hispaniarum regis, que res, quam sit aliena quam et prope ridicula, nemo est, qui non videat. Mtas. sua regia lacessita multiplicibus ac innumeris injuriis per dnum. magistrum arma contra illum sumpsit, que per istam propositam conditionem citra inestimabilem jacturam et dedecus suum deponere non potest nec intendit. Scit enim quomodo principes omnia sua tuentur et illa repetunt, ad que se jus habere pretendunt. Itaque si non quesiverint alios modos concordie et pacis conficiende nihil efficient. Spero tamen, quod aliam viam meliorem et que magis ad rationem accedet complecterentur. Me et meam perpetuam servitutem vre. Mti. humiliter commendo, quam dominus Deus in sua gratia diu sanam et felicem conservet.

CCXXVII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Constantino, Duci in Ostrog, Campiductori Lithuanie.

Cod. G. Illris. princeps et dne. amice fautor honorande. Gratissimum est mihi, quod me vra. Illtas. literis et nunciis suis visere et de suo bono statu et valetudine certiorem reddere non intermittit, pro quo officio ago illi immensas gratias et referre ei id curabo omni studio et gratificatione mea. Tractatum est hic ultra sex septimanas integras per oratores cum Sctmi. dni. nostri et Sermi. dni. Ungarie et Bohemie regis, tum Illmorum. principum Germanie de concordia et pace inter Mtem. regiam et dnum. magistrum Prussie, sed nihil fieri potuit, nimia pertinacia ipsius dni. magistri obstante, qui nullas equas pacis conditiones acceptare voluit, confisus in auxiliis suorum confederatorum, presertim vero ducis Moscorum, cum quo indignissimam societatem iniit et cui non pridem miserat unum captivum nobilem cognomento Zaboy, qui in oppugnatione oppidi Melsak erat captus; sed is in Livonia fuga elapsus, salvus huc nuper pervenit. Itaque oratores hungari et principum Germanie rebus infectis hinc discesserunt, et ipse dnus. magister videbit, quid commodi ex tanta sua contumacia et arrogantia reportabit.

Exercitus regie Mtis. post interceptum castrum et oppidum Hollandt et oppidum Siekirka, profectus est versus civitatem Montis Regii, cui prospere in omnibus succedit, nam nemo est, qui illi resistat, cum dnus. magister nullas gentes habeat. Mtas. regia est Dei benignitate optime sana, verum distinetur multis curis et cogitationibus in his difficultatibus bellicis. Me vestre Illti. ex corde commendo et valere illam felicissime desidero. Datum Thorunii.

CCXXVIII. PETRUS

CCXXVIII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Andree de Tanczin, Palat. Lublinensi, Chelmen., Belsen., Ratnen., Crassnostavien. Capitaneo.

Mgce. dne. amice et fautor honorande. Non cessat conqueri dnus. Crupski, castellanus leo- MDXX.
polien., quod utcunque in gratiam vre. Mgcie. redierit seque illi reconciliaverit, adhuc ta- Cod. G.
men premitur nonnullis actionibus juridicis contra se instructis, ad quas scribit se nec procuratorem nec advocatum ullum habere posse. Rogo plurimum vram. Mgciam. imponere tandem finem et modum velit his tantis illius difficultatibus et damnis, de quibus queritur, quo illis solutus commodius ac expeditius et ipsi vestre Mgcie. et Reipublice servire possit.

Expugnatum est nuper castrum et oppidum Hollandt per exercitum regie Mtis. castrum etiam Dzyaldow, quod dnus. Kriski, castell. plocen., cum nonnullis suis amicis de Masovia obsidebat, venit in potestatem Mtis. sue seque illi dedidit. Hostes sunt aliquot secundis preliis fusi et cesi urgenturque omni ex parte satis fortiter et atrociter, adhuc tamen dnus. magister perstat in hostilitate et contumacia sua, qui quamvis pacem plurimum appetat, videt enim terras et subditos suos in dies magis vastari, petere tamen illam ipse non vult, ne a suo malo proposito cessisse videatur, sed subornavit nobilitatem et civitates sibi subjectas, ut peterent salvum conductum a Mte. regia oratoribus suis, quos ad illam mittere vellent. In qua re Mtas. sua vult se illis placabilem et benignam exhibere et ipsum salvum conductum illis mittere; inducias tamen belli, quas etiam postulant, nullo modo est concessura, res enim esset summe indignitatis et dispendii pro incerta re certam occasionem rei bene gerende omittere et ingentem vim pecunie frustra effundere. Oratores, qui hic sunt, accepto finali responso a Mte. sua, quod vult servare pacem cum dno. magistro et ordine, si ille fecerit id, quod debet juxta articulos pacis perpetue et impensas ac damna, que per illum provocata subiit in hoc bello, sibi resarcierit, miserant nuncios suos ad ipsum dnum. magistrum, cupientes de voluntate illius fieri certiores, qui hesterno die ab illo redierunt, sed quod attulerint, compertum adhuc habere non potui; hodie tamen intelligemus omnia, et si procedet hec concordia, puto, quod ad ipsum magistrum omnes isti oratores proficiscentur, nam jam pridem ad eum se mitti postularunt. Quicquid postea erit, scribam libenter et diligentissime vre. Mgcie. cui me plurimum commendo et quam dnus. Deus in sua gratia diu sanam et felicem conservet. Datum etc.

CCXXIX. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Alberto Gastoldo, Pal. Trocensi, Capitaneo in Mozir.

Mgce. dne. amice et fautor honorande. Absolutus est a Mte. regia is servitor vre. Mgcie., Cod. G.
cui una cum dno. palatino cracoviensi procuravi privatam audientiam et ipsemet respondi

MDXX. illi ad omnes articulos legationis sue in presentia Mtis. regie, prout ipse solus referet. — Valde cuperet Mtas. sua, ut vestra Mgcia. rediret in amicitiam et unionem cum dno. palatino vilnen., intelligit enim hanc vrarum. Mgciarum. dissensionem, non parvum dispendium et jacturam Reipublice istius Mg. ducatus Lithuanie afferre. Quare rogo plurimum vram. Mgciam., inflectat animum suum ad eam ipsam concordiam ineundam et submittat se arbitrio et cognitioni dominorum, quibus Mtas. sua negotium hoc componendum commisit; faciet in hoc vra. Mgcia. rem sua virtute et constantia dignam et Mti. regie admodum gratam.

Felici cursu, Deo sit gratia, bellum hoc geritur contra magistrum Prussie, qui utcunque hactenus visus est in sua contumacia et hostilitate perstitisse, nunc tamen misit oratorem suum ad Mtem. regiam, et nobilitas et civitates illi subjecte suos quoque oratores miserunt, petentes salvum conductum ipsi magistro, ut venire huc ad Mtem. suam possit. — Exercitus vero Mtis. sue post intercepta castra et civitates Hollandt, Dzyaldow et Sziekierka ivit versus civitatem Montis Regii, apud quam ad hoc tempus stationes suas collocavit. Quicquid postea sequetur, non negligam perscribere vre. Mgcie., que scire dignetur, me post mortem rmi. dni. olim epi. posnaniensis ad episcopatum posnaniensem per Mtem. regiam esse nominatum. Et valeat felicissime vestra Mgcia. meque habeat ut consuevit sibi charum et commendatum.

CCXXX. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Vngarie et Bohemie.

Cod. G. R. Serme. princeps. Accepimus literas Mtis. vre., quibus nobis declarat statum turbulentum regni sui Bohemie et quod ad instantissimas preces illorum regnicolarum coacta sit super profectione illuc sua respondere postulatque a nobis Mtas. vra., ut vel secum Posonii, priusquam eo se recipiat, conveniamus, vel, ubi hoc fieri non posset, mitteremus secum oratores nostros in Bohemiam, quorum opera illic in pacandis intestinis seditionibus ac aliis negotiis suis uti posset.

Serme. rex etc. Nobis nil adeo est cure et cordi, quam cum Mte. vra. quam celerrime convenire posse, intelligimus enim, id plurimum nobis et communibus regnis nostris expedire, utque prestare possimus, nihil quidem reliquum faciemus, rogamusque plurimum Mtem. vram. ut eam ob rem tam utilem ac necessariam contineat se quantum potest ab hac profectione, ut nos interim possemus ex his difficultatibus bellicis explicare et cum vra. Mte. convenire, cum qua existentes agemus non minus de pacandis rebus bohemicis quam aliis quibusvis, tantumque huic negotio incumbemus, ut si etiam illuc ipsi cum Mte. vra. proficisci deberemus idque res exigeret, et hoc facere non recusabimus. Scribemusque literas ad dnos. et ad omnes alios ordines regni ipsius Bohemie, hoc institutum nostrum illis declarando persuadendoque, uti adeo profectionem ad se Mtis. vestre non exigerent, donec cum illa conveniamus, quod maxime necessarium foret eundem conventum nostrum ipsi itineri antevertere, et intestinas illas discordias prius inter illos met ipsos componi. Verum

rum si quo fato iniquo congressus noster tam cito fieri non posset et dni. Bohemi adven- MDXX.
tum ad se Mtis. vre. differri equo animo non paterentur, statueretque Mtas. vra. ad illos proficisci, nos cum primum certiores de hoc facti fuerimus nihil gravabimur, non solum oratores nostros insignes cum Mte. vestra illuc mittere, verum omnia alia, quecunque ad dignitatem et bonum statum Mtis. vre. ac ejus regnorum pertinere cognoverimus libentissime semper exequi ac nulli labori nullique sumptui parcere unquam volumus. Felicissime valeat Mtas. vra. et nos diligat. Thorunii die XXII Maji.

CCXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Dominis regni Bohemie.

Accepimus tum aliunde tum ex literis Sermi. dni. Ludovici proxime ad nos datis, Mtem. Cod. G. R.
ejusdem precibus supplicationibusque vris. persuasam ita constituisse, ut pro festo nativitatis divi Jo. Baptiste proximo in medium vestri proficiscatur. Que Mtis. sue profectio longe antea fieri debebat, ita enim inter nos et illius Mtem. convenerat, ut ad primam preterite Quadragesime dominicam Posonii conveniremus et illinc habita consultatione tum de honorifico Mtis. sue ingressu, tum de rebus omnibus, quietem, tranquillitatem ac omne bonum vrum. concernentibus, Mtas. sua recta ad vos se conferet, factumque id omnino fuisset, nisi nos hoc bello pruthenico fuissemus impliciti. Inde secutum est, ut et mutua nostra congressio et transitus Mtis. sue in Bohemiam differretur. Quod nos futurum presentientes, rogaveramus Mtem. suam, ut equo animo ferret hanc necessitatem, que nos pro die antea condicto convenire non pateretur, fuimusque polliciti alium conventum cum Mte. sua nos habituros mox ubi hujusmodi bellorum difficultatibus aliqua saltem ex parte explicaremur et eam ob rem persuaseramus nobis, Mtem. suam id expectaturam priusquam profectionis sue diem vobis nominaret. Factum Mtis. sue non improbamus, non enim nos latet, quam sit hec Mtis. sue profectio et sibi et toti regno suo Bohemie necessaria, verum optaremus, si fieri sine nostro et istius regni Bohemie discrimine aut dispendio posset, ut nos cum Mte. sua priusquam se istuc reciperet, vel Posonii vel alio quovis loco conveniremus, nonnisi de ratione rerum Mtis. sue deque vestro pacifico statu coram consulturi, ex quo conventu nostro futuro mitteremus et nos oratores cum Mte. sua in omnibus eidem obsequuturos, et si opus foret, si que res ipse bohemice postularent et si hoc ad profectum vestrum fore cognosceremus, etiam et nos ipsi personaliter cum Mte. sua istuc libenter iremus. Non secus enim salutem, dignitatem resque omnes ipsius nepotis nostri, quam nostram propriam cure habemus, non minus isti regno Bohemie, quam regnis nostris bene volumus tum causa nepotis nostri tum pro sincero erga nos affectu et dilectione et vestra vicissim in nos observantia et multis aliis officiis, quibus nos semper cum summa veneratione prosequi consuevistis.

Quam ob rem vos omnes hortamur plurimumque rogamus: velitis operam omnem impendere et pro vra. summa prudentia vias modosque excogitare, quibus hec vra. dissensio mitigetur sedeturque priusquam nepos noster istuc se conferat, hoc enim multo magis ex dignitate

MDXX. nitate honoreque sue Mtis., quibus, ut bonos fideles decet, accurate semper studuistis, hoc denique magis futurum est ad utilitatem et famam illustriorem totius regni Bohemie, quam si precipitata profectione ad has discordiarum tempestates tenerum adhuc dnum. vestrum introduxeritis. Qua in re cogitare vobis opere pretium est, quid vos cum ex honore vestro tum ex fide facere oporteat, et bene rei exitum prospicere, ita quidquid factum a vobis fuerit, improbari a nemine, laudari vero ab omnibus possit. Videretur autem nobis nihil posse fieri consultius, quam si, quod premissum a nobis est, fieret i. e. odia, simultates et discordie vestre antea sedarentur, priusquam intraret, et si interim Mtem. suam ad profectionem non urgeretis ferretisque equo animo ejusdem absentiam, donec Mtas. sua nobiscum conveniret, que res et ad sedandos omnes motus et ad res pacandas ordinandasque, non parum momenti nostro judicio esset allatura. In ipso enim conventu nostro nihil pretermitteremus, sed excuteremus cum Mte. prefati nepotis nostri singula quecunque ad salutem, tranquillitatem et pacem istius regni Bohemie tuendam conservandamque pertinere arbitraremur, et ita prospectis compositisque omnibus, Mtas. sua liberius, honorificentius majoreque splendore et gloria cum summo totius regni Bohemie et vestrum omnium decore, honestate et fama laudabili apud omnes nationes merito predicanda, in medium vestri, vel sola, vel nobiscum una, si res hoc ita postularet, ingredi posset, de qua re dedimus literas etiam ad ipsum nepotem nostrum et significavimus eidem, quid vobis super eadem re scripserimus, hortantes illius Mtem., ut hoc nostrum consilium non aspernetur, utpote et suis et vestris rebus minime obfuturum. Vos vero iterum atque iterum rogamus, ut nobis gratificari et ad premissa omnia ex animi nostri sententia respondere quam primum velitis, ut nos quoque de vra. voluntate nepotem ipsum nostrum tempestive certiorem facere possimus. Et bene vos valere optamus. Thorunii XXII Maji.

CCXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Statibus et Ordinibus Regni Bohemie.

Cod. G. R. Spectabiles et mgci., nobiles ac generosi ac famati amici nobis sincere dilecti. Accepimus literas vrarum. Dtionum., quibus nobis declararunt, se multas legationes ad Sermum. dominum Ludovicum, regem suum, fecisse illiusque Mtem. enixe rogasse, ut ad regnum illud suum Bohemie venire dignaretur, propterea quod essent urgentissime cause, que adventum ejus Mtis. exigerent, neque se potuisse hactenus id a Mte. sua impetrare, postulantque a nobis vre. Dtiones., ut ad illius Mtem. intercederemus, quo precibus ipsarum et necessitati regni sui Bohemie satisfacere dignaretur, ubi vero dni. regni Hungarie obstarent, quominus id illius Mtas. faceret, essemus Dtionibus. vris. consilio et auxilio qualiter in hac re gerere se deberent. Nos in memoria habemus illius Mtem. nobis circa festum Pentecostes preteritum per Illrem. dominum ducem Carolum significasse, quod constituerat ad festum Scti. Joannis istuc ad regnum Bohemie proficisci, quid autem cause sit, quod illud institutum suum ejus Mtas. non prosequuta fuit, prorsus ignoramus, nunc vero inciderunt rationes summe necessarie, ut de illius Mtis. sorore et nepte nostra charissima in nullo

certo

certo fine cum magna indignitate nostra constitute, ac de aliis rebus ad communia regna MDXX.
et dominia utriusque nostrum pertinentibus, que mutuum conventum nostrum requirunt, constituimusque cum illius Mte. celerius opinione convenire et inibi existentes coram agemus cum illa diligenter, ut jam deinceps proficisci istuc ad regnum Bohemie non differat. Ubi vero ad id tempus, quod inter nos statuimus convenire cum illius Mte. non possemus, aliqua gravi necessitate impediti, tum operam omnem apud illam faciemus, quo ipsa, non expectato ipso nostro conventu, istuc ad regnum Bohemie se conferret et postulatis Dominationum vrarum. satisfaceret. Interim autem rogamus illas plurimum: ne urgeant illius Mtem. in evocanda illa ad se, donec vel cum illa convenerimus vel constiterit, nos id prestare non posse, et persuadeant sibi de nobis vre. Dtiones., nos non secus cprdi habere bonum statum ipsius regni Bohemie, quam nostri proprii regni, et pro eo ac omnibus desideriis vestrarum Dtionum. libenter omnia, que poterimus, nos semper facturos. Bene valeant. Datum.

Dominus Andreas de Tanczin, Palatinus Lublinensis, homo parvus corpore, animo, consilio, eloquentia magnus, ex Thorun missus ad Regem Ludovicum in Hungariam, etiam ut eat in Bohemiam, si opus fuerit.

CCXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Andree de Tanczin, Pal. Lublinensi, Chelmensi, Belsensi, Ratnensi, Crasnostaviensi Capitaneo.

Mgce. s. n. dilecte. Significaverat nobis jam pridem Sermus. dominus rex Ludovicus, neposCod. G. R.
noster charissimus, exigi se vehementer ab omnibus statibus et ordinibus regni Bohemie, quod illorum dissensio et discordia intestina sedari nulla alia ratione possit, quam adventu et presentia sue Mtis. idque ejus Mtas. iterum literis suis novissimis repetivit declarans: se facere non potuisse aliter, quam se illis polliceri sicque statuisse, ut ad festum S. Joannis Baptiste prox. Posonium proficiscatur, ut prius illic, advocatis ad se nunciis a singulis ordinibus, tumultum et seditionem illorum componat, dehinc liberius et cum majori dignitate ad regnum ipsum Bohemie proficiscatur, ad reliqua illic necessaria providenda et in bono ordine constituenda, postulatque a nobis Mtas. sua, ut pro ejus honore et pro commodiore modo componende tante tamque perniciose regni illius dissensionis, oratorem nostrum ad se mitteremus. Nos illius Mtis. postulata, ut semper consuevimus, obaudire nolentes, Stem. tuam, que conditionem status ipsius regni Bohemie jam percalluit, ad id legationis munus deputavimus, volumusque, ut quam celerius et levi apparatu curruli dun-

MDXX. taxat, ut nunc aliqui talia itinera peragunt, se ad viam expediat et ad ipsum Sermum. dnum. Ludovicum recta Posonium, deinde, si opus fuerit et res ipse postulaverint, etiam in Bohemiam cum illius Mte. proficiscatur. Cracoviam vero veniens et instructiones necessarias et viaticum apud Boner recipiet, pro studio suo erga nos et gratia nostra factura. Que bene valeat. Thorunii XXII Maji.

CCXXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie, etc.

Cod. G. R. Serme. etc. Intelligentes animum Mtis. vre., quem ad componendas dissensiones et motus intestinos regni sui Bohemie instituit, expedire huic negotio, ut nos ad illam oratorem nostrum mitteremus, ne unquam ejus rebus ac postulatis deesse videremur, mittimus istuc ad eam mgcum. Andr. de Tanczin, pal. lublinen., consiliarium nostrum sincere nobis dilectum, qui pro eo, quod jam ante statum ipsius regni Bohemie percalluit, poterit commodius Majestati vre. in omnibus satisfacere, qui et alia pariter referet nostro nomine vre. Mti. cui fidem adhibere dignabitur. Valeat etc.

CCXXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Andree de Tanczin, Palat. etc.

Cod. G. R. Mgce. s. n. dilecte. Hactenus distulimus mittere tue Sti. instructionem hujus legationis, ad quam nuper illam designavimus, expectantes, quem eventum haberent tractatus nostri cum dno. magistro Prussie; verum cum ille verbis et promissis suis nos aliquamdiu ducens tandem rebus omnibus incompositis discessit, mittimus literas creditivas et eam ipsam instructionem, juxta quam et secundum quod melius ad bonum statum Sermi. domini regis Ludovici expedire videbitur tua Stas. agat omnia. — Fecimus autem illi pro viatico dari quingentos flor., et si illam longius opinione illic immorari aut proficisci ex Posonio in Bohemiam contigerit, plus illi mitti faciemus. Valeat etc.

CCXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Dominis regni Bohemie.

Cod. G. R. Spectabiles et mgci. generosi, strenui nobiles et famati s. n. dilecti. Mittimus in medium vrarum. Dtionum. mgcum. Andr. de Tanczin, palat. lublinen., ad tractandum et consulendum nomine nostro in commune cum vris. Dtionibus. et cesaree Celsitudinis Sermique. et amantissimi nepotis nostri dni. regis Ludovici oratoribus ea omnia, que decus et bonum statum ejusdem Sermi. dni. regis Ludovici et istius regni sui concernunt. Proinde postulamus a vris. Dtionibus., ut ei in omnibus, que referet et aget, plenam fidem adhibeant et quidquid

quidquid per eum actum, tractatum et confectum fuerit, id nos eque firmum atque ratum MDXX.
habituros non ambigant atque cum ipsi coram isthic adessemus. Cupimus vestras Dominationes bene valere.

CCXXXVII. Mandatum ad Conventum Regni Bohemie.

Sigismundus etc. Manifestum facimus universis. Quia intelligentes officii et debiti nostri Cod. G. R.
esse, ut pro necessitudine et vinculo sanguinis, quod nobis est cum Sermo. principe dno. Ludovico, rege Hungarie et Bohemie, nepote nostro charissimo illius Mti. ac regnis ejus consilio et auxilio nostro opportuno semper adsimus, constituimus et deputavimus ad conventum generalem in regno Bohemie pro dominica tertia post festum S. Georgii consiliarium et oratorem nostrum, mgcum. Andream de Tanczin etc., cui plenam autoritatem et potestatem dedimus damusque harum serie literarum agendi, consulendi et determinandi nostro nomine omnia et singula cum cesaree Mtis. et prefati Sermi. dni. regis Ludovici oratoribus et consiliariis ac statibus seu ordinibus regni Bohemie, promittentes verbo nostro regio, quod quidquid per eum actum, constitutum et determinatum fuerit pro bono et tranquillo statu ipsius dni. Ludovici, regis, et regni ejus Bohemie, id nos eque gratum et firmum habituros, ac quemvis actum nostrum proprium. In cujus rei testimonium etc.

Anno MDXX., XXII Maji. Joannes Lubranski, Episcopus Posnaniensis, mortuus est.

XXIV — Sigismundus, Rex Polonie, episcopatum posnaniensem contulit Petro Tomicio, epo. premisliensi, regni sui vicecancellario.

CCXXXVIII. Andreas Krziczki Petro Tomicio, Epo.

Rme. domine. Petiit a me dnus. Rambiewski, ut agerem apud rmam. Dtionem. vram., quo Cod. G. R
committeret ei aliquam legatiunculam nomine regio ad Mtem. reginalem. Qui cum relaturus est ei de collocatione istius episcopatus et dnus. Raphael etiam illius Mti. scribit, videtur mihi non abs re, ut per eundem nuncium aliquid illius Mti. significaretur, cui ego etiam scribam.

Ceterum, mi rme. dne., cum hec alea sic cecidit, mea, ita me deus amet, ex sententia, si vra. Dtio. impartire me dignabitur aliquo ex his reliquis, supplico mittere me dignetur, quo vult, preter Gnesnam, nam ultra hoc, quod locum illum, nescio cur, animus refugit et Cracovie reliquum evi, si, quod dominus deus, dabit, exigere statui, esset iterum necesse in manus dni. episcopi plocensis incidere et es immensum effundere, qui adhuc expeditionem ejus

MDXX. ejus sacerdotii in manu habet, homo cicuta nodosior et incertior, ne noxiorem dicam, itaque id gratie rme. Dtionis. vre. committo; verum quidquid actura est, agere dignetur pro deo antequam corvi illi hiantes revolent. Datum.

CCXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X., Pontifici Maximo.

Cod. G. R. Sanctissime in Christo pater. — Decessit hisce diebus rev. Joannes Lubranski, episcopus posnaniensis, consiliarius regni nostri, ad cujus episcopatum e vestigio sufficiendum putavi rev. dominum Petrum Tomiczki, premisliensem episcopum et regni nostri vicecancellarium, virum doctrina, virtute et meritis insignem et cum mihi tum universo regno acceptissimum. Quare commendo illum omni studio vestre Scti. et supplico ei, ut ipsum ad eundem episcopatum posnaniensem provehere et sacerdotia, que habet omnia quidem jurispatronatus mei pariter illi reservare dignetur, prout jam alias ei etiam reservata fuerunt, quo ego deinde possem liberius de illis, uti mihi visum fuerit, disponere et servos meos, quos idoneos et meritos habeo, providere. Faciet vra. Sctas. rem sua erga me benignitate dignam et mihi longe gratissimam.

Ceterum ago immensas gratias vre. Scti., quod ad ea tractanda, que rebus meis expediunt, mittere huc ad me dignata est suos oratores, quos hic aliquantisper adhuc retinebo, donec hi tumultus bellici, quibus distineor sedabuntur, ut illi testes fiant apud Sctem. vram. tum gestorum tum etiam equanimitatis mee. Nam quod ad profectionem in Moscoviam attinet, quia res aliter se multo habet, quam sit eidem Scti. vre. persuasum, nec decens, nec satis tutum, ut illic irent putavi; verum supplico illi enixe, ut pro honore suo et meo populorumque meorum commodo ac etiam dignitate, concedere dignetur easdem facultates rev. dno. Zacharie, epo. gardiensi, ad annum duntaxat in regno et dominiis meis Polonie exercendas, quas illi ad ducatum Lithuanie et Moscovie concessit. Nam illic nullius pene usus esse possunt propter multitudinem incolarum ritus greci et raram necessitatem ejusmodi facultatum, que illic hominibus incumbant. Erit hec res mihi non vulgariter grata et subditis meis utilis, cum ea que isthinc ex Urbe aut Hungaria petuntur hic domi haberi possint. Quod vram. Sctem. pro sua benignitate facturam non dubito, cui me cum regno et dominiis meis ex corde commendo, et cupio, ut sit diutissime felix et incolumis.

CCXL. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Bonero, Zuppario.

Cod. G. R. Generose dne. amice charissime. Post discessum hinc domini Jodoci licet constitutum erat, ut oratores omnes irent ad magistrum et inducie decem dierum concesse fuerunt, tamen exposcentibus oratoribus principum Germanie, ne exercitus regius victum sibi intra hos decem dies in terra ipsius magistri caperet, sed emeret pecunia, que res difficilis et non ferenda

renda fuit, nec Mtas. regia ad illam consentire potuit, discessum est rebus infectis. Exercitus regius jam hactenus est circa Montem regium, sed adhuc ignoramus, quid illic agit. MDXX.
Ceterum placuit domino deo auferre ex hoc mundo rmum. dnum. Joannem Lubranski, episcopum posnaniensem, fer. III preterita, cujus episcopatum Mtas. regia dignata est pro sua gratia mihi conferre, obligavit me tamen, ut adhuc officium per non parvum tempus retinerem.

Quia vero semper cognovi favorem in me singularem vre. Dtionis., nunc illo mihi maxime est opus, ut videlicet antequam literas in Urbem conscribam, parare velit nuncium, qui eas celerrime Venetias portaret, ut illinc quam velocius Romam per postas transmitterentur, ut breve accipiende possessionis ante messem habere possim. Nam per negligentiam magnum dispendium acciperem. Vellem autem, ut negotium expeditionis dominis Fukaris Rome vra. Dtio. committeret, quia illi celerius omnia conficient, quam dnus. eps. plocensis, qui alioquin est in omnibus tardus, cui tamen scribam etiam literas, ut juvet rem; sed ut dixi, expeditio tota dominis Fukaris committatur.

Narravit mihi dominus Jodocus, quem in numerum secretariorum curavi ascribi, quod Dominatio vestra illum Romam mittere vellet causa pecunie regie illic in banco deposite et dotis repetende. Si ita fieri posset, ut eum Dtio. vra. celerius expediret, hoc ego libentissime viderem, nam nullus mihi melius et fidelius omnia expedire illic posset, quam ipse. Sique ita est, quod eum Dtio. vra. vellet mittere, cuperem ut eum quam celerius properari faceret, ut cum primum literas ad eum mittam, ipse sine mora possit discedere. Curabit autem vra. Dtio., ut de pecunia regie Mtis., que in banco romano est deposita, accipiatur in hanc meam expeditionem, quantum erit opus, et ego vre. Dtioni., quicquid illic expendetur, quam primum exolvam. — Hec ad presens scribere volui vestre Dtioni. et hac causa nuncium hunc misi. Que felicissime valeat et me habeat sibi ut consuevit commendatum. Datum Thorunii.

CCXLI. Sigismundus, Rex Polonie, Castellano Posnaniensi.

Mgce. domine, nobis sincere dilecte. Post expugnatam et interceptam arcem Hollandt una cum oppido, cum inde se movisset noster exercitus et duces seu capitanei illius aliquot turmas equitum et peditum sub civitatem Braunsberg premisissent, trecenti pedites lancearii contra illas excurrentes manus cum eis conseruerunt, qui fusi cesique sunt omnes, preter paucos captivos insigniores, quos servarunt in testimonium sue victorie. Eedem ipse turme insequentes lancearios predictos, suburbium novum et bene munitum illius civitatis interceperunt, spemque bonam habemus, quod quam primum universum robur exercitus nostri illuc appulerit, civitas ipsa veniet cito in potestatem nostram. Bene valeat. Dat. Cod. G.

CCXLII. Andreas Krziczki, Pptus. Posnaniensis, Petro Tomiczki, Epo. Posnaniensi, Avunculo.

MDXX. Cod. G. R. Rme. in Christo pater et dne., dne. mi colendissime. Applicui huc sabbato gratia dei salvus et incolumis ubi e vestigio summus mihi labor impositus est componende differentie inter dnum. palatinum posnaniensem et capitulum, quod nihil absente me agere voluit et ille de absolvendis funeralibus nihil admittere, donec esset secum de rebus derelictis compositum. Quod negotium, quia sine magna difficultate et tumultu transigi non poterat, sumus usi eo diverticulo, quod non liceret nobis, nec esset integrum aliquid in presens constituere sine vero earum rerum successore, ne postea vel ab illo, vel certe a summo pontifice et corvis illis hiantitus impeteremur. Igitur post longam altercationem ita medio domini Luce de Gorka, castellani, convenimus, quod ea, que fuerunt per familiam pro dno. palatino in curia occupata, essent in sequestro apud ipsum dnum. castellanum, illa vero, que in ecclesia sunt, non moverentur usque dum confirmatio rme. Dtionis. vre. afferretur, nam facile erit illi similem cum dno. castellano rem componere, qui ad partem nostram recte est dispositus, et dnus. palatinus illi se totum tradidit. Restat adhuc difficultas de vestibus, quas jam accipere vult et nos recusamus consentire, ut sit deinde, quo per concordiam citra pecuniam et argentum contentari possit. Hesterno die post prandium tumulavimus funus magna hominum frequentia et fletu. Qua re peracta, processum est ad electionem administratoris, ubi coactus precibus omnium et suasu etiam eorum, qui rebus Dtionis. vre. rme. singulariter afficiuntur, quod id ex illius usu esset, provinciam suscepi, haud libens certe, quod accipiendi mihi sunt semper canonici et alii sacerdotes pro summo corum affectu et honore, quo me prosequuntur. Clavis hec posnaniensis, que administratori cedit, tota penitus est cum exesa tum expilata culpa et conniventia dni. Volski, canonici. De quo et aliis negotiis scribam postea fusius, nam has inter inferias et cantum feralem scribere oportuit, tantum laboris est et angustie temporis. Nunc confectis vigiliis bona partiri debemus; ego curabo negotium hoc ita dirigere, ut quo minus fieri poterit deligutiatur. Me Dtioni. vre. uti dno. meo benignissimo humiliter commendo. Quam dnus. Deus servet diutissime felicem et incolumem. Datum Posnanie in crastino S. Trinitatis.

CCXLIII. Cricius Tomicio

Cod. G. ..... Pater commissarius vocat Posnaniam paradisum regni et dicere vult reginali Mti., se hic alteram Neapolim offendisse. Dnus. Nicolaus de Lubbrancz, palat. posnanien., exegit a nobis vestes fratris sui episcopi posnanien. derelictas, quas coacti tumultu et clamore nobilium negare non potuimus, ea tamen lege, ut quando fuerit requisitus, eas ad res alias deponat. Bona mense episcopalis nondum sunt inter canonicos dispartita propterea quod

veretur

veretur quisque ad breve tempus et evacuatis bonis tantum onus subire, tamen hodie vel cras huic negotio finem imponemus. Cetera Dtio. vra. rma. ex nunciis nostris intelliget, cui me humiliter commendo. Posnanie die Lune. MDXX.

CCXLIV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Laurentio Miedzilewski, electo Epo. Camenecensi.

Rde. dne. frater et amice charissime. Post longos tractatus, quos ultra sex septimanas habuimus cum oratoribus Sctmi. domini nostri et Sermi. dni. Hungarie et Bohemie etc. regis, tum Illmorum. principum Germanie nihil ad finem concludere potuimus in negotio concordie et pacis, de qua agebatur. Nam dnus. magister adeo obduruit in cepto et contumacia sua, ut etiam pacem perpetuam diu factam observare noluerit nihilque certi ad concordiam responderit, quare rebus infectis discessum est. Nunc vero misit ipse magister ad Mtem. regiam oratorem suum, misit et nobilitas ac civitates illi subjecte nuncios suos, petentes: dari dno. magistro salvum conductum, ut venire huc ad Mtem. suam possit. Is si veniens volet facere debitum suum seque Mti. sue humiliare ac veniam petere, habebit salvum conductum et gratiam obtinebit, sin minus, credo, quod nihil impetrabit. Cod. G.

Ceterum mortuus est rmus. olim dnus. eps. posnaniensis feria III preterita hora sexta noctis, cujus mors valde mihi molesta est, eo quod fuit meus et domus mee singularis patronus et benefactor. Mtas regia mox hilari vultu et honestissimis verbis episcopatum ejus mihi contulit, obligans me, ut adhuc officium vicecancellariatus non resignarem, nec a Mte. sua discederem. Ego hac summa beneficentia Mtis. sue devinctus, utrumque recusare non potui nec aliter facere licuit. Quemadmodum autem fui ante hac vre. Dtionis. bonus amicus, sic in eo ampliori statu existens libenter illi in omnibus rebus gratificari studebo. Cui me commendo et que valeat et sit felix et dnis. Vilnensi et Trocensi palatinis ac etiam dnis. marschalcis, imprimis vero rmo. dno. Vilnensi me frequenter commendet.

CCXLV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Stanislao de Coscelec, Palat. Junivladislaviensi, Marienburgen. etc. Capitaneo.

Mgce. dne., amice et fautor honorande. Credo, quod magno astu dnus. magister agere vult cum Mte. regia, nolens enim aut erubescens ipse petere pacem, subornavit suos subditos, ut scriberent Mti. sue et inducias ab ea peterent ac salvum conductum pro oratoribus suis, quos ad eam missuros se pollicentur. Cum enim illorum litere scripte sint ex Kinsberg, verisimile est, quod de voluntate et scientia domini magistri sunt misse et composite et dari quidem poterit illis salvus conductus, sub cujus securitate huc veniant. Inducie vero nullo modo concedentur, nisi omnes se dedant et subjiciant Mti. regie. Felicissime valeat vra. Mgcia. meque habeat ut consuevit sibi charum et commendatum. Cod. G.

CCXLVI. SIGISM.

CCXLVI. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine.

MDXX. Ex cod. mss. bibl. Ossol. *Serma. princeps. Gravi et acerbo tulimus animo filiole nostre charissime obitum, sed consueti jam funeribus tot charorum nostrorum, quos extulimus, dolorem nostrum moderamur. Agimus vero immensas gratias vestre Mti., quod illi pia et materna cura non defuit, quo fecit officium sua virtute et nostro mutuo amore non indignum. Nos quod reliquum est justa illi et inferias pro conditione regia fieri commisimus. Dnus. deus ejus animulam in sinu Abrahe collocet. — Felicissime valeat.*

CCXLVII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castell. Posnaniensi.

Cod. G. Mgce. domine, dne. fautor colendissime. Gravi et acerbo dolore affecta est Mtas. regia ex obitu Illme. Anne, filiole sue, que die S. Stanislai concessit ab humanis; consueta tamen jam funeribus tot charorum suorum, quos extulit, temperat dolori suo, et justa illi ac inferias pro conditione regia fieri mandavit. Dominus Deus ejus animulam in sinu Abrahe collocet.

Hesterna die accurrit huc nuncius missus a nobilitate et civitatibus dno. magistro subjectis cum literis, quibus declarant se bello adactos et precaventes majora damna sua, que illis inferri possent, oratores suos ad Mtem. regiam mittere decrevisse, petentes salvum conductum et inducias seu cessationem a bello, prout ex copia earundem literarum, quam presentibus inclusam mitto, vestra Mgcia. clarius cognoscet. Credo ego, quod dabitur illis salvus conductus, inducie tamen nullo modo concedentur. Res enim esset summe indignitatis et dispendii, pro re incerta certam occasionem rei bene gerende omittere et ingentem vim pecunie frustra effundere. Non potest ignorare dnus. magister de his literis, scripte enim sunt ex Kinsberg, ubi ipse nunc manet; verisimileque est, ipsum, quum solus pacem petere nolit seu erubescat, suos subditos ad illam petendam subornavisse, ut interim subsidia confederatorum suorum, in quibus sperat, consequi possit. Me vestre Mgcie. et mea obsequia ex animo commendo, que cum suis omnibus sit semper sospes, incolumis et felix.

CCXLVIII. Andreas Cricius Pptus. Posnaniensis, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario,

Cod. G. Rme. in Christo pater et domine. Dispertivimus tandem bona rme. Dtionis. vre., non usque quaque ex mea sententia, qui volui pro indigentia bonorum personas attribuere, non pro senio canonicorum, ut illi voluerunt, tamen curavi, ut unus quisque faciat exactam diligentiam

diligentiam in conscribendis omnibus tam ablatis quam relictis et ne quisquam deinceps distraheretur. Mihi clavis posnaniensis obvenerat, ex qua cum onera ecclesie me ferre oportere intellexi et nihil in ea prorsus inveni, cepi potius bukoviensem, licet cum displicentia dni. cantoris, qui labra fonte illo caballino proluere cupiebat, ut quod ille epotare debuisset, potius ad onera ecclesie converteretur, quam ego pecuniam meam exponerem ad rationem, ut illi volebant, pecunie rme. Dtionis. vre. MDXX.

Dominus Opalenski dolens de eo quod fecit, obtulit mihi se redditurum omnia, jamque ad illum misi, sed Soboczki plura corrasit, a quo etiam curabo cuncta repetere. Me rme. Dtioni. vre. uti dno. meo perpetuo humiliter commendo. Quam dnus. Deus servet diutissime sospitem et incolumem. Posnanie die Martis.

CCXLIX. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Prussie.

Illme. princeps, nepos noster. Audivimus nuncium vre. Illtis. ad nos missum, literas illius etiam legimus et ad ea, que a nobis postulavit, prout ratio presentis temporis exigere videbatur, eidem ipsi nuncio ejus respondimus et literas nostri salvi conductus per illum misimus, adjectis nonnullis articulis, ex quibus mentem et voluntatem nostram plene cognoscet ipsa vra. Illtas. Que bene valeat. Datum etc. Cod. G. R.

CCL. P. Tomiczki. Eps. Vicecancellarius, Stanislao, Duci Masovie.

Illme. princeps et domine, dne. honorande et gratiose. Libenter excusabo apud Mtem. regiam absentiam vestre Illtis., quam haud dubie Majestas sua non gravato animo suscipiet postquam vra. Illtas. propter sua et ducatus sui negotia aliquantisper adhuc istic subsistere sit coacta. Miserunt huc hesterno die nobiles et civitates Illri. dno. magistro et ordini theutonico subjecte nuncium cum literis suis ad Mtem. suam, petentes salvum conductum oratoribus suis, quos ad eam mittere vellent et inducias per id tempus, quo iidem oratores sui huc venire et redire possint. Et dabitur quidem illis salvus conductus, inducie vero nullo modo concedentur, res enim esset summe indignitatis et dispendii, pro incerta re certam occasionem rei bene gerende omittere et ingentem pecunie vim frustra effundere. Cod. G.

Perturbata est Mtas. regia nonnihil ex obitu Illme. dne. Anne, filiole sue. Assueta tamen jam tot funeribus charorum suorum, quos extulit, fert hunc casum eo animo, quo debet. Me vre. Illti. et mea obsequia toto corde et ex animo commendo et valere illam felicissime desidero.

CCLI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castell. Posnaniensi.

MDXX. Cod. G. Mgce. domine, dne. et fautor colendissime. Ago et habeo magnas gratias vestre Mgcie. de tanto studio et cura, quam habet, ne res per mortem rmi. dni. epi. posnaniensis derelicte distraherentur, et licet commiserit jam Mtas. regia per suas literas id vre. Mgcie. providere, ego tamen etiam rogo illam plurimum, non permittat bona ecclesie tam turpiter lacerari, sed ea ab injuriis et violentiis defendat, nam propinqui nullum jus habent ad invadenda ea, que illis donata non sunt aut testamento legata, sed omnia, que extant conservari debent integra et inviolata. Non negarem dari eis aliquid pro eorum consolatione, sed nollem, ut jus successionis vendicare sibi deberent in bonis ecclesie aut rebus ex ipsa quesitis, alioquin esset deterior conditio ecclesiasticorum quam Judeorum.

Exercitum regium cepit nuper castrum Brandeburg tribus aut quatuor miliaribus a civitate Montis Regii distans. Dominus magister vero misit huc dnum. Henricum Melticz, prefectum castri Nidburg, petens dari sibi salvum conductum veniendi huc ad Mtem. regiam, hoc ipsum petunt etiam nuncii missi a nobilitate et civitatibus illi subjectis, sperant enim, quod in adventu huc illius bellum hoc tam cruentum cito sopiri possit. Quia autem petunt etiam iidem nuncii belli inducias sibi concedi, durante ejusmodi salvo conductu, et non exprimunt, si dnus. magister huc veniens vellet facere debitum suum nec ne, nescio quomodo in hoc casu absolventur. Si enim inducie propter nudum huc magistri adventum concedi deberent, non habita ulla certitudine, quod ille concordie pacis perpetue esset satisfacturus, non video, quomodo id citra magnam ignominiam et jacturam Mtis. regie et regni fieri possent. Commendo me et obsequia mea.

CCLII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Balinski, Cast. Gedanensi etc.

Cod. G. Generose dne., amice charissime. Heri venit huc nuncius terrarum et civitatum, que dno. magistro et ordini theutenico sunt subjecte cum literis, quibus petunt salvum conductum, sub cujus securitate nuncios suos huc mittere possint et inducias, que interea durare deberent, quoad nuncii sui ultro citroque transirent. Non dubitantes, quod ista sit techna et astutia dni. magistri et sui ordinis, quod hac vana spe vellent inducere Mtem. suam ad inducias; poterimus quidem dare illis et mittere salvum conductum, verum inducie nullo modo concedi poterint; esset enim id cum magna indignitate et gravi dispendio Mtis. sue, si cessari a bello deberet et pro re incerta certe rei bene gerende occasio omitteretur et ingens pecunie vis frustra effunderetur. Bene valeat etc.

CCLIII. SIGISM.

CCLIII. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine, uxori sue.

Serma. princeps. Significarunt nobis nudius tertius duces exercitus nostri, Ill. dnum. ma- MDXX.
gistrum suscepisse conditiones illi per nos propositas et venire huc ad nos omnino decre- Cod. G. R.
visse ac hodie de civitate et sede sua Montis Regii aggressuram. Qui si venerit ad petendam veniam a nobis et debitum suum prestandum, speramus huic bello cito finem imponi posse, quod nos multiplicibus illis injuriis lacessiti adversus illum inviti certe suscepimus. Quomodocunque autem res cadet, curabimus posthac de omnibus vram. Mtem. reddere certiorem. Cujus mutuo amori nos commendamus et valere illam felicissime desideramus.

CCIV. Sigismundus, Rex Polonie, Duci Pomeranie.

Illme. princeps. Accepimus literas vestre Illtis., ex quibus cum singulari animi jucunditate Cod. G. R.
cognovimus, illam pro suo in nos affectu et necessitudine propensum esse, nos propria in persone visere affectareque eam a nobis certiorem fieri ad quam diem et quemnam in locum ad nos venire deberet. Quod quidem Illtis. vestre in nos studium nobis non gratum ac perjucundum esse non potest, ut que nec dispendio nec labori parcere vellet, quo mutua presentia coram perfrui possimus. Licet autem nunquam nobis incognita obscurave fuerit Illtis. vre. in nos benivolentia, eam tamen hac indubia attestatione cognoscere fuit nobis apprime acceptum, utpote qui prospeximus, quanto studio et amore sese gerat erga nos, pro quo quidem illi agimus et habemus gratias non vulgares, parati etiam regia benignitate nostra et opportuna gratitudine ac commoda necessitudine referre.

Fuisset autem nobis singulariter grata Illtis. vre. presentia sub hoc potissimum tempus, quo Illmus. dnus. generalis magister, nepos noster, incepti sui pertesus et ad rationem revocato animo mutatoque plane proposito ac resipiscens tandem, se huc ad nos venturum idque intra octavum diem est pollicitus. Quando tamen nec temporis brevitas, nec locorum distantia patitur, ut nostri cum predicto dno. magistro tam solennes tractatus Illtis. vre. optatissima presentia condecorari valeant, neque nobis adhuc constitutum sit, quando aut quorsumnam post ejusdem dni. magistri hinc discessum profecturi simus, quorsumve nos regni et dominiorum nostrorum rationes pertrahent, nihil ad presens certi Illti. vestre de ejus ad nos adventu perscribere ac constituere possumus. Cum primum tamen ex presenti actione nostra nos aliquantulum explicaverimus eamque ope divine clementie ac dignitate nostra ac pro jure regni nostri uti optamus et speramus ex sententia confecerimus, tum demum Illti. vre. mature et benigniter significare curabimus, ad quod tempus et ubinam locorum pro desiderio suo nos coram contueri possit, cujus mutua presentia vicissim perfrui futurum est nobis gratissimum, quandoquidem illi sumus semper optime affecti. Et quam feliciter valere cupimus. Datum Thorunii.

CCLV. PETRUS

CCLV. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Georgio, Epo. Quinqueecclesiensi.

MDXX. Cod. G.R. Rme. in Christo pater et dne., dne. colendissime. Cum nuper Casper, cubicularius, Sermi. dni. nostri regis ex Ungaria rediisset, attulit mihi a rma. Dtione. vra. literas, quibus et veterem suum in me favorem testificata est et quid de bello, quod nunc cum magistro Prussie geritur, senserit aperuit; merito igitur mihi jucundissime fuere, neque mihi excidet unquam, qua olim benivolentia quibusque suffragiis me juverit, quamque nascenti tunc laudi mee et dignitati faverit. Itaque pro his rebus et habui semper et habeo eidem rme. Dtioni. vre. immortales gratias.

Quantum ad rationem belli hujus attinet, memini, me prioribus literis scripsisse ad rmam. Dtionem. vestram, quam invita quamque justissimis causis coacta regia Mtas. hoc bellum susceperit susceptumque modo prosequitur, ut nemo nisi imperitus rerum id non sue Mti., sed pervicacie dni. magistri Prussie non adscribat; qui nedum suapte, sed etiam ab oratoribus, cum summi pontificis, tum Sermi. dni. Ludovici, Ungarie et Bohemie regis, et principum Germanie satis honestas et tolerabiles conditiones oblatas acceptare noluerit, jam eo deventum est, ut Sermus. dominus noster rex armis quam conditionibus disceptare malle cogatur.

Sunt tamen et modo hic alii legati videlicet a nobilitate et civitatibus subjectis atque etiam ab eo ipso dno. magistro, nec utique ipsi adhuc aliquid tale attulerunt, quo ab armis discedere honeste possemus. Deus cetera gubernet. Hactenus omnia Mti. Sermi. dni. nostri prospere succedebant, que quia notissima sunt, non existimabam opere pretium fuisse singula ad rmam. Dtionem. vram. perscribere, cum ea alioquin ex multorum literis et nunciis, fama denique ipsa didicisse potuit. Hoc unum pro summa mea in rmam. Dtionem. vram. observantia ut ei denunciem adducor: auctus sum his diebus ex gratia Sermi. dni. nostri amplo sacerdotio, videlicet posnaniensi episcopatu. Nam bonus ille episcopus, quem Dtio. vra. rma. optime norat, dominus Joannes magno bonorum omnium dolore excessit e vita. Non dubito itaque pro ea spe, quam de benivolentia et amore rme. Dtionis. vestre in me jam dudum conceperim reque ipsa expertus sim, quin ea res grata sit futura eidem rme. Dtioni. vre. Cui me et obsequia mea toto corde commendo, quamque diutissime felicem et incolumem vivere et valere opto et precor. Datum Thorunii.

CCLVI. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X., Pontifici summo.

Cod. G. R. Sanctissime etc. Accepi literas vre. Sctis., quibus tametsi paterna benignitate mecum agit, quod adversus Illtrem. dnum. magistrum Prussie, ad tuendos subditos et dignitatem meam arma sumpserim, subinde tamen expostulare mecum dignatur, quod prior extiterim, a quo principia turbationum orirentur, qui operi Sctis. vre. de confectis quinquennalibus induciis autoritatem

autoritatem derogaverim eique tantam, ut inquit, ignominiam intulerim, quod nec filii es- MDXX.
set erga patrem, nec amici erga amantissimum, nec christiani regis erga rom. pontificem, et alia id genus, que legens sane non mediocri dolore affectus eram. Qui enim tot annos questus fuerim apud Sctem. vram. illique declaraverim varias et multiplices injurias, damna et hostilitates, quas ipse magister mihi et subditis meis inferre consuevit, que item adversum me facta cum meis, immo totius rei christiane, hostibus indignissima societate molitus est, certo mihi persuadebam exploratam fuisse satis vre. Scti., non modo patientiam, modestiam et equanimitatem meam erga illum, sed etiam summam in se et sanctam suam sedem observantiam et devotionem, ut qui hec omnia ejus solius causa usque eo toleraverim, ut — quemadmodum res instructa fuit adversum me undique — pene in magnum discrimen cum regno et dominiis meis venissem, nisi furentem et temerarium ipsius magistri conatum summo impendio et opportuna celeritate prevenissem, quare nihil mihi unquam eque preter spem accidit, quam expostulari mecum de violatis induciis et ignominia Scti. vre. illata, qui eam summo studio et veneratione fuerim semper prosequutus, qui profusionem sanguinis christiani adeo non appeto, ut etiam pro tuendo illo meo et gentium mearum sanguini nunquam parco; cum magistro vero omni correptione dignissimo, ne eadem quidem fieri, qui sub ipsis induciis tempus aptissimum ratus, et cum de compacto Mosci et Tartari nos impeterent, adduxit prope fines magnam vim militum ex Germania et ipse delectu domi facto et copiis ordinatis tragediam hanc omnem orsus sit, cujus et autor est ipse, ita in eum solum omnis culpa redundare et mea causa suum favorem merito habere debuit; nam quod Sctas. vra. subintulit: eum viribus meis imparem esse, an imparem cum Moscorum, Tartarorum et Germanorum viribus? quos, si deus opt. max. pacta et conventus suos exequi permisisset, ita ut summa patientia mea conspirare illos inter se permiserat, non actum fuisse putat vra. Sctas. de hoc rege suo? Quo et observantiorem sui habet neminem, et, absit verbo invidia, de re christiana magis meritum. Et utcunque sit, solent alii principes christiani pro inanibus titulis, pro libidine dominandi inferiores opprimere, idque vulgo et cum gloria, ego unus, qui tot gravissimis injuriis lacessitus coactusque pro salute regni et dominiorum meorum justissimum bellum ago, vel propulso potius tanquam perturbator pacis communis a vra. Sanctitate, o pater clementissime, accusor! auctor vero tantorum malorum lenius audit, quem etiam hactenus neque modestia mea, nec suum discrimen deducere ab incepta hostilitate potest. Superioribus enim diebus, cum militum leviorem manum adversus illum misissem, que modico belli preludio illum ad cor et officium suum reduceret potius, quam cogeret, non modo non curavit quidquam de pace mecum agere, sed ne ad ullam quidem equam et decentem conditionem accedere voluit, quin oppressis ex insidiis aliquibus peditibus meis, qui pro presidio capti cujusdam oppidi collocati erant, fecit plerosque pudendis suppliciis ad ignominiam meam affici et unum ceu capitaneum dono duci Moscorum misit pro testimonio victorie, quam de quinque milibus hominum meorum consequutus esset, cum ne ducenti quidem fuerint, qui toto illius conatu fuerint ex improviso et dolo oppidanorum fusi et intercepti, et ego innumeros tum milites tum aulicos et primarios viros adeptus, non secus quam meos benigne et clementer habeo, tantum abest, ut quicquam ejus, quod justa indignatione ferri deberet,

MDXX. agam prout vram. Sctem. de his et aliis omnibus nuncii ejus, qui apud me sunt, ad plenum reddere possunt certiorem. — Itaque, beatissime pater, res in hoc cardine versatur. Quum essent apud me preter nuncios vre. Sctis., oratores insignes Sermi. dni. Ungarie et Bohemie regis, nepotis mei charissimi, ac etiam principum Germanie componende pacis causa, peterentque a me inter cetera, uti res ad conditiones priores pacis perpetue moderatis aliquibus articulis rediret, ego utcunque majorem jam ipsius magistri partem ditionis in potestatem meam redegerim et reliquum parvo negotio redigere possum, utcunque etiam ille adhuc cristas et hostilem animum in me non deposuerit, tamen rei christiane et imprimis Sctis. vestre causa paratus fui ad eam ipsam perpetue pacis conditionem accedere, quam ille non satis firmam fuisse docuit. Facile enim ad pacem reducitur is, qui invitus pugnat. Verum illo nihil certi aut firmi respondente in quo tuto consistere potuissem, tantummodo id agente, ut per involucra sua posset ex presenti discrimine elabi et novam deinde mihi melius instructus difficultatem ingerere, pace infecta oratores discedere et me bellum prosequi necesse fuit. Quare supplico Scti. vre. ut si quis aliter de his illi scriberet vel referret, quo me et causam meam invisam redderet, vra. Sctas. potius suis nunciis, si verbis meis non libet, fidem adhibere dignetur. Et quum magistro sub pretextu debiti sui, quo est ordini astrictus, licet contra professionem suam agere et sacra profanis miscere, liceat et mihi cum bona venia vre. Sctis. jura regni mei et meam dignitatem tueri ac illibatam conservare. Nam ego Scti. vre. et universe rei christiane plus etiam usui esse potero et plus de illa mereri quam decem ejusmodi ordines; quod tamen non eo dictum putet Sctas. vra. quod eum ordinem opprimere vel exterminare velim, sed quod facere non possim aliter, quam tranquillitati mee consulere et juribus regni mei, ut juramento sum astrictus, non deesse. Me Scti. vestre uti domino meo clementissimo et hanc causam meam justissimam omni studio commendo, quam dnus. deus servet diutissime sospitem, felicem et incolumem. Datum Thorunii Calendis Junii.

CCLVII. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinalibus.

Cod. G. R. Rme. in Christo pater et dne. amice charissime ac honorandissime. Quemadmodum ab initio declinavimus semper cum Illri. dno. magistro Prussie ad arma venire et bellum cum illo aggredi, ejus hostilibus inceptis coacti sumus, ita etiam agentibus apud nos pro pace oratoribus cum Sctmi. dni. nostri et Sermi. nepotis nostri dni. Hungarie et Bohemie regis, tum etiam principum Germanie, parati fuimus bellum, utcunque felicissime succedit, dimittere et in summa post multos tractatus ad conditiones pacis perpetue, quas ille violavit et infirmas esse docuit, redire: verum ne id quidem ille certo aliquo responso acceptare voluit, nisi hoc egit, ut nos verbis ab armis et optimis successibus nostris seduceret et deinde consequutis subsidiis, que se habiturum ab Infidelibus et ex Germania sperat, nobis novam et majorem difficultatem ingereret, oportuit oratores, rebus infectis, discedere et nos actionem nostram prosequi, cum nobis nullo modo licet juribus regni nostri pariter et dignitati

nitati nostre deesse. Quare plurimum rogamus vram. Rmam. Dtionem., dignetur hoc ne- MDXX.
gotium nostrum Sctmo. dno. nostro commendare et facere Sctem. suam certiorem, quod non nos, sed ipse magister inducias quinquennales a sua Scte. institutas violavit, eductis e Germania contra nos inopinantes multis milibus lanceariorum, se domi cum omni apparatu bellico instructo ac sollicitatis ad defectionem subditis nostris. Que res tam late et clare patet, ut nulla ratione negari aut excusari possit, persuadeatque Rma. Dtio. vra. ipsi Sctmo. dno. nostro: nos nihil temere, sed coactos majori in dies magistri insolentia et hostilitate bellum agere, ne quis aliter istic referens sinistram de nobis existimationem immittat et cause nostre favorem immerito deroget. Quod vicissim vre. rme. Dtioni. omni officio et gratificatione nostra qua poterimus referre curabimus. Que felicissime valeat et nos diligat. Datum Thorunii II mensis Junii.

CCLVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo, Epo. Plocensi, Oratori.

Rev. in Christo pater et dne. nobis sincere dilecte. Sabbato Carnisprivii pervenere huc rev. Cod. G. R.
dominus Zacharias, eps. Gardiensis, et mgcus Joannes Thedaldi, Sctmi. dni. nostri oratores, quorum nobis adventus gratissimus extitit, cum illius Sctis. intuitu, tum vero ob eorum eximiam virtutem, eruditionem ac in maximis quibusque rebus obeundis dexteritatem et singularem prudentiam. Pergrato igitur jucundoque ac filiali plane animo hoc illius Sctis. in nos officium excepimus, cui res nostras paterne cure esse animadvertimus, vre. quoque Ptis. in eis huc mature expediendis operas non probamus modo, sed magnopere etiam collaudamus, utpote que nobis non vulgariter accepta existat. Ex eo autem die, quo primum huc venere, nihil opere, studii, diligentie, laborum ab eis pretermissum est, quo bello huic aliquis statueretur modus, cum nostra tum potissimum communis reipublice christiane causa, cui septi munitissimi vicem nostro impendio ac marte soliusque regni ac nobilitatis nostre pectoribus nullo auxiliante tot annos indesinenter prestamus. — Fuere etiam hic apud nos diebus sane plurimis Sermi. dni. Ludovici, Ungarie et Bohemie regis insignes oratores, Illmus. videlicet dnus. Fridericus, dux legnicensis, et rev. dominus eps. Jauriensis. Affuerunt etiam una Illmorum. s. rom. imperii principum electorum octo oratores, viri et doctrina et gravissimarum rerum usu prestantes. Qui communicato unanimique cum Sctmi. dni. nostri simulque Sermi. regis prefati oratoribus consilio nihil intentatum reliquere, quo hoc incendium restinguerent, missis etiam semel atque iterum ad magistrum literis ac nunciis, qui eum principum suorum nomine salubriter commonefacerent, ut si non sui at saltem subditorum suorum causa saperet tandem ac novissima previderet sciretque: nos ad pacem illam perpetuam tantorum principum, ac inprimis Sctmi. dni. nostri interventu haud gravate accessuros et ad equissima queque pacis studio condescensuros. Cum vero nihil inde paccati responderetur viderentque oratores ipsi, se et oratores suos ne quidquam adniti apud eum, qui ratione posthabita totus perturbationi vacaret, nec illis spes ulla esset reliqua, eum unquam ad se rediturum et ad rationem revocaturum

MDXX. caturum animum magno suo cum dolore et illius pertinacie justissima insectatione hinc abierunt. Huic autem contumacie sue materiam et spiritus adeo feroces suggerebat cum ex Germania, tum vero a Mosco — ob fedus et indignissimam conspirationem cum illo initam — indubia spes auxilii. Illius namque Scismatici insignes oratores in hanc usque diem apud se magno in honore habet eique expugnato nuper ecclesie varmiensis Melschack oppido nostroque illic presidio civium proditione intercepto ejusce presidii unum captivum dono miserat, suppliciorum comminatione adjecta, nisi quinque milia ex nostris occubuisse autor esset, nulloque negotio exercitus nostri reliquias a magistro confectas iri diceret, si ille pacta conventa ex federe subsidia prestaret. Sed is captivus, cui Saboy nomen est, cum per Livoniam in ferro et compedibus ad Moscum deveheretur, Moscis custodibus, qui se magistri simulque oratorum Mosci jussu ad ducem pertrahebant, deceptis diruptisque vinculis aufugit in Samogitiam nostram, adjutus a nonnullis Livoniensibus, qui indignum facinus miserati indignum ferebant, quod vir rom. et orthodoxe religionis apud Scismaticum durissimam servitutem victurus foret. Is postliminio ad nos rediens, rem omnem atrocissimam, uti gesta erat, principum Germanie et aliis omnibus oratoribus presens coramque magno quidem illorum cum stupore ordine exposuit. Sed id genus multa referri possent, quibus magister ipse in nostros usus ac verius immanissime abusus est. Cum igitur omnibus jam liquido constaret, illum Sctmi. dni. nostri autoritatem et aliorum principum interventum pro nihilo ducere, nec resipiscere velle, nec quicquam minus, quam de reconcilianda inter nos gratia cogitare, nos certe illius tanta temeritate adacti, bellum, quod quidem inviti ac lacessiti propulsamus, inviti ac reluctantes prosequimur ac in hanc usque diem bene ceptis insistimus, jamque oppidis et arcibus munitissimis multis captis, exercitus noster Montem regium inibique magistrum ipsum obsidet, cujus pervicacia nulla suorum clade ad quietiora consilia flecti potest. Que omnia Pti. vre. hac potissimum de causa incognita esse voluimus, ut si quis fautorum magistri nostra istic facta quovismodo insimulare niteretur, haberet Ptas. vestra, quo innocentiam nostram purgare tutarique posset. Divinamque Mtem., cui omne cor patet, testamur regioque verbo nostro asseveramus, nobis nunquam fuisse in animo, nedum cum nepote nostro, sed ne cum ullo christiano, principe bellum gerere, sed invitos nos ad arma devenire oportuisse, que quidem in certissimo etiam victorie cursu ponere parati sumus, modo ille hostilem ponat animum malitque officio et benivolentia, ad quam semper propensi sumus, quam contumacia et hostilitate decertare. Mittimus Ptis. vestre literarum exemplar, quibus Sctmo. dno. nostro respondemus ad breve illud satis acerbum, quo nos ille, immemor querelarum nostrarum, reprehendit, cum illo vero — quod satis mirari nequimus — longe agit mitius, qui quinquennalibus induciis violatis prior bellum nobis inferre occupavit, educto in nos insigni ex Germania exercitu. Nuper subditorum fremitu compulsus, qui haud dissimulanter jam, sed ex professo et publico tandem consilii sese eum minime laturos dictitabant, ni nobiscum in gratiam redire studeret, misit huc ad nos oratorem suum Henricum, militem; miserunt insuper una cum illo nobilitas et civitates alios quinque, qui illi tutum ad nos accessum impetrarent, quem nos reipublice christiane causa non gravate concessimus, additis etiam — pacis studio — dierum XIV. induciis, dummodo ille prestandi debiti causa venire

nire instituisset. Licet autem nondum plane compertum habeamus, prestiturusne sit ille debitum nec ne, et quem tandem exitum bellum hoc sit habiturum, tamen Ptem. vram. commonendam duximus, ne deinceps adnitatur pacem illam perpetuam confirmari, quandoquidem recentiorem hanc, si que tandem contigerit, confirmari erit necesse, brevi namque huic fabule extremum actum impositum iri speramus. MDXX.

Literis Ptis. vestre et Jodoci relatione accepimus, quam istic operam in dotis utraque rata exigenda apud Illustrissimam dominam ducem Mediolani, matrem nostram, navaverit; quam quidem regia gratitudine nostra metimur, ejusce autem jam rei provinciam omnem generoso Joanni Boner, burgrabio et zuppario nostro cracoviensi, demandavimus, qui etiam de gemmis ipsis apud vram. Ptem. depositis per suos istic disponet statuetque, quod usui et e re nostra fore duxerit. Vra. igitur Ptas., ubi opus fuerit, illi sit favori et auxilio sciens eum omnia nonnisi ex voluntate et mandato nostro acturum.

Jubilei per Lithuaniam prorogatio paulo ante sacrum Pasche huc allata est, quam quidem licet perexiguum commodum allaturam credamus, quod et ex illo, cujus executio hic in regno episcopis delegata fuerat, parum emolumenti evenerit; pergrata tamen nobis est hec Sctmi. dni. nostri liberalitas simulque Ptis. vre. cura et diligentia.

Postquam superioribus diebus rev. dnus. epus. posnaniensis, consiliarius noster deo natureque concessit, nos ad illam ecclesiam e vestigio sufficiendum putavimus rev. dominum Petrum, epum. premisliensem et regni nostri vicecancellarium, virum doctrina, virtute ac meritis insignem et cum nobis, tum universo regno nostro acceptissimum, eumque Sctmo. dno. nostro omni studio commendavimus; vestre vero Pti. committimus, ut eum ad predictam sedem transferri curet et pro desiderio nostro omnifariam prospicere velit, ne quid illi uspiam incommodetur, presertim vero, ne quid de augenda annata aut reservatione beneficiorum suorum nove difficultatis oboriatur uti nuperrime in vilnensis episcopatus expeditione accidit. Quod Ptem. vestram pro jussu et voluntate nostra accurate effecturam confidimus. Que bene valeat. Datum Thorunii.

CCLIX. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Bone Sfortie, Regine Polonie.

Sacra Mtas. dna. clementissima. — Post perpetue servitutis et orationum mearum humilem commendationem. Ago et habeo immortales gratias vestre Mti., quod et mihi gratulatur de hac nova honoris et dignitatis accessione et pro nepote meo, dno. Cricio, diligentissime ad Mtem. regiam scripsit, volo una cum illo hanc vre. Mtis. in nos gratiam perpetuis servitiis nostris omnique cura et studio semper promereri. Cod. G.

Postulavit nuper a Mte. regia dnus. magister Prussie per nuncios suos et subditorum suorum, dari sibi salvum conductum veniendi huc ad Mtem. suam et res suas cum illa componendi, qui non est ei negatus una cum induciis XIV. dierum, ea tamen lege, si huc veniens gratiam Mtis. regie quesierit et juxta vim et effectum pacis perpetue in omnibus officium suum et debitum Mti. sue et regno ejus fecerit, alioquin frustra veniret, quum Ma-

MDXX. jestas sua nollet cum eo aliquos novos tractatus inire neque rem actam agere. Videbimus, si his conditionibus venire volet nec ne. Certum autem est, quod aut venire omnino, aut fuga saluti sue consulet, nam subditi illius ferre ulterius tantam molem belli nec volunt nec possunt. Exercitus regius cepit nuper castrum Brandeburg et civitati Montis Regii est jam admotus. Me et mea obsequia commendo humiliter in gratiam vre. Mtis., quam dominus Deus sanam et incolumem longe conservet. Datum Thorunii secunda die Junii.

CCLX. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Boner, Zuppario et magno Procuratori Cracoviensi.

Cod. G. Generose amice et fautor honorande. Exercitus regie Mtis. post discessum suum ab Hollandt stetit sub Braunsberg ad octo dies otiosus, nequaquam enim ulterius procedere poterat propter continuos imbres, qui terram adeo humectarunt, ut cum curribus et tormentis nulla ratione se inde movere potuerint, ceperunt tamen interea temporis oppidum Heiligenbail et nunc versus Kinsberg se converterunt, quorum iter et actiones dnus. deus secundet. Oratores Ill. principum Germanie jam erant absoluti et discedere volebant rebus infectis propter negatas sibi inducias belli per tempus, quo ad dnum. magistrum ire et redire ab eo possent, postea vero devenerunt in aliam sententiam et censent huic paci conficiende multum expedire, ut irent ipsi una cum aliis oratoribus ad ipsum dnum. magistrum, ita tamen quod inducie belli decem dierum concederentur. Jamque Majestas regia etiam preter multorum consiliariorum suorum et meam sententiam ac voluntatem obtulit se concessuram inducias decem dierum. Verum ipsi non contenti hac Mtis. sue liberalitate petunt adhuc superaddi sex dies. Nescio quid Majestas sua in hoc facere dignabitur, puto tamen, quod nostri et hos ipsos sex dies illis adhuc concedent, ut multa indigna alia concedere voluerunt, si illorum sententiam inprimis Mtas. sua deinde etiam alii consiliarii sequi voluissent, de quibus omnibus dnus. Jodocus ad plenum referre poterit vre. Dtioni. Cui me plurimum commendo et valere illam felicissime desidero. Datum etc.

CCLXI. P. Tomicius, Epus. Vicecancellarius, Stanislao de Chodecz, Marschalco.

Cod. G. Mgce. dne. amice et fautor honorande. Accepi literas vre. Mgcie., quibus me de multis novitatibus certiorem facit, pro quibus magnas illi gratias ago. A Tartaris timendum est multum et providendum, ne incursione in istas terras facta, damnum ingens faciant, nam nullam certam pacem cum illis habemus et nisi nobilitas se moverit, necessitate adveniente, non video quomodo soli milites mercenarii resistere magne illorum potentie possent. Hic bellum adhuc atrox geritur. Fuerunt non pridem apud Majestatem suam oratores cum summi pontificis et Sermi. dni. Ludovici, Hung. et Boh. regis, tum etiam principum Germanie

manie tractaruntque satis longo tempore de concordia et pace inter Mtem. suam et domi- MDXX.
num magistrum Prussie, verum quia ipse dnus. magister adeo obduruit in malitia sua, ut ad nullas equas conditiones accedere voluerit, discesserunt iidem ipsi oratores hinc rebus infectis, preter solos oratores summi pontificis, qui adhuc hic manent. Post quorum oratorum discessum, misit dnus. magister nuncium ordinis sui, miserunt et nobiles ac civitates illi subjecte, postulantes dari illi salvum conductum veniendi huc ad Mtem. suam et aliquas inducias belli.

Mtas. sua causa rei christiane, et ne videretur vel profusionem sanguinis christiani, quam semper abhorruit appetere, vel ordinem hunc opprimere et exterminare velle, concessit illi salvum conductum et inducias quatuordecem dierum, ea tamen lege, ut huc veniens querat sibi conciliare gratiam Mtis. sue et debitum suum Mti. sue et regno faciat.

Hodie accurrit huc nuncius referens, illum omnino huc venturum et die Martis proximo omnino ex Kinsbergo exire debet. Itaque erit bona spes pacis et concordie.

Multum doleo de adversa valetudine mgci. dni. palatini Russie, fratris vre. Mgcie., que quia longa est et pertinax ac naturam illius nimium affligit et debilitat, opus est, ut sua Mgcia utatur bono regimine et medicorum consilio et dno. deo se commendet, qui est supremus medicus. Est certe hic annus multum gravis, in quo perierunt multi insignes viri, inter quos mortuus est etiam nuper rev. dnus. eps. posnaniensis, post cujus obitum Mtas. regia e vestigio et liberalissimo animo contulit mihi episcopatum posnaniensem volens ac me obligans, ut officium vicecancellariatus adhuc non dimitterem. Ego hac summa beneficentia Mtis. sue devinctus utcunque recusare non potui, quemadmodum autem consuevi, semper vre. Mgcie. servire, sic in eo ampliori statu existens commodius ac utilius id facere ac commodare illius rebus potero quam antea. Commendo me ex animo vre. Mgcie. valereque illam felicissime desidero. Datum etc.

CCLXII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Jo. Zaremba de Calinova, Palatino Calissiensi.

Mgce. dne. amice et fautor honorande. Reluctante diu multumque Mte. regia prebere indu- Cod. G.
cias aliquas belli hosti suo temerario et contumaci, dno. magistro, tandem illas ad instantes preces dnorum. oratorum concessit ad quatuordecim dies, qui incipient a die festo Pentecosten. proximo, quo ad Kinsbergum vero et terram Sambiensem non oppugnandam. He ipse inducie incipi debent ab eo tempore, quo iste cubicularius cum literis Mtis. regie ad vras. Mgcias. accurret, quem putamus die Veneris proximo ad meridiem apud eas futurum. Non enim aliter ire volebant dicti domini oratores ad dnum. magistrum, nisi ut quam primum Mtas. regia contineret exercitum suum ab oppugnatione civitatis Kinsberg et terre Sambiensis, etiam antequam decem dies generalium induciarum inciperent, timent enim, ne, si aliter fieret, dnum. magistrum illic non reperirent, atque ita profectio sua esset inutilis et parum honesta. Obstiti ego multum cum aliis dominis, ne vel unus dies ad respirandum

MDXX. spirandum hosti concederetur, sed pervicerunt illi, qui se omnia posse putant, sub pretextu pacis conficiende, a qua tamen longe adhuc absumus, et videbit vra. Mgcia., quod frustra has inducias concessimus, nam dnus. magister est adeo arrogans et pertinax in hostilitate sua, quod ad nullas equas et honestas pacis conditiones accedere volet. Me vestre Mgcie. commendo et valere illam felicissime desidero. Datum etc.

CCLXIII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Bonero, Zuppario etc.

Cod. G. Generose dne. amice et fautor honorande. Fuerunt hic nuper nuncii dni. magistri et subditorum ejus, qui declararunt, quod ipse dnus. magister vellet venire ad Mtem. regiam. et se ei humiliare, modo haberet salvum conductum, ut secure venire et redire possit et inducie belli interim concederentur, petieruntque enixe a Mte. sua, ut et eundem salvum conductum et inducias ac suspensionem armorum concedere dignaretur, certam enim et indubiam spem haberent, si veniret ad Mtem. suam idem dnus. magister, quod hoc tam atrox bellum non amplius durare deberet, utpote quod sibi esset nimis grave et perniciosum. Mtas. sua quamvis cognoverit hactenus infensum et hostilem animum erga se ejusdem dni. magistri et sciret, illum multa contra se indigna et hostilia admisisse, tamen causa rei christiane et ad intercessionem oratoris summi pontificis, et ne videretur vel profusionem sanguinis christiani, quam abhorret, appetere vel ordinem hunc opprimere ac exterminare velle, concessit illi salvum conductum ea lege ac conditione et non aliter, ut huc veniens ipse dnus. magister primum omnium sue Mtis. gratiam sibi debito modo conciliare et assequi studeat, eaque assequuta, juxta vim et affectum pacis perpetue in omnibus officium et debitum suum Mti. sue et regno ejus faciat. Quod si facere et in effectu perficere voluerit, sua Mtas. concessit etiam illi et terris ac subditis illius inducias ad XIV. dies, qui currere incipient ab eo die, quo huc ad Mtem. suam iter accipiet, ita videlicet, quod gentes et milites Mtis. sue commeatum libere capere possint in terris ipsius et quod per hoc inducie violate esse non videantur. Hoc modo absoluti sunt prefati nuncii, qui celeri cursu hinc abierunt. Et si veniet huc dnus. magister, bona spes erit pacis et concordie, sin minus, bellum hoc magis incrudescet.

Exercitus regius cepit non pridem castrum Brandeburg et se jam ad civitatem Montis Regii admovit et est magno terrori hosti. Et si dominus magister gratiam Mtis. regie non quesierit et conditiones predictas non susceperit, pro comperto habemus, quod subditi ipsius ab eo deficient et se subdent Mti. sue, nam ferre ulterius hanc belli molem nolunt nec possunt.

Mitto ad vram. Dtionem. hunc nobilem Joannem Lubowiczki, notarium meum cum literis ad Urbem Romam in negotio expeditionis eptus. posnaniensis mittendis, cui commisi nonnulla vestre Dtioni. meo nomine referre et rogo illam plurimum: velit illum benigne audire et plenam ac indubiam fidem verbis ejus prestare perinde ac meis propriis. Quia autem instat tempus decimarum, rogo vram. Dtionem. impense: velit quam primum celerem

nuncium

nuncium cum iis ipsis literis expedire, qui recta Venetias cum eis currat et inde ut per MDXX.
postas celeres Romam transmittantur, expectetque idem ipse nuncius Venetiis, quoad breve ad accipiendam possessionem ad eum ex Urbe mittatur, quodque celerrime adferre ipse ad me curabit, priusquam decime et proventus alii episcopatus posnaniensis per canonicos distrahantur, prout de his et aliis omnibus is ipse notarius meus mentem et voluntatem meam plene explicabit vre. Dtioni., cui me ex animo commendo.

CCLXIV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Andr. Cricio, Ppto. Posn. Administratori.

Venerabilis domine, nepos charissime. Libenter vidissem, ut controversia super rebus et Cod. G.
pecuniis derelictis per obitum rev. olim domini epi. posnaniensis cum dno. palatino exorta fuisset per vos istic composita, sed quando id fieri non potuit citra magnum tumultum et difficultatem, fero equo animo hoc quod factum est, et postea cum consilio capituli et domini castell. posnaniensis faciam id, quod justum et equum videbitur. Non video autem, quod aliquid eidem dno. palatino ultra ea, que accepit, dari posset, nam iis pecuniis, que extant in thesauro ecclesie, distracto etiam argento et omni suppellectili, ne media quidem pars eorum, que dnus. olim epus. inchoavit, perfici poterit.

Rediit hisce diebus nuncius Vipere *) ex Cracovia cum literis commendaticiis a dno. Boner, et bene sperare videtur eadem vipera de rebus suis. **) Alii itidem competitores boni animi se esse ostendunt. Brevi videbimus, in quem tandem sors cadet. Spero enim, quod Mtas. regia non diu cunctabitur, sed disponet et de episcopatu et de aliis beneficiis meis prout illi visum fuerit preter preposituram S. Michaelis, quam mihi adhuc reservavi retinereque illam possum cum quacunque dignitate.

Mitto vobis literas dni. Bedlenski, scolastici cracovien., quas legi ita eo volente in absentia vra. Ex his intelligetis, quam secretus sit rev. dnus. eps. cracoviensis, ut qui literas meas aliis legendas tradidit, qui omnino observabunt jam deinceps omnes actiones et cogitationes illius. ***) Et fuerunt quidem verba mea generalia, que scripsi ad illum, suspicari tamen ex illis homines versuti poterint aliquid et struere novas difficultates apud hominem senem et pluma ac rota figulari volubiliorem. Quare ero deinceps cautior in scribendo.

Rogavit me capitulum ecclesie posnaniensis, cujus vos caput estis: agerem precibus apud vos pro dno. doctore Bederman, ut illi canonicatum posnaniensem, quem acceptastis vigore nominationis reginalis Mtis., resignaretis. — Ego dilexi semper et diligo hominem propter ejus eximias virtutes et singularem doctrinam, scio etiam illum vobis esse gratum et singulari benivolentia conjunctum. Itaque rogo vos, si carere canonicatu isto potestis citra incommodum vestrum aut vestrorum, resignetis ei illum; erit enim id mihi multum gratum et acceptum.

---

*) Joannes filius naturalis regis ex Catharina de Thelnicz.
**) de episcopatu premisliensi.
***) de coadjutoria episcopatus cracoviensis.

MDXX. Jacubus meus sollicitat me more suo valde importune, ut pro eo ad vos intercederem et agerem, quo illi canonicatum predictum resignaretis, verum ego nolui obaudire preces capituli posnaniensis, presertim cum sciam, vos domino doctori Bederman maximas quasque fortunas ex animo favere. Sit tamen in arbitrio vestro facere id, quod vobis melius et utilius in ea re videbitur.

Venturus est propediem huc ad Mtem. regiam dnus. magister et die Martis proximo de civitate sua Montis Regii egredietur et huc recta contendet; quare rogo vos, ut propere huc veniatis, commissa jurisdictione ecclesiastica alicui ex prelatis aut canonicis istius ecclesie, nam erit mihi hic opera vra. multum necessaria.

Grato animo suscepit regia Mtas. munus sibi ab isto posnaniensi capitulo missum et in his omnibus, que nuncii vri. postulabant, clementem et benignum se exhibuit.

Promisit doctor Strzelcza serviturum se mihi in Masovia ad tempus. Quod vero attinet ad dominos Wolski et Charbowski, audiam in hoc consilium vestrum, vos enim istic cognoscere bene potuistis, qui servi futuri sunt mihi utiles et qui non. Bene valete et cito ad nos redeatis. Datum Thorunii.

CCLXV. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine.

Ex cod. mss. bibl. Ossol. *Serma. princeps. Post mortem capitanei nostri rawensis, quod necessaria sit loci illius tempestiva provisio, alium capitaneum mox in locum illius demortui suffecimus priusquam hic nuncius huc cum literis vre. Mtis. accurrisset, et eum quidem suffecimus, qui in castro illo continue residebit cum propter exercenda judicia, tum ob curandam melius rem nostram familiarem. Quare rogamus vestram Mtem., ut id quod factum est a nobis ex mora loci illius et nostra necessitate boni consulere dignetur.*

Significarunt nobis nudius tercius duces exercitus nostri: Illustrem dnum. magistrum suscepisse conditiones illi per nos propositas et venire huc ad nos omnino decrevisse, ac hodie de civitate et sede sua Montis regii egressurum. Qui si venerit ad petendam veniam a nobis et debitum suum prestandum, speramus huic bello cito finem imponi posse, quod nos multiplicibus illis injuriis lacessiti adversus illum inviti certe suscepimus. Quomodocunque autem ea res cadet, curabimus posthac de omnibus vram. Mtem. reddere certiorem. Cujus mutuo amori etc.

CCLXVI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Nicolao Firley, Palat. Sandomirien., Exercituum regni Capitaneo.

Cod. G. Mgce. dne. amice et fautor honorande. Accepi his diebus binas literas a vra. Mgcia., quas legi cum magna animi mei voluptate. Gratulatur vestra Mgcia. provectioni mee ad episcopatum posnaniensem, in quo agnosco singularem illius erga me affectum et benivolentiam,

tiam, quam mereri studebo omni studio et gratificatione mea. Quod autem scribit vestra MDXX.
Mgcia., se a me esse derelictum et quasi posthabitum, id nequaquam in animum suum admittat, semper enim fui et esse deinceps volo honoris et amplitudinis vre. Mgcie. studiosus, sed quod illi non frequenter scripsi, id non negligentia mea, sed variis et assiduis occupationibus meis merito ascribi debet. Accedit ad hoc, quod dnus. palat. cracoviensis ut secularis dominus suscepit in se expeditiones omnes castrenses ipseque literas omnes ad vram. Mgciam. nomine Majestatis regie scripsit, atque ita ego non semper scire potui, quando litere et nuncii ad vram. Mgciam. mittebantur, curabo tamen posthac scribere illi frequentius et preteritam negligentiam nova sedulitate compensare. Si qui sunt, qui lacerare forte vellent vestram Mgciam. et ejus labores ac curas, quas hactenus in hoc bello pertulit aliorsum invertere: credat mihi vra. Mgcia., quod tales male audiuntur, nec illis fides adhibetur. Novit enim imprimis regia Mtas., deinde omnes alii, qua fide et diligentia soleat servire vra. Mgcia. Reipublice quantumque laboris et sudoris in hoc bello ipsa insumpserit, quare illi soli, quod dei munere in eo ipso bello prospere et feliciter gestum est, tribuitur, illi soli acceptum. Refertur, rogo plurimum vestram Mgciam. bono animo esse velit et non putet, suos labores esse hic vel ingratos vel occultos.

Nescimus in quem finem devenient tractatus nostri cum dno. magistro, ego certe cuperem, ut pacem haberemus cum Mtis. regie et regni dignitate, quam tamen si dominus magister renueret et voluerit perstare in contumacia et hostilitate sua, sibi ipse imputabit.

Me vre Mgcie. ex animo commendo ut dno. et fautori honorando, et valere illam felicissime desidero. Datum.

CCLXVII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Castellano Voinicensi.

Mgce. dne. amice et fautor honorande. Magno tedio afficimur omnes tamdiu hic manentes, Cod. G.
sed opus est perdurare usque ad exitum hujus belli, quem dnus. Deus felicem et gloriosum concedat.

Petiit nuper dnus. magister dari sibi a Mte. regia salvum conductum, ut venire huc ad eum possit secure et libere, qui ei non est negatus una cum induciis quatuordecem dierum ea lege et conditione, ut huc veniens ipse dnus. magister querat sibi gratiam Mtis. sue et juxta vim et effectum pacis perpetue in omnibus officium et debitum Mti. sue et regno ejus faciat. Incertum est, si his conditionibus et ad tam breves inducias venire volet. Verum nuncii missi a nobilitate et civitatibus illi subjectis, cum hic essent, certo affirmabant, illum omnino esse venturum aut fuga saluti sue consulturum, nolunt enim ipsi diutius hanc belli molem sustinere.

CCLXVIII. P. Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Nicolao Firley, Palat. Sandomirien. Capitaneo Exercit. reg.

MDXX. Cod. G. Mgce. dne., amice et fautor honorande. Ex quibus causis Mtas. regia concessit generales inducias quatuordecem dierum a die festo Pentecosten. proximo inclusive computandos et speciales quo ad non oppugnandam civitatem Montis Regii et terram Sambiensem a tempore, quo iste cubicularius ad exercitum accurret incipiendas, ex literis regie Mtis. vra. Mgcia. plene cognoscet. Diu repugnavimus prebere ejusmodi inducias propter damnum ingens et temporis et pecunie, quod inde sequetur. Sed ita visum est Mti. regie et dominis consiliariis facere, ne domini oratores et principes ac domini eorum possent dicere, quod per Mtem. suam stetisset, quominus pax et concordia inter ipsam et dnum. magistrum conficeretur. Credo autem ego, quod dnus. magister, ut est natura arrogans et nimis induratus in sua malitia et quem hactenus gravissima damna sua et subditorum suorum non permoverunt, non accedet ad ullas equas pacis et concordie conditiones, nec pacem perpetuam observare volet, prout id brevi occulata fide experiemus. Multum enim confidit in auxiliis et amicitia ducis Moscorum, cum quo indignissimam societatem et fedus iniit et cui miserat captivum Zaboy, captum in oppugnatione Melsak in signum sue victorie contra Polonos, sed ille in Livonia fuga elapsus et in Samogitiam se conferens nudius tercius huc salvus pervenit et palam predicat, quomodo fuerit per ipsum magistrum ad ducem Moscorum missus et instructus, ut se diceret capitaneum exercitus, qui sub se quinque milia hominum habuisset.

CCLXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Firley, Pal. Sandomir., Joanni Zeratinski, Ducibus exercitus regii.

Cod. G. R. Magnifici sincere nobis dilecti. Post multos tractatus, quos nobiscum habuerunt oratores tum summi pontificis et Sermi. dni. Ludovici, Ungarie et Bohemie regis, tum Ill. principum Germanie pro pace et concordia inter nos et dominum magistrum facienda, visum illis fuit, ad eum proficisci rogaruntque nos instantissime, ut inducias aliquas et suspensionem armorum ratione ejusdem profectionis sue concederemus. Nos intelligentes summum inde dispendium nostrum diu reluctati sumus, tamen illis acrius instantibus et ne videremur apud omnes christianos principes nihil ex nobis prestare voluisse pro ineunda concordia, concessimus inducias et suspensionem armorum ad decem dies, qui currere incipient a die dominico Pentecostes proximo diem ipsum includendo, ea tamen lege, ut liceret hominibus et exercitibus nostris intra easdem inducias commeatum seu victum libere in terris ipsius magistri capere. Et quia veriti sunt, ut si interea quam veniet dies dominicus civitas Montis regii oppugnari vel obsideri a nobis inciperet, ubi magister haud dubie

bie non expectaret, ne eorum profectio esset inutilis et inhonesta, rogarunt nos, ut nuncium MDXX.
celerem ad Stes. vras. mitteremus, qui eas ubicunque inveniret, contineret, ne ipsam civitatem oppugnarent. Volumus itaque, ut, acceptis his literis nostris, vos ab obsidione civitatis Montis regii contineatis, si nondum ad illam pervenistis; si vero jam illic estis, eam non oppugnetis, similiter et terram sambiensem, sed ad alia loca prosequamini actionem vestram usque ad diem dominicum. A die vero dominico fiant inducie et suspensio armorum more predicto ad decem dies; quam pariter dnus. magister et subditi ac gentes ejus servare debent, neque intra hoc tempus reformare, mutare, providere aliquid generaliter in omnibus rebus, que ad profectum eorum cedere viderentur, sed omnia integra manere debent ita ut nunc sunt ad finem induciarum. Quare provideant Stes. vre., ne ex parte nostra ipse inducie violentur, sed serventur diligenter more suprascripto. Pro fide sua et gratia nostra facture. Thorunii. Maij.

CCLXX. Suspensio belli prussiaci decem dierum.

Sacra Mtas. regia ad instantem petitionem oratorum cum Sctmi. dni. nostri et Sermi. dni. Cod. G. R.
nepotis sui, dni. Ludovici, Ungarie et Bohemie regis, tum etiam Ill. principum Germanie concedit inducias et suspensionem armorum ad decem dies, qui currere incipient a die dominico proximo festi Pentecostes, diem ipsum dominicum includendo, ita videlicet, quod homines et milites Mtis. sue commeatum libere capere possint in terris dni. magistri et quod per hoc inducie violate esse non videantur.

Nunc vero Mtas. sua mittere dignabitur celerem nuncium ad exercitum suum, quem sperat indubie futurum die Veneris proximo illic ad meridiem. Per quem committet, ut ab eodem die Veneris continerent se ab obsidione et oppugnatione civitatis Montis regii et terre Sambiensis.

Ea tamen lege concedit Mtas. sua ipsas inducias, ut itidem dnus. magister illas pariter servet adversus ejus Mtem. et gentes suas, utque intra tempus earundem induciarum et decem dierum predictorum nihil hostile faciat ac omnia, quantum ad gentes suas, tormenta bellica, commeatum et alias provisiones arcium et civitatum suarum attinet, sic permaneant neque mutentur, transferantur, aut reformentur aliter quam fuerint ante diem, quo inducie ipse incipient, ita ut omnia et singula sint et maneant in eodem statu per tempus induciarum, que fuerint tunc, cum ipse inducie incipient.

Promittit Mtas. sua oratoribus Ill. principum Germanie, ut possint nuncium ad eosdem principes suos mittere et de suis actionibus illos facere certiores, cui similiter conductorem dabit.

Promittit Mtas. sua, ut prefati dni. oratores possint mittere nuncium suum ad dnum. magistrum significando illi de suo adventu et induciis ipsis, et ut ille eas observaret. Conductorem pariter Mtas. sua ipsi nuncio preberi faciet.

Mittere etiam dignetur Mtas. sua cum eisdem dnis. oratoribus suos aulicos aliquos idoneos pro eorum securitate et honore.

CCLXXI. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Nicolao Firley, Palat. Sandomiriensi etc.

MDXX. Cod. G. R. Mgce. dne. etc. Malam spem habeo de pace et concordia cum Ill. dno. magistro stabiliendа, non vult enim jurare in pacem perpetuam, quam dicit esse nullam et jam pridem violatam, nec aliquo modo subsistere illam posse, sed cuperet rem deduci ad alias conditiones et media sibi magis ferenda, quod admittere nobis absurdum nimis et indecens esse videtur, nollemus enim rem actam agere, et id quod presens firmatum et conclusum est, in dubium revocare. Itaque utcunque tractemus continue cum illius consiliariis, querentes modos et vias, quibus hec benedicta pax confici possit, non videtur tamen, quod illi aliquid sincere nobiscum agerent. Impugnant pacem perpetuam et dicunt, illam factam absque consensu magistrorum Livonie, Almanie et Italie, et ob hoc invalidam eam esse reputent, arbitrantur, quod utilius fore, ut factis induciis ad aliquod breve tempus et eductis gentibus ac omni bello sublato tractaretur de aliis articulis pacis, qui utrique parti essent ferendi et quod ea ipsa nova pax fieret cum consensu illorum, quorum interest, et tandem per sedem apostolicam confirmaretur. Que omnia eo tendunt, ut ad nudas et inanes spes educentur exercitus ex his terris et illi postea habeant tempus, se melius adversus nos instruendi et auxilia sibi comparandi. Itaque si illi nolent cum principe suo aliam viam ingredi, non spero, quod hic aliquem bonum et solidum finem cum illis habere possimus; nos enim nequaquam discedemus ab articulis et federibus pacis perpetue, quam multo sanguine et impendio patrum nostrorum comparavimus. — Sed brevi experiemur, quid fieri debeat, et quidquid erit sine mora nunciabitur vre. Mgcie. Quam faustam etc.

CCLXXII. Electio ac invitatio a Canonicis Posnaniensibus Petri Tomiczki, Epi. tum Premisliensis, Regni Polonie, Vicecancellarii, Ad Epatum. Posnaniensem morte Joannis Lubbranski, Epi. vacantem.

Cricius dixit.

Cod. G. Rme. ac excellentissime antistes. Magnum et fortasse minus congruum negotium mihi exhibuerunt prelati et canonici ecclesie posnaniensis, confratres mei, quod me absentem et aliquantulum nunc languidum designaverunt una cum his dnis. confratribus ad ea referenda nomine suo coram te, que multi alii ex illo cetu majori facundia et gravitate obire potuissent: maxime vero, quod illa, que de te dicere res exigit, videntur quoddammodo alterius magis quam meum sermonem et fidem requirere, qui tibi et vinculo sanguinis et summa tua in me beneficentia sum addictus: ne illa ex affectu et debito magis quam ex re et veritate ipsa profecta esse viderentur. Verum quum munus hoc in me illi, ut prepositum

positum, ex benivolentia et quadam observantia sua deferre voluerunt, quod jam per an- MDXX.
gustiam temporis et citra ingratitudinis et socordie notam detrectari a me non potuit, quumque veritas, nota presertim ut ea est, de qua dicturus sum, multis et phaleratis verbis non indiget, ut que per se ipsa sit clarissima, munus idem mihi delatum minus gravate subii, quod ne fastidio sim, et ne in aliquam assentationis suspicionem incidam, nudis et paucissimis verbis explicabo.

Sublato ex humanis rmo. olim patre, dno. Joanne, epo. nostro, dici non potest, amplissime presul, quantus dolor et luctus clerum et populum nostrum universum invaserat, quod privati fuimus eo pontifice, qui et Reipublice suis consiliis et statui ecclesiastico recto regimine et immortalibus beneficiis ac monumentis suis maximo fuit commodo et ornamento. Verum in tanta communi omnium jactura et merore nihil nobis vicissim letius, optatius et felicius evenire potuit, quam quod dominus Deus delectu et corde regio, quod ipse in manu habet, te nobis pontificem designavit, quo nullus alter nobis magis ex dignitate, utilitate et voto omnium contingere vel etiam excogitari a nobis ipsis potuit. De cujus virtute, magnitudine et integritate animi, de doctrina, prudentia, gravitate, de eloquentia, gratia, liberalitate, benignitate aliisque preclaris corporis et animi dotibus, quibus veluti Jupiter quidam conspicuus es, ac denique de tota vita tua integra et inculpata nolo in presentiarum, nec tempus sinit, hic longius disserere, et satius esse duco, de te tacere, quam pauca loqui, mihi presertim, qui, uti prefatus sum, minoris esse videor in hac re fidei quam aliquis alter, quamvis, dignissime presul, nihil tam excellenter verbis in medium adduci potest, quod non re ipsa per se pateat magis ac in omnium ore etiam externorum, qui te norunt, versetur, et proinde non opus est nota declarare. Unum tamen silentio preterire non possum, quod quum honores et dignitates hujus seculi raro admodum ubique nisi magno ambitu, magnis fautoribus et illa summa humanarum rerum gubernatrice Fortuna contingere solent, tibi omnia, tua excelsa virtute, tuis meritis et summo tam principis sapientissimi, quam omnium mortalium favore obvenerunt et presertim vicecancellariatus officium Reipublice, quod cum quanta laude geris norunt omnes; quanta autem fide et virtute ipse potissimum sum expertus, qui ex intimiore consuetudine tua probe didici, quanta sit in hoc magistratu facultas et bene et male merendi tam de Republica quam etiam privatim de hominibus, in qua tamen facultate te hactenus nulla spes nulla affectio, nullus metus, nullum denique commodum unquam a recto deflectere potuit. Unde, clarissime antistes, ut ad rem veniam, quum esset nobis per sacram Mtem. regiam concessum de more pontificem eligere, non solum tunc alacribus omnium suffragiis et calculis es in presulem nostrum electus et declaratus, sed etiam votis, precibus et supplicationibus omnium longe ante expetitus. Tu igitur, dilecte Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est, tu es Petrus, qui sapientia et virtute tua edificasti tibi domum supra Petram principis apostolorum Petri, patroni nostri. Accipe nunc in complexum tuum sponsam tuam tibi a dno. Deo preparatam, ecclesiam scilicet nostram, que sua dignitate suis sacris nulli cedit, ut ab initio introducte fidei sit per summum pontificem ad instar basilice S. Petri de Urbe nomine et cerimoniis instituta, et priores illi reges ac principes in illa tumulari consueverunt. Accipe eam inquam omnibus auspiciis felicissimis et esto

gregi

MDXX. gregi tuo pastor bonus, esto speculator fidelis, esto turris fortitudinis a facie inimicorum ecclesie sue, unde dabit tibi dnus. Deus petitionem cordis tui, dabit benedictionem omnium gentium et plebs tua letabitur in te. Dixi.

CCLXXIII. Cedula Cricii ad Tomicium, Epum.

Intra inducias magistro datas.

Cod. G. R. Rme. dne. Accepi nostros, cesis quibusdam lanceariis, civitatem Braunsberg obsedisse, ubi si literis contineri et vacare deberent, perpendere dignetur, quanti exitii esset, tantum exercitum in suo et eo quidem jam devastato solo jacere. Ad evadendas vero inducias optima est excusatio, exercitum regium non magistri civitatem, sed suam oppugnare. Hec scribo, non ut putem, vram rmam. Dtionem. melius ista cogitare non posse, sed quod et Holitor interdum est opportuna locutus.

Preterea habenda est pro Deo ratio actorum preteritorum, quemadmodum soliti sunt adversarii nostros semper ab omni optima opportunitate hisce induciis et tractatibus abducere et interim vires suas recolligere, aut nostras extenuare, ducesque legnicenses quasi Danai semper omnia perturbare solebant.

CCLXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Firley, Pal. Sandomiriensi. Exercituum Regni Capit. gen.

Cod. G. R. Mgce. nobis sincere dilecte. Veniens huc Ill. dnus. magister fer. II. preterita, hoc imprimis egit apud nos et postulavit, ut ei salvum conductum et inducias prorogaremus, affirmans se in tam brevi tempore res suas tam arduas commode perficere non posse. Nos diu id facere recusavimus, nisi prius declararet nobis: num articulis, quos illi per nuncios suos miseramus satisfacere vellet; ad extremum tamen, cum ipsemet ad nos veniens hujusmodi prorogationem supplicibus verbis postulasset, ne tempus inaniter terere videremur, prorogavimus illi salvum conductum et inducias usque ad diem dominicum proximum post festum Beatorum Petri et Pauli apost. inclusive alias ad primum diem Julii proximam eandem primam diem includendo. Hoc tamen illi aperte denunciari fecimus: nos ab antiquis federibus et pace perpetua non esse discessuros et an illam ipse observare eique satisfacere vellet inquiri ab eo fecimus, nullos alios novos tractatus cum eo inire volentes.

Quare volumus et mandamus Sti. tue, ut ad tempus et diem supradictum contineat se et universum exercitum nostrum ab omni bellica actione et provideat diligenter, ut in omnibus inducie ipse ita teneantur et observentur prout ab initio fuerunt concesse.

De solvendo stipendio militibus nostris, qui cito emerebunt et finient servitium quartalis sui, ita providebimus, ut nulla propterea negligentia in prosequenda actione nostra per nos commissa esse videatur. Bene valeat tua Stas. Datum Thorunii.

CCLXXV. PETRUS

CCLXXV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Nicolao Firley, Palat. Sandom., etc.

Mgce. dne. amice et fautor honorande. Appulit huc Ill. dnus. magister feria secunda pre- MDXX.
terita exceptusque est honorifice nomine Mtis. regie extra urbem per rmos. dnos. vladisla- Cod. G. R.
viensem et culmensem epos. et mgcos. dnos. palatinum plocensem et castellanum biecensem ac universos aulicos regios. Inprimis autem ea cura et studium illius fuit, ut peteret, prorogari sibi salvum conductum et inducias. In qua re duos dies cum eo absumpsimus detractantes ei id concedere, nisi prius declararet: num vellet facere officium et debitum suum, prout illi paulo ante per ejus nuncios fuit denunciatum. Cum vero ille palam diceret: se venisse huc non ad articulos sibi missos, sed in spem consequende gratie Mtis. regie et ut controversia dudum inter se ordinemque suum et Mtem. regiam ac regnum exorta honestis modis et mediis terminari possit, visum est tandem prorogari illi inducias et salvum conductum ab illo die, quo priores cessare debuerant, usque ad diem dominicum proximum post festum ss. apostolorum Petri et Pauli inclusive, ut sciri possit, quid tandem ipse ultra ea, que in articulis sibi missis erant descripta, facere velit et querendi occasionem non habeat, quod nimium arctatus fuerit ad prestandum debitum suum. Itaque expectabimus, quid proponet et quomodo respondebit de pace perpetua, a qua Majestas regia nequamquam discedet, et id, quod cum eo actum et conclusum fuerit, postea vre. Mgcie. perscribam. Cui me ex animo commendo etc.

CCLXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Nicol. Firley, Palat. Sandom., etc. Campiductori.

Mgce. nobis sincere dilecte. Quoniam prorogavimus salvum conductum nostrum Ill. dno. Cod. G. R.
magistro ad diem dominicum proximum post nunc instans festum ss. ap. Petri et Pauli inclusive absque ulla conditione et sepositis ad partem illis articulis, qui erant illi unacum salvo conductu nostro transmissi, providentes, ne ipse sub hujusmodi induciis vellet tormenta sua ex Braunsberg vel in alia loca transferre, aut gentes externas in auxilium suum, undecunque advenientes, acceptare, mandamus tue Sti.: prospiciat diligenter, ne aliquid horum fiat in damnum nostrum contra naturam induciarum, quibus durantibus debent esse integra, et si vel tormenta aut presidia transferrentur in alia loca omnia vel gentes alique externe terra aut mari adventarent, id tua Stas. quam maxime potest prohibeat. Veremur enim, ne astu quodam nobiscum agat, cum non videamus, quia hic existens vellet facere officium ac debitum suum, quod debet nobis et regno nostro ex vi pacis perpetue Itaque sit intenta in omnes partes tua Stas. et diligenter provideat, ne circumveniamur. Et bene valeat. Thorunii.

CCLXXVII. Dolus Magistri.

MDXX. Cum exercitus regius admotus esset adductusque ad oppugnandam civitatem Montem Re-
Cod. G.R. gium sedem ejusdem magistri, subditique ejus eundem magistrum suum, quod propter eum bello destruerentur, ferre se amplius et ei obedire nolle dictitarent, ni in gratiam cum rege et regno rediret, tum demum magister ipse expedivit ad regem nuncium suum Melticz cum quinque aliis nunciis nobilium et civitatum, qui ei tutum accessum ad regem impetrarent.

Rex dedit eidem magistro XIV dierum belli inducias a die exitus de Monte Regio deditque salvum conductum ad se Thorunium veniendi et redeundi cum ducentis personis. — Mandaratque rex cunctis subditis suis et exercitui suo, ut intra illud spatium nihil hostile contra magistrum et contra ejus subditos attentarent et ab oppugnando Monte Regio interim abstinerent.

Itaque XVIII Junii Thorunium venit magister.

XXVI promisit se juraturum ad satisfaciendum et observandam concordiam ut in pace perpetua est prescriptum.

XXVIII certior factus, advenisse sibi ex Dania duo milia lanceariorum, non facto jurejurando rebusque infectis, ex Thorun discessit ad Montem Regium, simulans scilicet, se cum subditis suis prius necesse habere colloqui de hujusmodi juramento prestando.

CCLXXVIII. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Hedvigi, Duci Tessnensi, Comiti perpetue Scepusiensi.

Cod. G. Illma. princeps et domina, dna. mea honorandissima. Post servitutis et orationum mearum commendationem. Scripsit mihi dnus. Michel Spyssz, donavisse mihi et Cracoviam misisse vram. Dtionem. duo vasa vini boni, que ego gratissimo animo suscepi ac pro illis magnas ago et habeo gratias vestre Ill. Dtioni. hancque illius in me gratiam magni facio et mereri illam curabo omni studio, viribus et facultate mea. Majestas regia gratia Dei est bene sana et bellum adhuc gerit hic contra magistrum Prussie, qui persistit in proposito et hostilitate sua adversus Mtem. suam. Venerat quidem huc nuper eo pretextu, quod voluisset se Mti. sue reconciliare, tamen ducens Mtem. suam aliquamdiu verbis et promissis suis, ut eam et gentes ipsius distineret et tempus aucuparetur. Tandem nactus subsidia quedam ex Germania, rebus omnibus, que jam pollicitus fuit, infectis, discessit, quare bellum hoc magis jam incrudescet, quod tamen Mtas. sua nequaquam deserere potest, sperans in dno. Deo, quod illud cum gloria sua et victoria insigni brevi terminabit. Me vre. Illme. Dtioni. et mea obsequia ex animo commendo et valere illam felicissime desidero. Datum Thorunii.

CCLXIX. PETR.

CCLXXIX. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Ludovico Aliphio, Secretario Bone, Regine.

Salutem plurimam. Maximas ago et habeo gratias vre. Dtioni., quod non intermittit prestare operam et patrocinium suum apud reginalem Mtem., communem heram nostram, in negotio dni. Cricii, nepotis mei, et rogo illam plurimum: admoneat sepius Mtem. suam reginalem, ut non gravetur iterare preces suas pro eodem nepote meo. Merebor ego una cum illo hanc gratiam Mti. sue, et vre. Dtionis. curam et studium omnibus officiis amicitie referre curabo. Elapsus est hinc dominus magister preter omnem spem et opinionem nostram, nec alia causa venisse huc illum putamus, quam ut lucri faceret tempus et inducias belli remque duceret verbis tamdiu, quoad gentes sibi, de quibus certam spem habet, advenirent. Itaque non spero, quod cito huic bello finis imponi possit. Valeat et sit felix vra. Dtio. et me diligat. Datum etc. MDXX. Cod. G.

CCLXXX. P. Tomicius, Epus. Vicecancellarius, Bone Sfortie, Regine Polonie.

Serma. princeps et dna., dna. mea clementissima. Post servitutis et orationum mearum humilem commendationem. Illusit Mti. regie dominus magister, traxit enim illam verbis et vanis tractatibus, quoad gentes sibi advenerunt, quas expectabat. De quibus cum intellexisset, subito se hinc proripuit et vult omnino contractis omnibus viribus suis exercitum Mtis. sue modo quo poterit adoriri. Itaque expectabimus, quid tandem facere cogitabit et dnum. deum orabimus, ut nostris optatam et gloriosam victoriam concedat. Me vre. Mti. et mea obsequia iterum iterumque commendo et valere illam felicissime desidero. Datum. Cod. G.

CCLXXXI. Litere ad Optimates Russie pro Conventu Leopoli celebrando contra Tartaros. Sigismundus, Rex Polonie.

Magnifici nobis sincere dilecti. Etsi non libenter indicere soleamus privatos conventus, quiplerumque plus turbationis in Republica quam commodi afferre solent, quia tamen ita visum est vestris Stibus., ut conventum Leopoli indicamus et ad eos omnes capit. terrarum Russie convenire faciamus, acquievimus illarum consilio eundemque conventum pro feria tercia proxima post dominicam Conductus Pasche statuimus; nam ad illum agendum diem per vras. Stes. designatum non putavimus esse satis commodum propter temporis angustiam, mittimusque literas nostras ad capitaneos terrarum Russie et Lublinen. in manus vestrarum Stum., quas tempestive ad illos perferri faciant, ut nemo post hac ignorantiam pretendere Cod. G. R.

MDXX. pretendere et se excusare possit. Mittimus etiam literas creditivas in personam Smyothanka, ut ille mandata nostra in predicto conventu leopoliensi exponat juxta consilium et instructionem vrarum. Stum., que nobis bene placet. De exploratoribus servandis, cum Jacobus Struss tenere debet custodiam, ita ut vestris Stibus. fuit visum, volumus ut servet idem et exploratores. Nam hec duo officia semper fuerunt indivisa et id quod aliis dabatur pro impensa ad eosdem exploratores servandos, id etiam illi dari faciemus. Et vras. Stes. bene valere optamus. Datum Thorunii sabbato ante dominicam Letare.

Litere ad Capitaneos Russie de Conventu Leopoli celebrando.

Sigismundus, Rex Polonie.

Cod. G. R. Generose fidelis dilecte. Quamvis jam pro defensione istarum terrarum Russie susceperimus milites mercenarios juxta constitutionem conventus generalis thorunensis novissimi, tamen consulere volentes, qualiter ipsi milites mercenarii et victum habeant necessarium et possint ingruente vi hostili auxilio aliquo fulciri, statuimus conventum Leopoli feria tercia proxima post dominicam Conductus Pasche pro universis capitaneis earundem terrarum Russie. Volumusque et mandamus tue Fidelitati, ut ad eundem conventum pro loco et tempore designato proficiscatur de rebusque predictis ac aliis necessitatibus Reipublice, que per nuncium nostrum in dicto conventu leopoliensi proponentur, una cum aliis capitaneis et consiliariis nostris simul congregandis consulat et ea omnia, que illic consulta et constituta fuerint, exequantur. Pro debito officii sui et gratia nostra aliter non facturi. Datum Thorunii sabbato prox. ante dominicam Letare.

Sigismundus, Rex Polonie, N. Smyothanka, Nuncio regio.

Cod. G. R. Generose, fidelis, dilecte. Instituimus conventum pro omnibus capitaneis terrarum Russie Leopoli fer. III. prox. post dom. Conductus Pasche, ad quem, cognitam habentes tuam industriam et diligentiam, te nuncium designavimus. Volumusque, ut ad eundem conventum leopoliensem pro tempore designato proficiscaris et mandata nostra juxta instructionem nostram, quam tibi mittimus, exponas pro gratia nostra. Datum Thorunii.

Credentia a Rege ad Conventum.

Cod. G. R. Universis et singulis consiliariis nostris et capitaneis terrarum nostrarum Russie in conventu leopoliensi congregatis sincere nobis et fidelibus dilectis gratiam regiam. Mittimus in medium vestri generosum N. Smyothanka, aulicum nostrum, cui commisimus presentes istarum

rum terrarum Russie et Reipublice necessitates et voluntatem nostram de illis vobis re- MDXX.
ferre. Quare mandamus vobis: ut ei plenam fidem adhibeatis et ea, que nostro nomine referet, exequi curetis, debitum vestrum et nobis rem gratam facturi. Datum Thorunii.

Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Conventum Leopoliensem, data N. Smyothanka, Nuncio regio.

Quoniam rumores frequentes ab exploratoribus nostris ceterisque subditis nostris in confi- Cod. G. R.
niis dominiorum nostrorum consistentibus ad nos deferuntur, certificantes, Scythas, hoc solertissimum latrocinandi genus, propediem in dominia regni nostri incursiones facere debere illaque captivitatibus et incendiis afficere et hostiliter perturbare.

Volentes igitur propositum eorum propulsare ac potentiam tantam, domino adjuvante, aut deprimere aut saltem pellere, juxta ordinationem conventus thorunensis proxime celebrati militum certum numerum pecuniis nostris pro necessitate defensionis terrarum Russie suscepimus et jam illos conscribere mandavimus, ut exercitus ipse hosti Scythico resisteret sub eo presertim tempore, quando nos in terra Prussie cum alio exercitu hoc felici instituto preventi sumus.

Sed quia exercitus iste, ut premittitur, susceptus, hostili potentie tanquam invalidior atque in viribus debilior resistere non poterit, sub eo itaque tempore breviori omnes vos capitaneos in unum locum convenire mandavimus. Ubi convenientes et de presidiis futuris exercitus et de precustodiendis hominibus modos certos adinveniretis et discussos ad invicem exequeremini. Sed quia milites propter graminum defectum, antequam ad campum exibunt, necessaria victus habere non poterunt: caventes itaque, ne exinde ad damna in equis eorum deveniremus, eo modo prout in belzensi capitaneatu factum est, per vos ordinari volumus: ut inter capitaneatus vestros eosdem divideretis, ut sine oppressione subditorum nostrorum necessaria victus habere possint.

Mandamus itaque vobis capitaneis in conventione ista constitutis pro debito officiorum vestrorum, vos vero tenutarios bonorum nostrorum requirimus, ut pro virtute vra. atque amore Reipublice jam de auxiliis futuris exercitus nostri hominibusque precustodiendis invicem tractantes atque caute discutientes presidia constituatis et prout conclusum fuerit ad executionem deducatis. Verum quia hoste dominia nostra peragrante propter negligentiam speculatorum neque homines precustodiuntur neque capitanei aut nobiles, qui ad exercitum currere deberent et vellent, tempestive avisantur; ut itaque certus modus inveniretur, vos requirimus et hortamur, quod habita super eo mutua intelligentia decernatis et constituatis, quo pacto unus capitaneus alteri sine mora scitum de hoste daret solusque ad exercitum curreret. Hoc cum ad presentem adhortationem nostram inter eas difficultates, quibus perventi sumus, feceritis, id omnibus et cuilibet vestrum gratia nostra compensare curabimus. Datum Thorunii.

CCLXXXII. ORDIN.

CCLXXXII. Ordinatio contra Tartaros in Conventu Leopoliensi facta.

Sigismundus, Dei gratia Rex Polonie etc.

MDXX. Cod. G. R

Significamus tenore presentium universis. Quia licet pro defensione terrarum nostrarum Russie susceperimus milites mercenarios juxta constitutionem conventus generalis thorunensis novissimi, tamen consuli et provideri volentes, qualiter ipsi milites stipendiarii et victum habeant necessarium et possent, ingruente vi hostili, aliquo auxilio fulciri, statueramus conventum Leopoli fer. III. post dominicam Conductus Pasche proxime preteritam, in quo nonnulli consiliarii nostri simul cum capitaneis terrarum Russie et Podolie convenientes de communi consilio et consensu suo has infrascriptas constitutiones seu articulos pro conservatione militum ediderunt ad nosque sub sigillis suis transmiserunt in scriptis sub hujusmodi tenore.

Imprimis consultum est: ut mgcus. vicecampiductor homines septingentos locaret in terris Podolie cum generoso Joanne Tworowski, castellano camenecensi, prefecto seu ductore militum nostrorum, cui capitanei illarum terrarum: videlicet camenecensis et chmyelnicensis, cum toto suo comitatu ac nobilibus et plebeis, quos ipsi educere poterint, debebunt ferre subsidia tempore levis incursionis hostilis. Ad quod faciendum etiam illustris dux Constantinus per vicecampiductorem exhortabitur, ut similiter habita cum dictis militibus mutua intelligentia auxilium illis et suppetias contra levem insultum hostilem prebeat. Significabitur etiam domino palatino Moldavie per vicecampiductorem, quod presto erit illi, imminente terris suis hostili impetu, cum militibus et aliis gentibus nostris in subsidium accurrere, dummodo ipse pari vicissitudine terris etiam nostris, hostibus in illas irrumpere volentibus, auxilio suo adesse non negligat.

Item campiductor in propria persona debet castra metari cum reliquis militibus peditibus et bombardis inter castra Olesko et Zaloscie, tanquam in loco tutiori et commodiori contra subitam et inopinatam incursionem hostium, nec procul ab aliis militibus stipendiariis in terris Podolie cum prefato Joanne Tworowski collocatis distante, cum quibus, necessitate urgente, die tertia vel quarta ad summum convenire poterunt, et mutua sibi auxilia ferre.

Item vicecampiductor quam primum edocebitur de hoste venturo per generosum Jacobum Struss, cui exploratio seu custodia hostium et speculatorum expeditio est commissa, debet in continenti id, quod de hostibus audierit, certiores reddere per speciales suos nuncios mgcos. palatinos Russie generalem in Halicz, Andream de Thanczin, palatinum lublinensem, in Belz, et marschalcum regni, capitaneum leopoliensem in Leopoli, qui aliis capitaneis vicinis adventum ipsorum hostium notificare debebunt. Et subinde quilibet capitaneus alteri sibi vicino per literas suas id facere nequaquam negligat, quo reliqui subditi nostri de hostium incursione tempestive admoniti eorum manus evadant et bona sua mobilia ad loca tutiora deportent. Capitanei vero, qui presentes erunt in personis suis, cum quibus poterint, accurrent ad exercitum pro auxilio prestando juxta suas facultates.

Interea

Interea vero temporis, quo hostis ab incursione facienda in predictas terras se continebit, MDXX.
omnes et singuli capitanei earundem terrarum vel eorum vicegerentes, commonefacient homines sui capitaneatus, illisque injungent, ut unusquisque qualia poterit juxta facultatem suam arma sibi preparet, ut hoste adveniente habeat in promptu, quo se et loca presidiorum suorum tueatur.

Item milites mercenarii servabuntur distributi in locis competentibus capitaneatus cujusvis et presertim cum campestraliter jacere non deberent, ubi juxta laudum commune terrestre victum convenientem habebunt et damna deinceps hominibus non inferent.

Que omnia et singula premissa in omnibus punctis et articulis rata, grata habentes approbavimus et confirmavimus, approbamusque et confirmamus ac firma esse volumus per presentes. Mandantes universis et singulis dignitariis, capitaneis et officialibus in terris Russie et Podolie existentibus, quorum interest, ut prescriptas constitutiones seu articulos observetis ac debite executioni diligenter demandetis. Pro conservatione et communi pace earundem terrarum ac debito vestro ac gratia nostra aliter non facturi. Datum in civitate nostra Thorun ipso die S. Vitalis.

CCLXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Capitaneis Terrarum Russie.

Lublinensi	Grodecensi	Buscensi
Leopoliensi	Belzensi	Haliciensi
Striensi	Chelmensi	Kolomiensi
Zidaczoviensi	Rathnensi	Camenecensi
Samboriensi	Crasnostaviensi	Trembowliensi
Premisliensi	Drohobicensi	Chmyelnicensi.

Mgce. sincere nobis dilecte. Non est incognitum tue Fidelitati, quam grave et durum bel- Cod. G. R.
lum hic in Prussia cum pertinaci hoste gerimus, nolentes, auferri a nobis et regno nostro ea, que predecessores nostri multo impendio, labore et sanguine quesiverunt.

Quia vero intelleximus, Tartaros parare se ad irruptionem et damnum in terris nostris hoc tempore faciendam, quibus, si magna vi incurrerent, milites nostri pro presidiis istarum terrarum collocati resistere non possent, volentes igitur exercitus eorundem militum alio opportuno auxilio contra magnam vim ipsorum Tartarorum fulciri et providēri, ne ex illorum incursione Respublica ullum capiat detrimentum, mandamus tue F., ut mox visis presentibus agat cum nobilibus universis capitaneatus sui et, propositis illis periculis imminentibus, eos pulchris et compositis verbis inducat: ut ingruente hostili impetu ad eum retundendum amore Reipublice ad tuam Ftem. armati accurrant cum eaque simul ad vicecampiductorem regni nostri, mgcum. Martinum de Kamieniecz, palatinum Podolie, sincere nobis dilectum, proficiscantur hostilem conatum cum eodem mgco. palatino et aliis gentibus nostris cum illo congregatis, dei auxilio, repressuri, quod nos tam tue Fti. quam illis

MDXX. lis omnibus nobilibus et aliis, qui hoc servitium nobis et Reipublice exhibere non gravabuntur, gratia et favore nostro regio referre curabimus. Pro debito officii sui et gratia nostra tua Ftas. aliter non factura. Datum Thorunii ipso die beatorum Petri et Pauli apostolorum. —

CCLXXXIV. Litere Restium ad terras Russie contra Tartaros.

Sigismundus, Dei gratia Rex Polonie etc.

Cod. G. R. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis, officialibus, burgrabiis et Nobilitatum communitatibus, advocatis et scultetis ceterisque subditis nostris terras ubique regni nostri incolentibus, et presertim terram lublinensem et districtus ejusdem de jure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, sincere nobis et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Mgci. generosi, nobiles, famati et providi sincere nobis dilecti.

Quoniam certo certius ab exploratoribus nostris et ex literis oratorum nostrorum, quos in Tartaria habemus, didicimus idemque nobis magnificus Stephanus, vda. Moldavie, his diebus per oratorem suum significavit, qualiter ingens vis Tartarorum fluvium Dniepr transnatavit et stationes suas ab hac parte illius fluvii collocavit expectans opportunitatem, ut dominia et terras nostras Podolie, Russie aggrediatur illasque igni ferroque devastet et licet nos exercitum in terris Russie fovemus et tenemus, tamen majori virtute et potentia opus est, si hostium multitudinem nobis et dominiis nostris perniciem pro libidine sua minitantem reprimere et omnia salva conservare velimus, aliudque remedium non videmus neque inveniemus, nobis hic in Prussia gravissimo et sumptuosissimo bello — nam magister, hostis noster, nulla pace facta, recessit — ocupatis, quam universos pro tanto periculo arcendo ad arma concitare et educere. Quare has literas in vim primarum, secundarum et ultimarum restium mittimus, quibus vobis omnibus et singulis districtius precipientes mandamus et volumus: ut mox, visis presentibus, aliis literis non expectatis sub amissione omnium bonorum vestrorum arma capiatis et quilibet vestrum capiat ad diem Sancti ... circa ... in terra N. N. sit. apud mgcum. Martinum de Kamieniecz, palat. Podolie copiarum nostrarum in terris Russie capitaneum, armati compareatis, ut Tartarorum impetum et vim cum dei auxilio ita retundere cum eo possetis, ut inde Respublica nullum detrimentum capiat et vos laudem et gloriam pluribus victoriis partam, quoad fieri poterit, possitis ampliare et augere. Et ne quispiam vestrum de hac expeditione bellica et mandato nostro aliquam ignorantiam se habere pretendat, volumus: ut unus ad alium viciniorem presentes literas restium, cum illas perlegerit transmittat, ultimus vero easdem loci capitaneo presentet similiter sub bonorum suorum amissione aliter facere non ausuri. Datum in civitate nostra Thorun fer. VI. ipso die SS. Petri et Pauli apostolorum.

CCLXXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao Lanczkoronski, Capitaneo Camenecensi.

Generose, fidelis dilecte. Legimus ea, que scripsisti nobis de discordia, que est inter te et vojevodam moldaviensem ob non servata capitula et constitutiones conventus non pridem cum illius capitaneis et bojaris habiti, et multum quidem cuperemus, ut tu non preberes ullam causam dissensionis et controversie inter nos nostrosque subditos et eundem vojevodam excitande; verum etiam non libenter videremus, quod ille observare non deberet ea, que ejus consiliarii et bojari cum nostris post multos tractatus inter se mutuo habitos concluserunt, et cum non liceat discedere ab his, que communi consilio conclusa et decreta fuerunt, volumus, ut prout in dicto conventu determinatum est de sarciendis injuriis, ita et non aliter observes. Id etiam, quod in eodem conventu conclusum est de hominibus bone fame absque literis capitaneorum ultro citroque commeare permittendis et de trajiciendo ubique libere fluvio Nyester, equum est, ut observes saltem ad alium conventum, proviso tamen, quod mercatores non vadant cum mercibus nisi viis consuetis, non pretereundo loca theloneorum nostrorum. Nam non licet, ut discedas a constitutionibus conventualibus, que in toto et non in parte sunt utrinque observande; nam qua ratione tu Valachos accusabas, quod non observant decreta conventus preteriti, eo quod non volunt facere initium resarciendi nostris subditis injurias et damna a se illata, eadem ipsi vicissim criminabuntur te, quod vetas eos trajicere fluvium Nyester et ad terras Podolie sine literis tuis aut suorum capitaneorum transire. Itaque fac ut rata habeas decreta et conclusiones prefati conventus utcunque ac usquequaque bona et utilia in utramque partem viderentur. MDXX. Cod. G. R.

De homine subdito vojevode Moldavie, qui portavit isthuc falsam monetam, fac id, quod jus et consuetudo omnium gentium observat.

Quod ad edificia castri camenecensis attinet, jam dudum expedivimus hinc venerabilem Gwyazdowski, natorium nostrum, cum pecunia, que impendi debet in eadem edificia, et non dubitamus illum jam isthuc pervenisse. Datum Thorunii.

CCLXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Proceribus Bohemie.

Spectabiles et mgci. s. n. dilecti. Ex literis vestrarum Dtionum., quibus nobis declararunt, que gesta sunt in conventionibus vris. preteritis, et que etiam prius tres ordines et status regni istius vestri nobis scripserunt, ac oratores Sermi. dni. regis Ludovict responderunt, abunde intelleximus, et probamus plurimum curam et studium vrarum. Dtionum. de bono statu Sermi. dni. regis Ludovici ac ejus regnorum, quod gerere se tot modis declarant. Id autem, quod in conventu preterito ad festum S. Spiritus egerunt de introductione ejusdem Sermi. dni. regis Ludovici ad regnum Bohemie nobis placet, dummodo id commode Cod. G. R.

MDXX. ad effectum perduci possit. Rogamusque Dominationes. vras., ut id omne, quod ad bonum regimen et statum ipsius Sermi. dni. regis Ludovici et regnorum suorum pertinere videtur, cure habeant et ut contributiones debite et dercete sedulo exigantur et pro meliori usu ejus Mtis. convertantur. Rependet Dtionibus. vris. illius Mtas. hanc fidem et officium illarum sua gratia et nos pariter omni studio et favore nostro referemus. Que bene valeant.

CCLXXXVII. Carolus divina favente clementia Romanorum Imperator semper augustus ac Hispaniarum, utriusque Sicilie etc. Rex, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. Conquesti sunt nobis gravi gravimonia Illres. Fridericus, comes palatinus Rheni, dux in Bavaria, et Joachimus, marchio brandeburgensis, princeps elector, consanguinei nostri charissimi, Sertem. vram. absque ulla digna causa et merita bellique indictione fines et ditionem venerabilis Alberti, magni magistri Prussie ordinis S. Marie Theutonicorum, principis, consanguinei nostri devote dilecti, et ipsius fratris marchionis, ingenti exercitu ingressam omniaque ferro, flamma aliaque hostilitate vastasse, aliquot urbes et loca ejus occupasse, omniaque conari, que ad ordinem illum suum extinguendum ipsumque magnum magistrum finibus suis pellendum pertinere possunt. Et quum ipse magnus Prussie magister sacri romani imperii insigne atque honorabile membrum existat cumque ordo confugium quoddam sit atque receptaculum nobilitatis Germanie, prorsus nomini et autoritati nostre indignum foret, si eum, nobis romanum imperium gubernantibus, deleri aut imminui pateremur. Et ideo nos summo studio rogarunt, ut ipsi magno magistro atque ordini suppetias mittere et salutarem opem atque auxilium ferre velimus. Nos vero, quum rem hanc mature consideraremus, officii nostri esse duximus, ut preteritis et presentibus malis ocius remedium adhibere et futuris opportune occurrere debeamus, vel maxime, quod nos, quum primum regnare cepimus, tanto studio et diligentia quietem et otium reipublice christiane semper procuraremus, ut ex eo multa et crudelissima bella extincta et vix ullum inter christianos principes, qui fines nostros sane amplos latosque attingunt, exortum aut suscitatum sit, quanto nos majori solertia par est, inter eos belli finem fieri et arma poni curare, quorum alter, scilicet Sertas. vra. nobis societatis atque affinitatis jure conjunctus est, glorie vero et honoris nostri ita studiosus fuit, ut nullus regum nobis unquam conjunctior neque charior esse possit, alter vero, Prussie magister, ita nobis ratione sacri romani imperii amplectendus tuendusque est, ut non minus indecorum esset, eum favore et auxilio nostro destituere, quam incommodum, si membrum aliquod nobile a corpore nostro divelli pateremur. Tacemus profecto nunc, quod familia brandeburgensis, in qua ipse magister magnus natus est, illustri domui nostre Austrie sanguinis vinculo conjuncta est, non nos movet, quod majores illius nobis et predecessoribus nostris strenue operam suam in omni fortuna navarunt, preterimus, quod illius fratres, Casimirus scilicet,

cet, qui in Germania est, et idem Joannes, qui nobiscum agit, nobis meritis et officiis MDXX.
suis charissimi sunt, que certe in alterius causa multa possent, in Sertis. vero vestre nihil, sed movemur tantummodo, quod ita nobis ordo ille atque illius magister protegendus est, ut ei nulla ratione aut causa deesse possimus, nisi s. rom. imperium, cujus habene nobis tradite sunt, nisi nomen, nisi dignitatem, nisi nosmet ipsos deserere et derelinquere velimus. Quod quam a nobis et autoritate nostra alienum indecensque foret, Serti. vestre tanquam equissimo judici considerandum relinquimus. Sed quanto plura cum utrisque et amicitie et protectionis jura intercedunt, tanto nobis hoc bellum difficilius, gravius acerbiusque est. Verum quum nobis summe egregieque virtutes Sertis. vestre perspecte sint sciamusque, eandem neque adversarum rerum successu deprimi, neque felicium et prosperarum nimis efferri, confisi sumus huic nos rei posse opportune succurrere rebusque aliis turbidis lucem et serenitatem afferre, vel maxime, quum idem magnus magister Prussie Serti. vre. arctiori quam nobis sanguinis vinculo conjunctus sit. Et propterea statuimus quam primum oratores nostros ad Sertem vestram transmittere, qui nomine nostro omnia apud eandem et ipsum magistrum tractare debebunt, que ad hoc bellum extinguendum mutuaque odia et simultates deponendas convenire existimabimus. Quum autem illi ob itineris longitudinem istuc adeo cito adesse non possint, atque interim utrinque ab armis discedi cupiamus, rogamus Sertem. vestram et ita rogamus, ut nihil ab ea neque majori studio neque diligentioribus precibus contendere et petere possimus, ut nostra causa, cum he sibi reddite fuerint litere, protinus a bello et hostilitate cessare armaque deponere adventumque oratorum nostrorum expectare velit, qui cum eis commissionibus venturi sunt, ut inter Sertem. vram. et ipsum magistrum perpetuam pacem et amicitiam futuram speremus. Factura est autem in eo nobis Sertas. vra. rem gratissimam et longe etiam gratiorem quam ut eam ullis verbis aut literis exprimere possemus. Et Sertem. vram. una cum Serma. conjuge regiaque sua prole incolumes valere et per presentem ad has literas responderi cupimus. Datum Bruxellis XXVIII Junii.

CCLXXXVIII. Carolus Quintus, Romanorum Imperator, Alberto, Marchioni, Magistro Cruciferorum in Prussia.

Venerabilis princeps, consanguinee charissime. Cum nos nutu dei opt. max., a quo omnia Cod. G.
fiunt, communibus principum electorum suffragiis in regem Romanorum futurumque imperatorem electi simus, nostri officii esse duximus, pacem et concordiam christianorum principum procurare, quo facilius concordibus armis atque animis expeditio contra Christi nominis hostes suscipi posset. Et cum intelligamus inter Sermum. regem Polonie, fratrem nostrum charissimum, et Devotionem tuam super juramento quodam prestando nonnihil discordie adesse, cuperemus plurimum hujusmodi discordiam sedari, presertim cum edocti fuerimus, cesaream Mtem. preclarissime memorie, dnum. atque avum nostrum colendissimum, ad te quoque super ea re literas dedisse. Quapropter hortamur Devotionem tuam magnopere

MDXX. magnopere, ut dicto Sermo. fratri nostro debitum et presertim quod predecessores tui regibus Polonie prestare soliti sint, etiam prestes et te ita erga eum exhibeas, ut junctis armis istis fidei hostibus occurrere et terrori esse possitis. Et si quid forsan dissidii inter eundem regem et te adhuc remanserit, daturi sumus operam, cum primum in Germaniam venerimus, quod deo dante propediem futurum speramus, ut hujusmodi inter vos questio amice et pro dignitate utriusque componatur. Quare nobis pollicemur, quod pro tuo et fratrum tuorum in nos observantia nobis in hac re satisfacies, quoniam hoc erga Devotionem tuam universumque istum ordinem benigne et omni gratitutine recognoscemus.

CCLXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine Polonie.

Cod. G. R. Serma. princeps et dna. conjunx nostra charissima. Mittimus hunc cubicularium ad invisendam Mtem. vram., quam plurimum rogamus: velit nos per illum de statu valetudinis sue edoceri. Et sciat: Ill. dominum magistrum, nepotem nostrum, post multos tractatus, quos nobiscum hic habuit, simulans velle inire nobiscum pacem et concordiam, postquam intellexit circiter duo milia peditum lanceariorum sibi advenisse per mare et per terram livoniensem, propere hinc, rebus imcompositis, discessisse animo contra nos belli instaurandi. Itaque nos etiam eas copias, quas per arces et oppida intercepta in presidiis collocaveramus ad exercitum nostrum unacum aulicis nostris levis armature misimus, volentes ceptum nostrum auxiliante deo constanter prosequi et jura regni nostri tueri. Felicissime etc.

CCXC. Sigismundus, Rex Polonie, Job, Epo. Pomezaniensi.

Cod. G. R. Rnde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Hodie accepimus literas Ill. domini magistri, quibus significat, mittere se ad nos nuncios postulans a nobis, ut vram. quoque Ptem. venire ad nos cum illis permittamus ad obeunda mandata sua. Nos vram. Ptem. quemadmodum prius ita et nunc a tractatibus pacis et concordie non excludemus, et annuimus, ut ipsa ad nos secure veniat cum eisdem nunciis, et bene valeat.

CCXCI. Sigismundus, Rex Polonie, Luce de Gorka, Castellano etc.

Cod. G. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Intercepte sunt nuper a militibus nostris multe litere, que ex Germania ad Illrem. dominum magistrum ferebantur, ex quibus cognovimus, multa milia equitum et peditum ei illic comparari, que huc adversus nos mitti deberent, si modo conquesierint

quesierint pecuniam illi, quibus ea res est commissa. Utcunque autem nos non speremus, MDXX.
tam cito et facile pecuniam mutuam in Germania inveniri posse et presertim tantam, qua multa milia militum conduci possent; volumus tamen, ut tua Stas. diligenter explorari faciat, si que gentes illic in Germania congregarentur et ad fines regni bonam custodiam habeat, ne qua vis insperata illac penetret ad dominia nostra.

Dominus magister hac forte fiducia fretus, quod amici sui et confederati juvare illum deberent, perstat in pertinacia et duritie cordis sui et solis verbis nos lactat promittens, se nobis ad ea, que nuper ejus nunciis, quos apud nos post discessum hinc tue Stis. habuit, per consiliariôs nostros erant proposita, quum primum cum subditis et membris ordinis sui consilium caperet, responsurum et postulans, ut hec mora non esset nobis molesta. Que omnia eo tendunt, ut interim habere possit sperata et promissa sibi auxilia, ut exercitum nostrum fraude et dolo adoriri possit.

Sermus. dnus. Romanorum rex scribit nobis, querelam coram se contra nos per Illres. dominos Fridericum, palatinum Rheni, et Joachimum, marchionem brandeburgensem, depositam, eam videlicet, quod nos absque ulla justa causa et belli indictione magistrum Prussie et ejus ordinem bello aggressi simus et terras ipsius ferro et flamma vastaremus, declarans, quam sibi sit ea res molesta et quod illi, utpote nobili membro s. rom. imperii deesse non posset, velle tamen se propediem oratores suos huc mittere ad componendam inter illum et nos pacem perpetuam, qui cum ob longinquitatem itineris venire tam cito non possint, postulat magno studio, ut interim arma deponeremus et exercitus ex terris ordinis deduceremus. Nos sciebamus, ejusmodi querelas apud illius Mtem. per necessarios et amicos dni. magistri adversus nos futuras, et ob hoc satis tempestive oratorem nostrum, generosum Jaroslaum Laski, structorem mense nostre, ad illam misimus, et miramur, quod tam diu illuc non applicuerit. Utcunque tamen est, respondebimus nunc illius Mti., ut res se habet, et declarabimus, quod, multiplicibus injuriis dni. magistri coacti et nolentes juribus regni nostri deesse, bellum hoc contra ipsum gerimus parati semper, ab eo desistere et arma nostra deponere, cum primum ipse officium et debitum suum nobis et regno nostro faceret. Datum Thorunii.

CCXCII. Litere primarum Restium ad Terram Plocensem misse.

Sigismundus, R. P. etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis, Cod. G. R.
officialibus et nobilitatum communitatibus, advocatis, scultetis ceterisque subditis nostris terras ubique regni nostri incolentibus, et presertim terram plocensem et districtus ejusdem de jure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, sincere nobis et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Mgci., generosi, nobiles, famati et providi sincere fideles dilecti. Nemini vrum. arbitramur, esse incognitum, que magister ordinis S. Marie Theutonicorum in Prussia adversum nos et regnum nostrum moliebatur, et quomodo subditos nostros superioribus annis premebat, adeo ut nihil indignius ac hostile magis geri ab eo

 potuerit

MDXX. potuerit et quod maximum est, ab officio suo et debito juramentoque nobis prestando subterfugiebat, ob hocque cum Infidelibus et Scismaticis ligas et pacta contra nos et regnum nostrum inivit ac postremo satis magnum exercitum superiori autumno ex Germania contra nos conduxit, qui si serius non venisset, magnum tunc presertim, cum alii hostes urgebant, damnum terris nostris Prussie et illis regni nostri conterminis inferre potuisset. His justissimis rationibus permoti communi omnium subditorum nostrorum consilio bellum, quod nunc feliciter gerimus, adversus hunc hostem nostrum ejusdemque ordinem suscepimus, quod hactenus gerimus milite, ere nostro et Reipublice conducto. Quem quidem hostem, licet, deo bene juvante, bona ex parte attrivimus adeo, ut ad nos hũc Thoruniam propria in persona venire coactus fuerit, promittens solenniter in manibus nostris, se debitum juramentumque et officium nobis et regno nostro facturum; sed cum intellexisset, quosdam homines novos per mare in auxilium sibi advenisse, mox rejectis omnibus conditionibus sibi toleralibus per nos oblatis bellum maluit, quod tantopere diu sitivit, quam pacem amplecti. — Rebus igitur infectis idem magister abiit et sub induciis pacis contra pacta et promissiones suas, subditi ejus et ordinis multas villas in terris regni nostri et presertim in terra plocensi cremaverunt et expoliaverunt, homines utriusque sexus juvenes pariter ac senes misere trucidaverunt. Et quia nos omnem militiam nostram ad exercitum majorem hoc tempore ex arcibus et oppidis per nos interceptis coĕgimus, in eo ergo tam subito et inopinato casu aliud remedium non videmus, quam ut universam terram plocensem et districtus ejus ad arma concitemus et bellicam motionem ejusdem terre plocensis decernamus. Quare has presentes literas in vim primarum et secundarum et ultimarum restium mittimus, quibus vobis omnibus districtius precipiendo mandamus: ut mox visis illis non expectatis aliis literis nostris sub amissione bonorum vestrorum arma capiatis et quilibet vrum. capiat, ad diemque beati Alexii proxime futurum circa villam Bialuti nuncupatam, inter Dzialdoviensem arcem nostram et Nidborg in Prussia et districtu nostro sitam, armati apud mgcum. Andream de Nisczicze, palatinum plocensem nobis sincere dilectum compareatis et cum eodem palatino juxta loci opportunitatem et temporis necessitatem ita hostium impetum redundatis, ut virtus et debitum cujuslibet vestrum exposcit et requirit, ut inde amplius iste terre nostre nullum sentiant detrimentum et vos laudem et gloriam in re bellica augere valeatis. Et ne quispiam vestrum de hac expeditione bellica aliquam ignorantiam suam pretendat, volumus, ut unus ad alium viciniorem presentes literas restium, cum illas perlegerit, illese transmittat, ultimus vero easdem loci capitaneo representet similiter sub bonorum suorum amissione aliter facere non ausuri. Datum in civitate nostra Thorun, feria quarta inter octavam Visitationis gloriosissime virginis Marie.

CCXCIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Andree de Tanczin, Palat. Lublinensi.

Cod. G. Mgce. domine fautor et amice charissime ac honorande. — Expectare voluit Majestas regia, quem finem rerum suarum esset acceptura cum dno. magistro Prussie, ut de illo Sermo.

nepoti

nepoti suo, dno. regi Ludovico, per vram. Mgciam. significare posset, et ob eam causam hactenus non fuerunt illi misse credentie et instructiones. Verum frustra et expectavimus et laboravimus cum eodem dno. magistro, duxit enim nos verbis suis et tractatibus pacis, ad quam propensum se esse simulabat, et tandem rebus infectis hinc subito discessit, cum intellexit, duo milia peditum lancearіorum sibi per mare et terram livoniensem advenisse, quibus utcunque exercitum regium debellare non poterit, tamen ut est belli appetens et natura ferox curabit illum quoquo modo adoriri. Itaque non existimo, quod bello huic cito finis imponi possit, presertim si ipse dnus. magister collatis signis cum gentibus Majestatis regie congredi detrectaverit. Non potui certe ad presens impetrare a Mte. regia, ut majorem summam pecunie dari faceret vre. Mgcie. pro viatico, quam quingentos florenos, promisit tamen, se plus daturam seu missuram Mtas. sua, si vestra Mgcia. in Bohemiam proficiscetur. Que valeat et sit felix et cui me plurimum commendo. Datum. MDXX.

CCXCIV. P. Tomicius, Epus. Vicecancellarius, Nicolao Bedlenski, Scolastico et Vicario in Spiritualibus Cracoviensi.

Venerabilis dne. frater et amice charissime ac honorande. Decepit nos omnes dnus. magister Prussie, duxit enim nos hic existens suis vanis et simulatis tractatibus et postea cum primum cognoverit, circiter duo milia peditum lancearіorum sibi per mare ex Germania advenisse, subito se hinc eripuit, rebus omnibus infectis, unde conjicere quisque potest, quod non alia causa huc venerat, nisi ut mercaretur sibi inducias belli, intra quas sperabat, se gentes habiturum. Cod. G.

Mtas. regia cuperet quidem, ut pacem hic et in omnibus suis dominiis habere posset, nec optavit unquam ordinem hunc sibi alioquin et rei christiane noxium exterminare, verum cum hec summa illius benignitas grata non est, vult ceptum suum alacri animo prosequi. Intelligens vero sua Mtas., dnum. magistrum descensurum esse in prelium cum exercitu suo, contraxit has copias, que erant per arces et oppida intercepta ad presidia relicte, easque una cum aulicis suis levis armature misit ad exercitum suum. Nam dnus. magister diu gentes externas et mercenarias in terra sua tenere non poterit, sed studebit cum illis gentes Mtis. sue adoriri, si quo ingenio et arte poterit. Quare orandus est dnus. Deus, ut nostris justam causam foventibus et jura ac justitiam suam defendentibus optatam et gloriosam victoriam concedat.

CCXCV. P. Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Laurentio S. Quatuor Cardinali.

Rme. in Christo pater et dne., dne. mi colendissime. Post servitutis mee debitam commendationem. Compertum habeo jam pridem multis documentis de singulari erga me favore vre. Cod. G.

MDXX. vre. rme. Dtionis. et quantum rebus meis istic nullo a me unquam officio provocata commodare solet, quam benignitatem illius, quia non adeo merui, ut illa exuberet, nec etiam hactenus ulla est mihi data opportunitas merendi, nihil magis in votis meis habeo, quam eam mihi dari, ut vicissim cognosceret meum in se studium et observantiam perpetuam. Rogo itaque plurimum rmam. Dtionem. vram., ut quando intelliget, obsequia mea sibi aliquando ex usu futura, his eque ac cujusvis sibi deditissimi semper uti dignetur, velitque in presens negotium expeditionis episcopatus posnaniensis, ad quem me Serma. Mtas. dni. mei nunc promovit, commendatum habere suumque patrocinium adhibere, quo una cum reservatione pauculorum beneficiorum meorum quam celerius et absque difficultate absolvatur. Inveniet me rursum vra. rma. Dtio. in omnibus, quibus sibi commodari et inserviri a me posse existimabit, et mihi injunget, fidum semper et paratissimum. Commendo me et obsequia mea vre. rme. Dtioni., quam ex animi sui sententia longe valere desidero. Dat. Thorunii secunda Julij.

CCXCVI. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine.

Ex cod. mss. bibl. Ossol. *Serma. princeps. Mittimus ad Mtem. vram. nobilem Martinum Wolski, prefectum rerum et curruum nostrorum, ut et viseret Mtem. vram. nomine nostro et pro ejus arbitrio et voluntate locum puerperii illius adornaret. Venissemus autem ipsi multo libentissime ad Majestatem vestram, ut huic ipsi felici puerperio adessemus, si quo pacto nos a tante molis negotio, quo distinemur, exolvere potuissemus, et proinde Mtem. vestram ex corde rogamus, ut illi sua salus sit cure, cujus hunc partum proximum dnus. deus fortunare dignetur. Et valeat felicissime.*

CCXCVII. Leo, Papa Xmus. Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. R. Charissime in Christo fili noster. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum alias ex Mtis. tue literis intelleximus, que inter ea et magnum magistrum Prussie secuta fuerant, nosque nihil magis cupimus quam firmam pacem et unionem inter christianos reges et principes et ne alique dissensiones ac simultates interexoriantur, non potuimus non dolore summaque animi et cordis nostri mestitia affici, nec ullum magis presens remedium fore vidimus, quam ad Mtem. tuam scribere eamque benigne hortari, ut singulari sua prudentia et bonitate gravioribus malis et scandalis, que succedere possent, occurrere atque obviare vellet idque paterna charitate ac sincera dilectione fecimus, non Mtem. quidem tuam reprehendere, sed factum ipsius, ut par erat, damnare et improbare volentes. Ex literis enim Mtis. tue, que nuper nobis per venerabilem fratrem Erasmum, epum. plocensem, ejusdem Mtis. tue apud nos oratorem, reddite fuerunt, intelleximus, eandem Mtem. tuam scripta nostra ex intimo charitatis affectu nata ac pastorali officio nostro convenientia in alium

sensum

sensum, quam de mandato nostro scripta fuerunt, a Mte. tua interpretata fuisse eamque MDXX.
suspicari, quod falsis calumniis aurem prebentes contra eam partes susceperimus. Quod quantum ab intentione menteque nostra alienum sit, novit ille, que nihil ignorat, nosque nobis ipsis optime conscii sumus, quod nullam prorsus causam unquam habuimus, quin te, tanquam peculiarem filium nostrum ac de fide christiana optime semper meritum, in visceribus charitatis gereremus, cum tu — ut christianum principem ac vere catholicum regem decet — assidue bellum contra Scismaticos et Infideles semper gesseris ex eisque plures ac insignes victorias reportaveris. Nosque sepius ob id unacum venerabilibus fratribus nostris, s. rom. ecclesie cardinalibus, ac tota rom. curia publicam letitiam ostenderimus ac debitas omnipotenti per solennis misse celebrationem gratias egerimus, nec unquam tristem ac sinistrum aliquem nuncium istinc nobis allatum fuisse meminerimus, hoc uno excepto, quod tanquam re nova et insolita nos valde commotos fuisse mirari non decet, cum de omnibus etiam minimis, nedum maximis, rebus coram deo rationem reddituri sumus ac propterea solliciti ac vigiles esse debeamus, ne gregis nobis commissi curam et custodiam neglexisse censeamur.

Gratias autem deo agimus, quod ex novissimis Mtis. tue literis rem ipsam magis distincte aperteque intelligimus cognovimusque ipsam tuam Mtem. solita tua prudentia et modestia in hujusmodi negotio processisse et quod in prefatum magistrum sive ejus exercitum fecit, id invitam et coactam fecisse, sepiusque nostros ac aliorum regum et principum nuncios et oratores apud eam existentes testatum fuisse, quod per eam non staret, quin bonam pacem et concordiam cum prefato magistro iniret.

Placuitque nobis intelligere: Celsitudinem tuam etiamnum paratam esse pacem et concordiam hujusmodi sub nostro et hujus ss. sedis beneplacito concludere.

Ad quam Celsitudinem ipsam tuam in domino hortamur eamque per viscera misericordie illius, cujus vices in terris gerimus, rogamus et obtestamur: ut ab intestino isto contra dictum magistrum bello, prout convenit, abstineas, ne illi malum pro malo, sed potius bonum reddere cures minimeque hostilem adversus eum, sed benignum ac paternum animum induas. Non ignoramusque omnium victoriarum, que acquiri compararique possunt, nulla est speciosior magisque deo et hominibus grata, quam se ipsum vincere ac proprios affectus — quod hominis proprium est — superare acceptamque injuriam clementer potius remittere et condonare, quam hostiliter ulcisci et prosequi. Quod si — ut speramus et optamus — eundem magistrum, quem bello et armis non sine magna rerum omnium confusione vincere possis, clementia, quam cetera animantia quoque sentiunt eaque mansuefiunt, lenies atque placabis, ejus duritiem paterna indulgentia franges.

Nec nos pro parte nostra deerimus, sed ad hoc autoritatemque nostram interponemus sicuti aliis literis nunciis nostris apud eandem Mtem. tuam committimus, speramusque quod hujusmodi concordia inita vires, quas contra vos exercebatis, contra Christi nominis hostes, nulla re magis, quam Christianorum principum discordiis exultantes et confidentes, unitis animis convertere ipsosque debellare ac fidei christiane terminos augere et propagare curabitis. Id quod ab omnipotenti deo continuis precibus humiliter poscere et implorare non omittemus. Datum Rome apud S. Petrum sub annullo piscatoris die XV. Julii.

CCXCVIII. Responsum a Rege Zacharie, Epo. Gardiensi, et Antonio *) de Breves de Sabaudia, Oratoribus. (et Joanni de Thedaldis, Legatis Leonis, Pape Xmi.) Cod. R.

MDXX. Cod. G. R. Sacra regia Mtas., rme. pater et mgce. dne., detinere hic dignata est vras. Dtiones. longius opinione sua, quod speravit, Illrem. dnum. magistrum Prussie reduci potuisse ad pacem et concordiam his conditionibus et mediis, que Mtas. sua illi proposuerat etiam ultra sententiam subditorum suorum, ut et postulatis Sctmi. dni. nostri, que Dtiones. vre. retulerunt, satisfaceret reique christiane commodaret et necessitudini sanguinis aliquid ultra debitum etiam tribueret.

Verum quando ipse dnus. magister nullam rationem habens benignitatis, quam illi Mtas. sua per hoc omne tempus exhibere voluit, ut ea ipsa pax et concordia effectum suum sortita fuisset, prestando illi inducias cum summo dispendio suo et jactura temporis ac nonnihil etiam de jure suo et regni sui, idque egre ferentibus regnicolis, decedendo, non solum non accessit ad ullas equas et decentes pacis conditiones, sed etiam ducendo Mtem suam promissis simulatis, illam quodammodo, ut vre. Dtiones. viderunt, collusit.

Nec habens Mtas. sua ex his et aliis actionibus illius aliquam spem, eum ad ullam equam et honestam concordiam accessurum, amplius Dtiones. vras. statuit non detinere, habensque perspectam earum fidem et studium erga se in hac causa sua, non vulgares illis agit gratias et postulat ab eis, ut cum Mtas. sua hic illos ea ratione tenuit, ut Sctmo. domino nostro gratificari et rei christiane non deesse potuisset, velint eam moram boni consulere et in eam partem accipere.

Vestra vero Ptas., rme. pater, Lithuaniam proficiscetur ad capienda testimonia de miraculis divi Casimiri, fratris Mtis. sue, ut in commissis habet a Sctmo. dno. nostro. Quodsi interim aliquid accideret, quod videretur opus esse opera vel adventu huc Dtionis. vestre, id illi Mtas. sua declarabit, habens jam, ut dixi, perspectam et commendatam ejus fidem et diligentiam, quam hactenus in eo negotio exhibuit.

XXIX Julii Rex episcopatum premisliensem
dedit Raphaeli Lesczinski in Thorun.

CCXCIX. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo Ciolek, Episcopo Plocensi, Oratori suo Rome agenti.

Cod. G.R. Reverende. Contulimus episcopatum premisliensem generoso Raphaeli de Leschno, castell. landensi, virtute et meritis illius id exigentibus. Itaque Ptas. vra. curam et operam suam adhibeat,

*) Antonius discessit ad Italiam IV. Julii. (G.).

adhibeat, ut hoc ejus negotium per eos, quibus ille commisit, una cum reservatione cano- MDXX.
nicatus sui cracoviensis istic sine difficultate celeriter expediatur.

Ceterum referet Sctmo. dno. nostro, milites, quos in finibus Infidelium habemus, duo milia equitum Tartarorum et Turcorum his diebus prostrasse et cecidisse, referetque etiam dominum magistrum Prussie, utcunque in summis rerum angustiis constitutum et per gentes nostras graviter affictum, a cepto suo tamen adhuc hostili et pertinaci non destitisse, qui licet apud nos fuerit, humilitatem et animum se nobis conciliandi preseferens, tamen ducens nos aliquamdiu verbis supplicibus et promissis, tandem subsidia externa consequutus rebus omnibus infectis discessit, atque ita non nostra, sed illius culpa bellum in dies magis incrudescit, quod nos minime delectat uticunque nobis felicissime succedit, quod et sanguis Christianorum effunditur et nos a bello cum Infidelibus, cui consuevimus, distrahimur. Et proinde Ptas. vra. eidem Sctmo. dno. nostro nos excuset. Quia vero legatum hunc rev. dnum. episcopum gardiensem, quem illius Sctas. ad nos misit propter multa negotia conficienda, tam cito a nobis dimittere non possumus, volumus, ut Ptas. vestra agat apud ipsum Sctmum. dnum., ut quemadmodum illius Scti. prius scripsimus, conferre dignaretur eidem legato tales facultates in regno nostro, quales illi in ducatu Lithuanie et Masovie concessit, ut et illum non peniteat, apud nos id temporis exegisse, et subditi nostri hoc levamen habeant, quod illa, que foris querere oporteat, domi haberi possint curetque Paternitas vra., ut quam celerius hanc facultatem expediat. Et bene valeat.

CCC. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Erasmo Ciolek, Epo. Plocensi.

Rme. in Christo pater et dne., major honorande. Allatum est mihi huc breve possessionis Cod. G.
septima presentis una cum literis vestre rme. Dtionis., ex quibus cognovi, illam molesto ferre animo, quod non ei, sed aliis expeditionem episcopatus posnaniensis commiserim, id quod me fateor fecisse, nolens hoc onus vre. rme. Pti. imponere multis alioquin curis istic districte, et quod putabam, me illi in hoc rem gratam facturum, si ei mea negotia curanda non committerem. Scripsit enim nuper mihi, ut alios curatores rerum mearum istic mihi quererem, exprobrans sua in me et meos prestita officia et contendens illa mihi parum grata fuisse. Nolui itaque molestus illi esse onerando eam meis negotiis, scio enim, quod que ipsa faceret, alii itidem facere possunt, habita presertim commendatione Mtis. regie, cujus et non alterius cujusquam respectu preces nostre istic ad exauditionis gratiam admittuntur.

De coadjutoria cracoviensi sparsus erat hic non pridem rumor, nescio quo auctore, postea tamen abiit in fumum et ventum, nec ejus fit nunc ulla memoria, alia enim hic habemus nunc pre manibus negotia, quam istas coadjutorias, quas soli ambitiosi cogitant. Curavi ego semper placere vre. rme. Pti. in rebus omnibus ejusque honoris et dignitatis fui studiosus et itidem deinceps facere volo, modo ipsa sit grata mee in se benivolentie et non estimet centenis suas operas, si quas istic pro me impendit, nam vera amicitia non utilitate,

sed

MDXX. sed virtute constat. — Si enim ego quoque mea officia illi exhibita estimare vellem, aut illa enumerare, facile quisque cognosceret, qui nostrum esset superior aut quis alteri plus deberet.

Bellum hoc pruthenicum hactenus sopitum non est, quod dnus. magister perstat in pertinacia et hostilitate sua, nec ullas equas pacis et concordie conditiones vult amplecti, habet enim nonnullos pedites lancearios, qui illi ex Germania per Livoniam sunt missi et cum illis putat se exercitum regium devorare posse. Interim vero fiunt cedes, incendia, depopulationes, et sanguis christianus innocens effunditur, ut in omni bello fieri solet.

Nominatus est per Mtem. regiam dnus. Raphael Leschczinski ad episcopatum premisliensem, cujus negotium commendo vre. rme. Pti., est enim vir prudens et rerum humanarum non ignarus utilisque est futurus cum rei publice tum ecclesiastice, que paucos nunc habet patronos.

Cetera ex literis regiis intelliget vra. rma. Ptas., que valeat et sit felix meque habeat sibi charum et commendatum. Datum Thorunii d. XXII. Julii.

CCCI. Prohibitio severa Sigismundi, Regis, ne in ejus Regnum et Dominia inferantur nec fiant in usu opera Martini Lutheri, Augustiniani, novi heresiarche.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Universis et singulis etc. Manifestum facimus, quod intelligentes ad regnum et dominia nostra inferri nonnullos libellos cujusdam fratris Martini Lutheri, Augustiniani, in quibus multa continentur tam contra sedem apostolicam, quam in perturbationem communis ordinis et status rei ecclesiastice et religionis, ne in regno nostro ex hujusmodi scriptis errores aliqui pullularent, officii nostri ut christiani principis et fidelis filii s. matris ecclesie esse duximus, auctoritatem et potestatem nostram regiam huic cepto noxio obsistere. Mandamus igitur vobis omnibus subditis nostris et cuilibet vestrum seorsim, quod nemo deinceps audeat talia opera ut premissum est in regnum et dominia nostra inferre, vendere, emere aut illis uti sub pena confiscationis bonorum omnium atque exilii, quam unusquisque mandatum hoc nostrum transgrediens sine ulla excusatione tam ignorantie quam alterius cause subibit, et pro gratia nostra aliter non facturi. Dat. Thorunii in vigilia S. Jacobi apostoli. (XXVI. Julii).*

CCCII. Cathalogus Captivorum latronum in Holandt sponsione fidei obstrictorum.

Cod. G. R. Sigismundus, D. g. rex Polonie, Mg. dux Lithuanie, Russie, Prussie etc. dnus. et heres. Universis et singulis dignitariis et officialibus terrarum et civitatum nostrarum Prussie, presertim exercituum nostrorum campiductoribus, rotmagistris et aliis quibuscunque interesse habentibus, sincere et fidelibus nostris dilectis favorem et gratiam nostram.

Proficiscuntur

Proficiscuntur hinc a nobis fide divincti *) captivi nostri ad propria et ad Illrem. nepotem MDXX.
nostrum, dnum. Albertum, magistrum generalem in Prussia. Ut igitur tanto securius illac ire et rursus ad nos pro festo assumptionis glor. virg. Marie, ut se statuant, redire valeant, vobis mandamus: ut eosdem nostros captivos sine omni impedimento libere illac ire, ut premissum est, et rursus ad nos redire permittatis. Sic et non aliter facturi pro gratia nostra. Datum in civitate nostra Thorun fer. II. ante f. S. Jacobi proxima.

Hans Kvnsek
Otto von der Trenk
Cristoff Liskewan
Hans Teke
Joannes Rippe
Christoph. de Tobenek
Joannes Pakmor
Paulus Nase
Joannes Manstein
Fridericus Maijs
Georgius de Gringen.
Georgius de Henten, commendator domus rigensis.
Rudolphus de Retten., commendatoris socius de Goldingen.
Basilius de Retchen.
Jermannus Nagel
Otto de Trenke
Joannes Heme.
Jermannus de Lingen.
Eberhardus Bleckerfelth
Jumportus de Clen.
Andreas Manstein
Volfganus de Schenberg
Balthazar Klerblor.
Henricus de Helspergk, frater ordinis.
Philippus Greissinus
Georgius de Vithmansdorff
Christophorus Neuhavsser
Joannes Czertwicz
Georgius Szak
Theodoricus de Trenek
Filixander Svab
Joannes Kamnik

Michael

*) Cod. R. in expugnato Hollandt capti.

MDXX. Michael Sigler
Nicolaus de Lante
Martinus Psofflan
Bartholomeus de Memmingen
Paulus Groff.
Joannes Ressel
Georgius Ditrich
Bernardus de Hegerloch
Joannes Pecht
Georgius Hermann
Georgius de Reytlinus
Joannes de Czel
Volfganus Feuchtwange
Clemens de Laiptz.
Joannes, Timpanista.
Petrus, Fistulator.

Crafft de Festenbvrg fr. ordinis
Georgius de Erligheim fr. ordinis.
Egloff de Dittrichkirchen.
Henricus de Jglingen.
Joannes Camposen.
Albertus Wassel.
Paulus Weisteil
Georgius de Meylen *)
Albertus Karschel
Erasmus Schockan, quem dr. Jo. Sculteti redemit precibus, ut domum redeat, sic tamen, ut rursus se statuat quando vocabitur.

CCCIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Nicolao Firley, Palatino, Campiductori.

Cod. G. R. Mgce. dne., amice et fautor honorande. Nuncii, qui erant huc missi a dno. magistro, responderunt super articulis, qui illi, dum hic esset, erant oblati, sed responsum illorum quemadmodum vestris Dtionibus. istic ita et nobis hic nihil placuit, erat enim tale, quale vix facere illos decebat, si regiam Mtem. et majorem partem consiliariorum regni, quod absit, in captivitate sua haberent. — Itaque remisimus illos in malam crucem et declaravimus aperte, quia et nunc et postea, quamdiu vel minimum extabit vestigium nobilitatis polone,

nunquam

*) Cod. R. Meythen.

nunquam ejusmodi conditiones, quas nunc proposuerunt, ab eis acceptabuntur. Quid pos- MDXX.
tea meditabuntur, eventus declarabit. Verum dnus. episcopus pomesaniensis certo promittit: magistrum omnino huc esse venturum et pacem perpetuam juraturum. Quod ipsum ego quoque bene credo et spero futurum, modo vra. Dtio. fortiter oppugnationem civitatis Braunsberg prosequatur et hostem contumacem et arrogantem omni ex parte urgeat. Valeat et sit felix vra. Mgcia. et me diligat. Datum etc.

CCCIV. Sigismundus, Rex Polonie. Capitaneis exercitus sui in Prussia.

Mgci. et generosi, sincere nobis dilecti. Scripsit nobis rmus. dominus episcopus varmiensis, Cod. G. R.
bona sua et ecclesie sue magnis et continuis periculis esse exposita vastarique illa et diripi non solum ab hostibus, sed etiam a nostris militibus, petens, ut securitati sue et subditorum suorum gratiose provideremus. Nos non libenter videremus, ut ipse dnus. eps. destitui omni subsidio nostro deberet, qui cum sit subditus et consiliarius noster, non licet nobis illum indefensum relinquere, volumusque et mandamus Stibus. vris.: prohibeant, ne ulla damna aut incendia in bonis illius et ejus ecclesie committantur, possunt enim nostri milites ire pabulatum ad terras hostiles et non attingere bona subditorum nostrorum. Et quia timet etiam dnus. episcopus, ne illustris dnus. magister vires suas in se convertat et oppidum ejus Resel oppugnet, volumus, ut Stes. vre. illum confortent et opportuna presidia illi ferant, ne de nostra in se gratia et protectione desperet.

Ceterum equites Bohemos contineant vestre Stes. in servitio nostro et bono ac forti animo esse jubeant, et admoneant bonis et benignis verbis, ut pecuniam, quam illis misimus accipiant et diligenter perpendant, quo in statu sint nunc res nostre cum hoste nostro, qui in dies magis hostiliter et contumeliose se erga nos gerit, nec ad officium debitum redire posse videtur, nisi vi et armis cogatur, quod ut fieri possit, adnitantur Sinceritates vestre et exercitum nostrum in fide et disciplina militari contineant pro officio suo et gratia nostra. Que bene valeant. Datum Thorunii.

CCCV. P. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Nicolao Bedlenski, Scolastico Cracoviensi.

Venerabilis domine frater et amice charissime ac honorande. Ab eo tempore, quo reddite Cod. G.
sunt mihi postreme litere vre. Dtionis., quibus me monet et suadet, ut castrum et oppidum Crobya cum villis ad illa spectantibus conferrem in tenuta dno. Georgio Conarski et in ea re rmo. domino Cracoviensi morem gererem, quesivi modos et vias, quibus id cum bona venia fratris mei, dni. castellani Myedzirzecensis, cui eam ipsam tenutam dudum promisi, et citra displicentiam aliorum amicorum facere potuissem. Verum nulla ratione possum placare ipsum fratrem meum, ut id ferat equo animo et non summopere excandescat.

MDXX. cat. Itaque nescio, quid facere debeam, nollem quidem offendere animum fratris egroti, nollem etiam desiderio rmi. domini Cracoviensis deesse, quia tamen frater ipse meus non vult a me accipere aliam quantamvis tenutam, si prius sibi promissam habere non poterit, rogo plurimum vestram Dtionem.: agere velit cum rmo. dno. nostro, ut non moleste ferat, si voluntati illius nunc satisfacere non potero, certo vero promittat illius rme. Dominationi vestra Dtio., quod non desistam medio tempore lenire animum ejusdem fratris mei et ita cum eo constituere, ut patiatur me respondere voluntati et postulationi ejus rme. Dtionis., cui in rebus omnibus placere et gratificari ex animo cupio et semper volo.

Fuerunt hic nuper oratores dni. magistri et responderunt illius nomine super articulis, qui erant ei hic dati, ut autem vra. Dtio. cognoscat summam regie Mtis. erga illum benignitatem et e diverso nimiam illius arrogantiam et hostilem animum mitto illi articulos nostros et responsum ipsius magistri ad illos, ex quibus intelliget, si sit ulla spes pacis et concordie nobis relicta cum eo homine, qui in ista sua et suorum summa difficultate ac ruina audet proponere eas conditiones, quas victor et nos omnes, quod absit, una cum regia Mte. captivos habens, vix absque magno rubore postulare posset; promittunt tamen oratores ejus, illum nequaquam bellum hoc diutius sustinere posse, et intra paucos dies huc esset venturum et pacem perpetuam juraturum, quod si fecerit necne, brevi experiemur.

Admonet me et quasi urget continue dnus. archiepiscopus, ut secum ineam practicam illam, quam cum dno. olim epo. posnaniensi inchoaverit. Vellet me constituere administratorem archiepiscopatus de consensu regie Mtis. et capituli sui, ea lege, ut ego mihi dnum. Latalski acciperem coadjutorem in epatu. posnaniensi et tantum illi assignarem in proventibus ejusdem epatus., quantum ille habere solet ex gnesnensi et lancicensi preposituris, quas ipse dnus. archieps. cuperet habere pro nepote suo, et vicissim vellet mihi tantum dare in archiepatu. suo, quantum dnus. Latalski esset a me habiturus in epatu. meo, promittens, quod non modo nullum damnum, sed etiam magnum commodum essem inde habiturus. Ego qui novi optime versatile hominis ingenium et alioqui natura abhorreo ab hujusmodi practicis, que et indignitatem mihi parere et animos multorum hominum offendere possent, necto moras et dico, non esse mihi integrum, ut ad id tam subito consentiam, dum adhuc vix recte adierim possessionem epatus. posnaniensis, ajo preterea illum esse eque firme valetudinis ut ego sum, et ob hoc utrumque nostrum nullo adhuc coadjutore egere; ille tamen non cessat denique nunc per se ipsum nunc per alios dominos mihi persuadere, ut tam honestam conditionem sponte mihi oblatam non rejiciam, commemorans multos insignes viros in regno nostro sedem illam primariam omnibus votis suis expetivisse, consequi tamen eam non potuisse. Verum persuadere mihi nullo modo potest et, ut ajunt, surdo narrat fabulam; non possum enim adduci, ut ineam talem societatem cum homine, cujus mores mihi nunquam placuerunt, curabo tamen quantum maxime potero ejus benivolentiam mihi retinere, malo enim vel ranunculas habere amicos quam inimicos. Hec scribere volui in presens vre. Dtioni., ut sciat, quid hic mecum agatur. Cui me ex animo commendo et valere illam felicissime desidero. Datum etc.

CCCVI. SIGISM.

CCCVI. Sigismundus, Rex Polonie, Christierno, Regi Danie.

Serme. princeps et dne. frater, amice noster charissime. Significavimus paucos ante menses MDXX.
Mti. vre.: Illrem. dnum magistrum Prussie, nepotem nostrum, in id, quod jam dudum in Cod. G. R.
animum induxerat, nunc tandem impensius incumbere cepisse, et adversus nos bellum et apertam hostilitatem occupasse, repetentesque veterem amicitiam ac federa, que inter divos olim utriusque nostrum predecessores pro cummunium regnorum nostrorum commodo erant inita, postulavimus a Mte. vra.: declarare nobis velit, si federa mutua observare nobiscum velit et qua mente in nos et subditos nostros futura esset in hac Illris. dni. magistri adversum nos contumacia hostilitateque. Placuit autem Mti. vestre literis suis nos certiores reddere, sibi nunquam subiisse animum, veterem ac plane hereditariam inter nos amicitiam deponere, quin potius omni benignitate et studio eam deinceps et conservare, federaque antiquitus inita confovere et continuare velle. Que quidem federa predicta, quo firmiora forent, verbo et promissione regia nos innovavimus. Nuperrime vero non sine animi molestia et summa admiratione certo accepimus: Mtem. vram. non parvas peditum copias a regno suo eidem dno. magistro Prussie, hosti nostro, in nostrorum detrimentum per mare misisse. Quod quidem Mtis. vre. factum, quoniam contra omnem spem nostram et veteris amicitie studium — quod commune arbitramur — accidit, ac non modo initis federibus non respondet, sed etiam est a nostra fraternitate vicinitateque et vetere ac probatissima amicitia ac recta denique vivendi ratione maxime alienum, Mtem. vram. — que se non modo paccate, sed etiam amice nobiscum victuram receperat — requirimus affectamusque, ne gravetur nobis ex professo ingenueque ac plane regie mentem suam apertius declarare, quo tandem animo non modo in nos, sed etiam in omnes subditos nostros deinceps esse velit, et num pateat prefatis subditis nostris omnibus, quibus collibitum fuerit, ad regna et dominia Mtis. vre. tutus et liber accessus, commoratio atque discessus: et valeantne isthic secure et absque quovis impedimento et molestia negotiari, salvis et integris juribus, libertatibus et prerogativis sibi dudum concessis, gratissimum siquidem nobis fuerit hac in re nosse sententiam et exploratam habere voluntatem Mti. vestre, quam rogamus, ut de ea ipsa literas suas ad nos dare velit huic nuncio, qui hasce nostras reddit Mti. vre., quam feliciter valere ex animo desideramus. Datum in civitate nostra Thorun.

CCCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie, etc.

Cum esset apud nos rev. dominus eps. jawriensis, orator Mtis. vre. et declarasset nobis, ut Cod. G. R.
pollicita fuit optimatibus et regnicolis Bohemie, se ad illos pro festo S. Joannis Baptiste preterito profecturam, nos intelligentes, expedire communibus rebus nostris et regnorum nostrorum, conventum nostrum mutuum antevertere, scripsimus et misimus de industria

 nuncium

MDXX. nuncium nostrum ad Bohemiam, qui ageret, uti profectio ipsa Mtis. vre. eo usque differratur, donec prius cum illa convenire possemus, unde quod responsum accepimus, cognoscet vra. Mtas. clarius ex scheda, quam presentibus inclusam mittimus, quod in summa universi nullo modo consentire voluerunt ad ulteriorem dilationem adventus ipsius ad se Mtis. vre. Que cum deinde literis suis nobis significavit, quod Posonium proficisci decrevit, ut illic prius animos ipsorum Bohemorum inter se dissidentes componeret, expedivimus evestigio oratorem nostrum, qui illic obsequio et studio suo tam in pacandis motibus bohemicis, quam etiam in profectione Mtis. vre. ad illud regnum presens adesset. Qui subinde referet Mti. vre. statum presentem rerum nostrarum, utque dnus. magister Prussie perstitit in proposito ac hostilitate sua adversum nos, qui licet ad nos nuper eo pretextu venerat, quod voluisset se nobis reconciliari, tamen ducens nos aliquamdiu verbis et promissis suis, ut nos et gentes nostras distineret et tempus aucuparetur, tandem nactus subsidia quedam ex Germania, rebus omnibus, quas jam pollicitus fuit, infectis discessit. Unde cum bellum magis incrudescere videtur, Mtem. vestram ex animo rogamus: dignetur nobis cum regnis suis non deesse et presertim in eo, ne gentes alique adversum nos possent per ditiones vre. Mtis. penetrare; quod illi vicissim regnisque et dominiis ejus volumus omni benivolentia, viribus et facultate nostra semper referre. Quod autem nobis Mtas. vra. commendat venerabilem Joannem Carnkowski, secretarium nostrum, volumus eum deinceps hac ratione uberiori gratia nostra complecti. Et felicissime valeat Mtas. vestra, cujus amori nos commendamus.

CCCVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V., Rome Imperatori.

Cod. G. Serme. ac excellentissime princeps et dne. frater et consanguinee noster charissime et honorandissime. Reddite sunt nobis litere vestre Mtis., quibus nobis declarat, questos esse de nobis coram se Illres. dnos. ducem Bavarie et Joannem, marchionem brandeburgensem, quod absque ulla digna et merita causa bellique denunciatione terram Ill. dni. magistri ordinis Theutonicorum in Prussia vi armorum premeremus et ditionem ejus occuparemus ac etiam que ad eum ordinem extinguendum ipsumque magistrum e finibus suis pellendum pertinerent conaremur, petivisseque illos a Mte. vra., ut quam primum eidem magistro suppetias adversum nos ferret et illi ac ejus ordini non deesset, vram. vero Mtem. studio communis pacis rei christiane et officii, quibus partim nobis, partim ipsi magistro afficitur, decrevisse ad nos oratores suos mittere, qui et bellum hoc extinguere et firmam pacem inter nos componere curarent, postulans a nobis vra. Mtas., ut interim a bello cessari et exercitum nostrum e terra ordinis educi faceremus. Nos, Serme. rex et amantissime frater noster, pro comperto habentes, ipsum dnum. magistrum et ejus conjunctos ut alias solitos esse omnia mala nobis struere et famam ac existimationem nostram illibatam suggillare, querendo de nobis et quiritando cum apud omnes alios, tum vero apud Mtem. vestram nihil esse pretermissuros, misimus jam pridem ad illam Jaroslaum Laski, nuncium

cium nostrum, qui et venienti Mti. vestre in Germaniam obvia gratulatione occurreret il- MDXX.
lamque honoris gratia eo comitaretur et causas simul suscepti a nobis hujus belli explicaret. Nam licet non dubitemus, compertum esse satis Mti. vre. integritatem, modestiam et equanimitatem nostram erga omnes, tum pro summo amore et observantia nostra, qua eandem Mtem. vram. complectimur, nihil magis veriti sumus, quam ne sinistris rumoribus et delationibus aliquid tale de nobis concipere posset, quod ab animo nostro et a veritate ipsa longe esset alienum. Jam igitur non ambigimus, Mtem. vram. accepisse ab ipso nuncio nostro, quid nos, diu multumque renitentes, coëgerit arma contra dictum magistrum sumere, ut non opus esse videatur, illa in presens repetere, que alioqui literis complecti nequeunt. Tamen ut Mtas. vra. plene intelligat, qui merito culpari debeat et in quo loco summa hujus tragedie consistit, scire dignetur, nos ipsum dnum. magistrum permisisse ab initio ad prefecturam hujus ordinis permotos cum spe et affectu consanguinitatis nostre, tum precibus et promissis tam Sermi. olim fratris nostri, dni. Vladislai, Hungarie et Bohemie regis, quam Illmi. dni. Casimiri, marchionis brandeburgensis, fratris sui, quod integrius et obsequentius se gerere deberet erga nos, quam alii ejus predecessores; qui tamen mox non solum non prestitit id, quod nobis et regno nostro debet, sed etiam omnia in nos hostilia moliri cepit, pressit variis et indignissimis modis subditos nostros, arma, tormenta, et alios apparatus et instrumenta bellica comparabat, delectus assidue domi faciebat, societates indecentissimas cum Scismaticis et Infidelibus adversum nos, contra debitum et professionem suam inibat. Que omnia tulimus et dissimulavimus toto isto tempore vitantes modis omnibus cum christiano principe et consanguineo nostro ad arma venire et germane nationi, que nobis semper chara fuit, displicere, donec ille ex compacto convenit cum Moscis et Tartaris nos simul adoriendi. Et cum jam illi partes suas validissimis exercitibus exequerentur, eduxit ex Germania magnum militum lanceariorum numerum et tota re domi instructa erat in procinctu et itinere terras nostras Prussie occupandi, in quibus motu vehementi facto non licere nobis putavimus, diutius dignitati et subditis nostris deesse. Venimusque confestim huc cum bellico apparatu et abactis cum multo discrimine predictis hostibus Moscis et Tartaris, ubi adhuc longius, quam cepto nostro decebat, prestolati, ut ille resipisceret et debitum nobis suum prestaret, et nihilominus videntes, illum in cepto et pertinacia sua persistere neque hac benignitate nostra et suo dispendio permoveri, coacti sumus exercitum ad compescendum illum mittere et bellum illi de more, utcunque id ille prius orsus fuit, per capitaneos et duces militum indicere. — Quo quidem bello licet illum jam pridem conficere potuissemus, nulla equa vi nobis resistente et rerum omnium non magno negotio potiri; nostra tamen benignitate illum ut nepotem et juvenem lenius tractantes spe illius animi aliquando reducendi, hoc etiamnum saxum volvimus ejusque subtitis et militibus, quicunque in potestatem nostram veniunt, omnem humanitatem et clementiam exhibemus, quum ille contra quoscunque ex nostris nancisci potest, non solum diris ac pudendis suppliciis afficere solet, sed etiam eos cum levissimis figmentis de victoria sua ad Scismaticos, confederatos suos, in servitutem mittere non veretur. Ac ut Mtas. vra. clarius benignitatem nostram erga illum cognoscat, quando exercitum nostrum illius sedi et loco primario admoveri fecimus et ille timore perculsus se-

curitatem

MDXX. curitatem veniendi a nobis petiit, eam illi adeo non gravatim concessimus, ut etiam cum summo dispendio nostro et jactura occasionis rei bene gerende inducias belli circiter unum mensem illi dedimus. Qui veniens ad nos et causans hec atque alia, quominus certam pacem nobiscum firmaret et debitum suum prestaret, tempus duntaxat aucupando, ut interim subsidia aliqua consequi posset, nec interim negans indignissimam conjunctionem cum hoste nostro Moscovita, ad extremum tamen victus modestia et equissimis argumentis nostris, pollicitus nobis fuit, se omnia, que deberet ex federibus et pace perpetua, prestiturum. Sequenti autem die accepto nuncio de nonnullis suppetiis sibi missis, re penitus infecta discessit. Unde, Serme. rex, facile conjici potest, eum reduci ad pacem et concordiam non posse nisi bello, quod tantopere concupivit, satietur. Licet etiam Serenissimus olim ac invictissimus Maximilianus cesar, avus Mtis. vre. sepius et nequidquam tentabat hoc bellum preripere, ac demum eo jam orto tam summus pontifex et Sermus. nepos noster, dnus. Ludovicus, Hungarie et Bohemie rex, quam nonnulli Germanie principes per insignes oratores suos non vulgarem pro pace sed inanem operam impenderunt non nostra, sed illius culpa, testibus ipsis oratoribus. Tamen non cupientes ordinem hunc extinctum iri, sed id solum ab eo requirentes, quod nobis et regno nostro debet, cujus juribus nullo modo nobis deesse licet, nec ea imminuere integrum est, gratissimus erit nobis adventus oratorum Majestatis vestre, sperantes illos equam et honestam pacem, quam nos nunquam detrectavimus melioribus, auspiciis et efficaciori opera conficere posse autoritate Mtis. vre. Serme. Quam plurimum rogamus, ut nobis et huic cause nostre pari favore, ut equum est, pro officio et observantia nostra adesse dignetur, qui Mti. vre. et rei christiane plus ex usu esse possemus, quam decem ejusmodi ordines, qui ad hoc unum fundatus esse videtur, ut ibi, ubi sit, misceat et perturbet. Sed quum illum olim regna Hispanie et Anglie ac nonnulle alie gentes uti rem noxiam penitus exterminarunt, nescimus, quo fato nostro sit, ut nos soli, qui a tota re christiana ingentem vim Infidelium solis viribus nostris arcemus, nec unquam ab hoc labore et bello requiescere possumus, hunc obicem domestice pacis habere et tantam ejus insolentiam perpeti cogamur, nec liceat nobis citra invidiam, quod licitum est aliis, hanc calamitatem vel excutere, vel saltem compescere. Verum confidimus virtuti Mtis. vre. Serme. quod si nostram et Sermi. nepotis nostri conjunctionem et officia cordi habet, si recte statui christiano consultum iri et eum ab Infidelibus defendi cupit, cum quibus utrumque hic distinemur — milites enim nostri, quos in illis finibus habemus, assidue et feliciter dimicant — operam et favorem suum nobis prestabit, quo tandem hac molestia et impedimento domestico carere et arma nostra pro commodo rei christiane liberius exercere possimus. Et commendamus nos ex corde Mti. vre., quam Deus augeat in dies omni gloria servetque diutissime sanam, sospitem et felicem. Datum Thorunii penultima mensis Julii.

CCCIX. SIGISM.

CCCIX. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Firley, Palatino Sandomiriensi.

Mgce. sincere nobis dilecte. Commendat nobis Stas. tua generosum Sbigneum Slupeczki et postulat, ut eum justo stipendio provideamus. Miramur vehementer, cur ipse hactenus non habuerit servitium super equos suos, cum potuit inscribere illos in regestrum tue Stis. in locum et numerum equorum, quos habuit generosus olim Stanislaus Doluski, cujus ipse comitivam habet. Quare volumus, ut ille habeat servitium super equos suos. Nam nos semper pecuniam integre mittimus pro integra ejus comitiva, quam olim Doluski habuit. Quod tumultuantur equites bohemi et minantur, se discessuros ab exercitu nostro, multum dolemus simul et miramur, quod homines hujus seculi non sunt contenti de stipendio, quod illis continue solvimus et mittimus; scimus enim, quomodo alii principes christiani solvere solent stipendia suis militibus, scimus quomodo predecessores quoque nostri illa solvebant. Itaque curet tua Stas. animos eorundem equitum Bohemorum et aliorum nostrorum militum reducere ad tranquillitatem et constantem perseverantiam in servitio nostro. Nunquam enim negligemus providere illos pacata et prompta pecunia. Bene valeat Stas. tua. MDXX. Cod. G. R.

CCCX. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Nunciis Capituli Varmiensis.

Sacra regia Mtas., venerabiles dni., perpendit secum et cum dominis consiliariis suis lega- Cod. G. R.
tionem et rationes vras., quibus docebatis tutius et utilius processurum negotium electionis vestre, ubi ea fieret juxta veterem consuetudinem, non secundum concordiam et pacta cum Mte. sua Serma. per defunctum dnum. episcopum et vos inita.

Verum intelligens Mtas. sua et compactata Germanie et quasvis alias firmissimas immunitates Rome infringi et labefactari solere, ubi vi et potestate seculari non manutenentur et defenduntur, quemadmodum apparuit nuper in electione dni. epi. vratislaviensis, que per summum pontificem violata et in gratiam dnorum. marchionum a principibus Germanie destituta, quibus difficultatibus acta sit, satis novistis; ut nisi Mtas. sua regia ipsi domino episcopo adfuisset, omnino de ipsius electione actum esset.

Et proinde Mtas. sua subverens, ne idem vobis accidat et ne sibi occasio precidetur tuendi vos et ecclesiam vram. adversus dispositionem apostolicam, ubi secundum compactata Germanie, que ad Mtem. suam nihil attinent, ipsa electio fieret.

Consultius esse censet, hortaturque vos, ne a capitulis et pactis secum initis vel latum digitum discedatis, ut in omni eventu Mtas. sua, uti verus ecclesie vre. patronus, possit illi et vobis tanto decentius et efficacius adesse. Nam non dubitat Mtas. sua dnos. marchiones omnem conatum facturos, quo ad voluntatem ipsorum fieret dispositio de ipso episcopatu vestro, et principes Germanie illis affuturos.

MDXX. Quare vult Majestas sua regia et hortatur vos, ut jam, auspice dno. deo, unum ex quatuor vestrum, quos Mtas. sua designabit, eligant, qui rationi hujus turbulenti temporis magis conduceret magisque idoneus et propensus esset ad gratiam et patrocinium Mtis. sue et ejus regni sua fide demerendum, quo demum possit ecclesiam et bona vestra non solum ab his angustiis vindicare, sed etiam industria sua et beneficentia ejus Mtis. auctiora reddere. Sua vero Mtas. Serma. pollicetur vobis et ecclesie vestre, ubi vos ita gesseritis, uti confidit, suo regio favore, sua beneficentia et tuitione pro viribus suis nunquam deesse.

Anno domini MDXX. prima Augusti natus est Sigismundo I., regi Polonie, filius, cui in baptismate Sigismundo Augusto nomen inditum est. Natus autem est mane ante ortum solis.

CCCXI. Sigismundus, Rex Polonie, Bone Sfortie, Regine conjugi.

Cod. G. R. Serma. princeps. Geminam et immensam letitiam ex literis Mtis. vre. accepimus, quod intelleximus, illam ex partu incolumem esse et nos suavissimo filio et perpetuo pignore amoris nostri mutui a dno. deo condonatos. Quare de tam fausto ac jucundissimo nuncio agimus vre. Mti. immensas gratias et, quod nobis summe est cure, plurimum illam rogamus, ut valetudini quantum potest incumbat nomenque dulcissimo filio nostro Sigismundi, quemadmodum presentes cum illo egimus, leto et fausto omine imponi faciat. Valeatque felicissime et nos amet.

CCCXII. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopis et Consiliariis suis.

Cod. G. R. Rme. in Christo pater. Significavit nobis Serma. dna. conjunx nostra, se gratia dei salva et incolumi filium nobis suavissimum produxisse. Que res cum non solum nobis immenso solatio, sed etiam regno nostro summe utilitati sit futura, impartire vram. Ptem. hac letitia nostra volumus, ut nobis et Reipublice gratuletur et gaudeat etc.

CCCXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Dominis in Hungaria.

Cod. G. R. Rme. in Christo pater et dne. amice noster charissime ac honorandissime. Compertam habentes benivolentiam et studium vestre rme. Dominationis erga nos et res nostras, letitiam et consolationem, quam a dno. deo cepimus, illi significare voluimus, aucti enim sumus felicissima

felicissima prole mascula, quam si divina benignitas servare dignabitur sospitem et superstitem, futuram speramus et magno incremento Serme. familie nostre et reipublice christiane, bono statui nostro et Sermi. dni. Ludovici regis, nepotis nostri charissimi, ac communium regnorum nostrorum faustam et conducibilem. Et proinde vram. Ptem. que bonis utriusque nostrum ex animo favere consuevit, nihil dubitamus nobiscum inde parem letitiam et voluptatem habituram. Que valeat feliciter et nos diligat. MDXX.

CCCXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

Serme. quod in nostris et in omnium subditorum nostrorum votis erat precipuis, aucti sumus tandem a domino deo filio suavissimo et Mtas. vra. fidissimo ac concordissimo fratre, que res cum ad incrementum Serme. familie nostre et bonum statum nostrum ac communium regnorum nostrorum non vulgari accessione pertineat, gaudium hoc et consolationem nostram futuram Mti. vre. nobiscum eque communem ac suam ipsius propriam non dubitamus. Que felicissime valeat. Thorunii XV. Augusti. Cod. G. R.

CCCXV. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V. Romanorum Imperatori.

Serme. Accepimus literas vre. Mtis., quibus nobis adventum suum faustissimum ad partes Germanie inferioris et tempus coronationi sue prestitum declarare dignata est. Nos tametsi dudum ante compertum habuerimus illam eo feliciter appulisse et ad salutandam eam miserimus istuc oratorem nostrum, qui apud illam omnia nostro nomine obiret, que amor et conjunctissima necessitudo nostra expostulare videbitur; tamen agimus immensas gratias vestre Mti., que pro benivolentia sua erga nos nobis successus suos significavit, quibus etiam atque etiam gratulamur; optamusque ex intimo animo nostro, ut hic ejus adventus pariter et sacre romane corone susceptio sit felix et fausta illi et reipublice christiane cum summo bonorum omnium et conjunctionis nostre incremento. Ut autem vicissim Majestatem vestram Sermam. letitia et fausto successu nostro impartiamur, eam certiorem faciendam duximus, quod sub ipso tempore adventus illius in Germaniam natus est nobis filius, qui pro nostro mutuo amore et conjunctione erit aliquando, si dominus deus illum superesse voluerit, ex usu et honore Mtis. vre. et reipublice christiane commodo non mediocri. Agimus etiam non vulgares gratias vre. Celsitudini, quod habita ratione magni locorum intervalli et angustie temporis, abstinuerit a vocando ad eam felicissimam coronationem suam Sermo. nepote nostro dno. Ungarie et Bohemie rege, gravissimis alioqui regnorum suorum negotiis domi occupato. Qui tamen non pretermittet ea omnia, que officii sui et honoris vre. Mtis. ratio requirere videbitur. Que felicissime valeat et nos ac res nostras commendatas sibi habere dignetur. Thorunii die XV Augusti. Cod. G. R.

CCCXVI. SIGISM.

CCCXVI. Sigismundus, Rex Polonie. Isabelle, Duci Barensi, Socrui.

MDXX. Cod. G. R. Illma. princeps et dna. mater nostra charissima. Doctorem Nicolaum Catignanum de Brundusio, phisicum Serme. conjugis nostre, propter ejus virtutem et peritiam ac etiam curam sedulam, quam in custodienda sanitate ejusdem Serme. conjugis nostre adhibere consuevit, libentissime vidissemus diutius apud nos immoratum, verum cum illum desiderium conjugis et liberorum suorum a nobis retraxit, commendamus eum Illme. Dtioni. vre. rogamusque illam, ut pro eo, quod hic erga nos et Sermam. conjugem nostram est optime meritus, illum gratia et beneficentia sua complecti dignetur. Nos etiamnum bello cum Illri. dno. magistro Prussie distinemur, cujus exitus, ut putamus, non erit celer ejus ob pertinaciam, nec fieri poterit pax aliter, quam ille hoc ludo satietur, quod nobis satis est molestum, qui profusionem sanguinis christiani semper horruimus. Inter has autem molestias et tumultus bellicos accepimus a dno. deo donum, quod nos et universum regnum et dominia nostra plurimum exhilaravit, filium videlicet dulcissimum, ut jam Illti. vestre constare potest, qui ut erat nostris et omnium votis expetitus ita juvante dno. deo fiet perpetuum vinculum et incrementum amoris et conjunctionis nostre ac etiam regno dominiisque suis et toti reipublice christiane firmitas et accessio non vulgaris. Commendamus nos materno amori vre. Illtis., quam dnus. deus servet diutissime sospitem et incolumem. Datum Thorunii XVII Augusti.

CCCXVII. Ludovicus, Rex Hungarie, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. R. Serenissime princeps. Superioribus diebus dum reverendissimus in Christo pater, dominus Joannes Bozthon, episcopus jawriensis, apud Serenissimam Majestatem vestram ageret oratorem, rogatam ejus medio Majestatem vestram habueramus, ut pro negotio matrimonii Serme. domine Anne, sororis nostre amantissime, oratorem suum ad dominos commissarios Sermi. et excellentissimi principis et dni. domini Caroli, regis Romanorum et Hispaniarum, deputare et mittere atque oratoribus nostris illuc euntibus adjungere dignaretur, qui scilicet et nostro et Mtis. vre. nomine negotium ipsum matrimonii tractarent et transigerent, ita ut ulterius res ipsa non differretur, que et Mtis. vre. Serme. et nostrum honorem eque concerneret. Nunc vero ex mgco. dno. Andrea de Tanczin, palatino lublinensi, consiliario et oratore Mtis. vestre in rebus bohemicis ad nos misso, intelleximus, oratorem quidem ipsum per Mtem. vram. jam pridem designatum esse, censere tamen Mtem. vram. et suum et nostros oratores non ad commissarios, sed ad ipsum dnum. Romanorum Hispaniarumque regem esse mittendos presertim cum jam ex Hispaniis ipsis ad Germanie partes applicuerit et in locis agat propinquioribus. Certum est, Serme. rex, patrue charissime, non posse negotium hoc nisi cum Carolo, rege Catholico concludi, sed id per commissarios

sarios ejusdem et in primis rmum. dnum. cardinalem salczburgensem, qui a tempore de- MDXX.
functe cesaree Mtis. in ea re usque modo principem locum tenuit, fieri oportere. Quam ob rem necesse erit, ut prius commissarii, qui rem tractabunt, quam Carolus, qui concludet, adeantur. Rogamus itaque Mtem. vram. summopere et majore quo possumus studio atque diligentia: dignetur oratorem ipsum suum mox, acceptis presentibus, Viennam mittere, quo et nos, ut primum intellexerimus illum venisse, oratores nostros, qui jam dudum parati sunt hic apud nos et solummodo Mtis. vre. oratorem prestolantur, missuri e vestigio sumus. Instructionis autem per nos oratoribus nostris date exemplum cum presentibus ad vram. Mtem. transmittendum duximus, ut ex ea rem omnem, quam illi tractaturi sunt intelligat, et omnia suo oratori pariter tractanda committat, ne discrepare in aliquo videantur, sed intelligant omnes, cum quibus agetur, sicuti nos unum sumus et res ipsa, que tractatur, communis est, ita instructionem esse communem. Nos quoque nostris oratoribus commisimus atque etiam committemus, ut eodem studio et diligentia negotium Majestatis vre. agant et tractent, quo nostrum debebunt.

Ceterum orator ipse Mtis. vre. jam, ut diximus, apud nos est, nihil tamen de rebus bohemicis Mti. vre. scribere possumus, quia Bohemi ipsi nondum venerunt, quos in dies expectamus, qui si advenerint, videbimus quid afferent et cujus erunt animi atque voluntatis. Quidquid erit, Mtem. vram. non latebit.

Postremo antequam literas Mtis. vre. die quinto Julii ad nos datas acceperimus, quibus nos rogabat, ut Mti. vre. cum regnis nostris non deessemus et presertim in eo, ne gentes alique adversus eam possent per ditionem nostram penetrare. Quod licet vel antea jam aliquoties fecerimus, tamen, ne quid desit votis Mtis. vre., denuo dedimus mandata ad omnes provincias nostras, ut nullas gentes adversus Mtem. vram. in magistri auxilium per illas ipsas provincias permittant, sed totis viribus illos, si que transire vellent, prohibeant et abarceant. Parati alia quoque omnia facere, quecunque in rem Mtis. vre. fore cognoverimus, cui nos iterum iterumque commendamus cupientes Mtem. vestram quam felicissime valere et de hostibus suis gloriose triumphare. Ex Posonio III die mensis Augusti.

CCCXVIII. Instructio a Ludovico, Rege Hungarie, data oratoribus ad Germaniam ad contractus nuptiarum faciendos.

Oratores nostri agant apud commissarios, ut tandem post tot annorum lapsus, post tam Cod. G. R.
longam diuturnamque expectationem Illma. princeps dna. Anna, soror nostra charissima, nuptui tradatur Catholico regi Carolo et jam de facto matrimonium per verba de presenti ultro citroque contrahatur et prefigatur locus ac tempus ad solennia matrimonii peragenda et uxorem deducendam.

Item agatur certis et efficacibus rationibus cum ipsis commissariis, ut interponant partes suas et omnino efficiant apud Catholicum regem, ut hec matrimonii exequutio ac consummatio omnino fiat, tum recensendo contractus Vienne cum imperatore Maximiliano, Mtis.

MDXX. sue avo, initos, et officia ultro citroque per tot annos vicissim prestita, tum istud ultimum nostrum in suffragando sue Majestati in electione imperiali prestitum singularis pietatis argumentum, qui non solum ei Christianissimum regem Francie, consanguineum nostrum et maxima nobis contra hostes fidei et ad tutelam regnorum nostrorum presidia pollicentem, nos quoque super his assecurantem, verum et nos ipsos et jus nostrum ab ipso quoque divo Maximiliano nobis oblatum et constitutum, postposuimus et negleximus in illius Mtis. favorem et charitatem, plurisque duximus amplitudinem atque incrementum illius Mtis. quam honoris et dignitatis nostre accessionem.

Item imprimis repetatur promissio facta tempore electionis imperialis per ipsos commissarios oratoribus nostris, ubi polliciti sunt, sese effecturos apud Catholicum regem, ut omnino dnam. Annam, sororem nostram matrimonio sibi copularet, petierunt tantummodo unius anni inducias, per quas Catholicus rex negotia et statum suum componeret. Qui annus est jam expletus. Repetatur etiam promissio ultimo facta oratoribus nostris et Sermi. regis Polonie, quibus responsum est, Catholicum regem, quoad Germaniam accedat, non posse sine suarum rerum dispendio cum dna. Anna matrimonium promulgare, ubi autem in Germaniam veniet, se pro certo et explorato habere, illam Mtem. nullam aliam preter dnam. sororem nostram sibi connubiali nexu devincturam.

Demum explicetis, quantum roboris ac firmitatis sit ex hoc matrimonio Catholico regi accessurum, his nostris potentissimis ac bellicosissimis regnis Hungarie, Bohemie ac Polonie ad auspicia et conatus Mtis. sue opem ac presidium afferentibus sive contra hostem christiane reipublice, ut speratur et ut jam per universam Europam fama est promulgata, sit arma moturus, sive aliquid Mti. sue contingeret, unde cum aliquibus christiani nominis principibus bello contendere oporteret.

Addatur etiam expectatio successionis et que regna ac provincie hereditarie jure successionis post nos ad Sermam. dnam. sororem nostram pertineant. His denique atque aliis rationibus, quas prudentie oratorum explicandas reliquimus, declaratis, ita res cum commissariis transigatis, ut ipsi sicut polliciti sunt et tenentur, hoc negotium matrimoniale in persona Catholici regis Caroli absolvant et conficiant. Matrimonio autem inter Sermum. regem Carolum et sororem nostram in tuto collocato, tunc diligenter oratores nostri una cum oratore Sermi. regis Polonie tractent, et omnibus viribus laborent, ut primogenita ejus Sermi. patrui nostri nuptui tradatur Sermo. principi Ferdinando, ita ut inter eos matrimonium pro majori utriusque domus conjunctione et unione constituatur.

Si vero nulla via ac ratione fieri poterit, ut soror nostra Catholico regi nubat, illud extremum erit, ut cum Sermo. principe Ferdinando nexus matrimonialis firmetur et corroboretur, in quo nullum dubium posse accidere arbitramur, tum quia in conventu viennensi strictissime cavetur, ut alter eorum dnam. Annam, sororem nostram, ducat, tum quia ante annum a viennensi conventu preteritum, mgcus. dnus. Cyprianus de Serenthayn, cancellarius imperii, habens plenum ac sufficiens mandatum cum sorore nostra ultro citroque per verba de presenti, nomine procuratorio matrimonium sanxit. Insuper domini commissarii oratoribus proxime missis respondendo optionem dederunt, ut vel expectaremus adventum Caroli in Germaniam, vel extunc in persona Ferdinandi firmaretur ac corroboraretur matrimonium,

trimonium, ad quod affirmaverunt, se nomine principis Ferdinandi et regis Catholici ac do- MDXX.
mine Margarethe, utriusque avite, habere plenissimum specialissimumque mandatum.

Erit autem in hoc casu diligenter videndum, quonam dominio ac principatu dominus Ferdinandus sit potiturus, ne soror nostra principi, carenti principatu, cogatur nubere, quum affirmaverint ipsi commissarii oratoribus nostris postremo missis, quidquid in Germania hereditarium ad dominium Austrie spectat, id totum cessurum in jus et potestatem dni. Ferdinandi.

Preterea quoniam quidquid pertinet ad dominium Austrie majori ex parte per cesarem Maximilianum et etiam alios predecessores duces Austrie est sub pignore et hipoteca aliis atque aliis obligatum, opus erit ita tractare et concludere, ut bona ac dominia illa oppignorata per Catholicum regem eliberentur ex creditorum manibus et ita libera pleno jure et sine ullo gravamine deveniant ad dni. Ferdinandi jus et arbitrium.

Postremo erit agendum de assecuratione dotis contradotis sive donationis propter nuptias et castra civitates ac dominia, que sunt libera et nulli debito obnoxia constituere, ex quibus sint certi ac securi proventus se extendentes singulis annis ad summam viginti quinque milium ducatorum, que consignentur simulatque deducta erit in matrimonium soror nostra dna. Anna in ipsius jure ac potestate, ita ut de officialibus in his bonis constituendis plene ac pro arbitrio moderandis, eosque proventus ad usus proprios ut libuerit convertendos omnimodam habeat potestatem.

Si commissarii petierint et voluerint, ut oratores regii proficiscantur usque ad Carolum regem et cum illa Mte. hec eadem pertractent, omnino volumus eos ire, ita tamen, ut videantur ire ad congratulandum de felici Caroli regis adventu, reliqua vero prudenter et pro dignitate nostra tractent.

Si vero ipsi commissarii nomine regis Caroli, vel ipse rex Carolus promitteret quidem Illmam. dnam. Annam. nuptum iri ipsi Carolo, tamen peterent ulteriores inducias unius ann^{i} aut plurium et hoc tempore solum sponsalia per verba de futuro contrahere velint, differendo tam contractum per verba de presenti, quam ejus exequutionem in tempus futurum. Si aliter non potest fieri, ea quoque conditio admittatur, ita tamen ut vicissim ipsi oratores nostri dominam Mariam quocunque quesito colore repetant huc ad regnum atque in potestatem nostram, quoad celerius fieri potest, deducatur.

Sed si ita demum rex Carolus vel ejus commissarii velint accedere ad hoc firmandum matrimonium, ut vicissim nos dnam. Mariam eodem modo et eodem tempore in legitimam uxorem accipiamus eaque ad hoc regnum deducatur, ad hec omnia consentiant et ita concludant.

Si autem dicat rex Carolus, nondum se liberum et immunem a matrimonio gallico esse, nec dispensationem contrahendi cum alia a summo pontifice adhuc impetrasse juxta fedus inter principes Vienne initum et priusquam ad aliquem nexum vel matrimonii, vel etiam sponsalium deveniatur, id sibi temporis spatium dari postulet, quoad apud sedem apostolicam opportunam dispensationem assequatur, nostri oratores ostendant et declarent sponsalia illa gallica, etate prohibente, fuisse et esse nulla propter defectum consensus. Ideo non esse opus dispensatione, demum in hoc casu hanc dilationem ut frivolam et inanem diluant et rejiciant.

Si

MDXX. Si vero ipse Carolus rex causetur matrimonium contractum inter dominum Ferdinandum, ejus fratrem, et dnam. Annam impedire, quominus dnam. Annam in legitimam conjugem ducere possit, affirmant eum commissarii et res omnino ita se habet, quod dnus. Cyprianus de Serenthayn, cancellarius imperii, habens ad hoc (ut asserunt) sufficiens et plenum mandatum, nomine procuratorio superiori triennio in Insbrvg cum dna. Anna per verba de presenti contraxerit et domina vicissim per eadem verba, mediante ipso domino cancellario, cum principe Ferdinando, quo quidem tempore uterque agebat ad nexum matrimonialem etatem legitimam; huic difficultati unum erit remedium, ut etiam rex Carolus contrahat per verba de presenti et mox per copulam carnalem matrimonium confirmet. Sequuta enim ejusmodi matrimonii consummatione, facile erit postea regi Carolo a summo pontifice dispensationem obtinere.

Et quoniam non minus cupimus honori et dignitati Sermi. regis Polonie, patrui nostri charissimi, quam nostris propriis consulere, idcirco volumus: vos unacum oratore sue Mtis. diligenter et accurate agere, ut matrimonium cum rege Carolo et sorore nostra, dna. Anna, stabilito, Sermus. princeps Ferdinandus filiam primogenitam ejusdem Sermi. patrui nostri sibi despondeat et nexu matrimoniali devinciat.

Si vero omni spe de Carolo sublata ad dnum. Ferdinandum veniendum erit, qui tamen ita se offerret ad dnam. Annam in legitimam uxorem accipiendam, tempus quoque et locum ad solennia nuptialia peragenda prefigendum, si hec eadem vicissim fierent in persona nostra, et exigant, ut oratores nostri eodem modo firmarent contractum matrimonii cum domina Maria inceptum et prefigerent locum et tempus ad eam deducendam et in conjugem consumendam, hoc casu placet nobis, ut eadem pro dna. Maria suscipiant, que in persona dne. Anne erunt conclusa.

Sed si cum dno. Ferdinando sit facultas hujus conjugii perficiendi, sed status ipsius domini Ferdinandi sit adhuc dubius et incertus: licet enim commissarii oratoribus nostris ultimo missis responderint, quidquid spectat ad domum Austrie cessurum in jus ac ditionem domini Ferdinandi, tamen id non ex certa scientia, sed potius ex tractatibus dubiis visi sunt affirmare, cum asseruerint eam concordiam inter fratres per dnam. Margaretham, eorum avitam, fuisse interpositam, et hoc adhuc ex futuro eventu pendet, hoc casu omni industria studioque laborent, ut status dni. Ferdinandi sit quam amplissimus; sed tamen qualemcunque statum sit habiturus omnino cum eo matrimonium firment.

Videtur autem difficultas de assecuratione dotis et de contradote vel donatione propter nuptias. In contractu enim viennensi licet nos, quoad dnam. Mariam arctissime simus obligati, tamen ex parte regis Caroli vel dni. Ferdinandi nihil cavetur, sed duntaxat cesar Maximilianus affirmet, se effecturum, ut si alter nepotum suorum ducat uxorem dnam. Annam, rex Hispanie, qui superiori triennio est defunctus, assecuret eam de dote restituenda et de contradote ac donatione propter nuptias. In hac igitur assecuratione dotis agant nostri oratores, ut in dominiis liberis et nulli obligatis et quantum fieri potest propinquioribus, fiat dotis ac contradotis assecuratio. Et ita status Serme. sororis nostre constituatur, ut ad minus habeat singulis annis de annuis proventibus in numerata pecunia summam

mam viginti quinque milium flor. hungaricalium, sicuti nos in regno nostro Hungarie juxta MDXX.
contractum viennensem dominam Mariam assecuravimus.

Sed si dnus. Ferdinandus velit quidem cum dna. Anna firmare contractum matrimonialem, sed ad aliquod tempus et forte longissimum reliqua differe hoc est solennia nuptialia et matrimonii consummationem, illa quoque conditio, si necesse fuerit, accipiatur, ita tamen. ut dna. Maria ad regnum nostrum in nostramque potestatem adducatur, denique in omni casu et eventu hoc efficiant nostri oratores, ut dna. Maria mittatur ad hoc regnum et sit in nostra potestate; hac enim sola ratione possumus omnes difficultates evadere et honori ac securitati nostre ac Serme. sororis nostre plenius consulere.

Si vero, quod fieri vix credimus, oratores nostri utrinque rejiciantur, quod et Carolus ducat Gallam et Ferdinandus Portugalam, nostri oratores de injuria protestentur et convenientes minas adjiciant.

Si autem preter hec superius explicata aliquod tale exoriatur dubium, de quo nulla sit particulatim data instructio, fidei oratorum nostrorum ac industrie et tractanda et concludenda committimus, damusque eis plenissimam facultatem agendi, tractandi et faciendi prout eis melius et aptius videbitur.

CCCXIX. Georgius, Epus. Quinqueecclesiensis, Sigismundo, Regi Polonie.

Post debitam servitutis mee perpetuam commendationem. Votis omnibus ab opt. maximo- Cod. G. R.
que Deo fuerat optandum, ut Mtas. vra. vel huic bello pruthenico non fuisset per rebellionem suorum, quos minime decuit, implicata, vel maturius speratam victoriam reportasset: sic enim charissimum filium ac nepotem, dominum meum gratiosissimum, gremio ac complexu tamdiu sepeque exoptato tandem suscepisset et alter alterius fructus quam uberrimos ex mutuo congressu suavissimisque colloquiis revocasset. Licet tamen res in dies felicius Mti. vre. in hac pruthenica expeditione succedere intelligamus, non possum tamen non egre ferre, illud idem esse in causa, quominus justissima sanguinis pietatisque pignora in unum conveniant. Sed cum id jucundissimum omnibus nobis utriusque Mtis. servulis nescio, quo sinistro fatu, sit sublatum, non pretermisit tamen Mtas. vra. optimi patris officium explere, que cum per sese dulcissimum nepotem visere non potuerit, mgcum. dnum. Andream, palatinum lublinensem, vices et personam ejusdem subiturum huc misit, virum singulari fide, prudentia ac rerum maximarum usu ac pertractione ita preditum, ut nulli in eo laudis genere secundus esse videatur, qui non minus usui quam jucunditati huic Mti. universoque regno existit. Non enim solum accersitus ac advocatus et sapientissime consulit et sagacissime etiam longe postea ventura speculatur, sed ultro et sponte ex altissima ingenii perspicacitate ea excogitat et in medium profert, que non minus regiam Mtem. quam nos omnes summa afficiunt voluptate et admiratione, adeo ut ex ipsius presentia et diligenti constantique in rebus agendis et consulendis maturitate pleraque hujus regni negotia vel jam feliciter sint peracta vel brevi optatum finem habitura censean-

MDXX. tur. Hec autem pro mea in Mtem. vram. observantia et propensione ideo scribenda suscepi, ut appareret, eandem sapientissime consuluisse, que hunc ipsum dnum. palatinum ad res tantas tractandas ac componendas transmiserit et ut viro tanta prudentia ac industria predito debitum fidei ac solertie testimonium prebeam. Quod reliquum est, deus opt. max. Mtem. vestram Sermam. in omni rerum suarum successu prosperrimo diutissime sanam et incolumem conservare dignetur. In cujus gratiam me et servitia mea iterum atque iterum commendo. Ex Posonio in festo S. Laurentii.

CCCXX. Sigismundus, Rex Polonie, Hieronymo Laski, Oratori.

Cod. G. R. Generose, fidelis dilecte. Miramur vehementer et molesto animo ferimus, quod in tantis rerum nostrarum momentis nos de his, que istic aguntur, negligis certiores facere. Scribit nobis cesarea Mtas. strictim referens se ad literas tuas, que tamen breviores sunt illius literisque penitus nihil eorum continent, que nos scire oporteat. Scripsisti nobis prius de gentibus, quas inimici nostri adversum nos istic coëgerunt, non tamen curasti, intelligens hanc difficultatem, agere, ut oratores cesarea Mtas., quos mittere destinaverat, misisset, aut eas gentes pro officio suo continuisset, et cum postulasset a nobis illius Mtas., ut arma nunc deponeremus, non excusaveris, nos id facere non posse, cum magister in armis esset, nisi ille quoque ea deponeret, de qua re nihil est cum illo per illius Mtem. actum. Quare hortamur te, ut diligentius nos de omnibus edoceri cures, et quamvis homines isti ex Germania jam sunt prope fines nostros bellumque jam nobis indixerunt et nos intrepidi cum subditis nostris egressi sumus contra illos; tamen quia mallemus abstinere a profusione sanguinis christiani et vires istas contra infideles, qui assidue magis invalescunt convertere, volumus, ut agas secretius cum oratoribus Sermi. nepotis nostri, quo illi nomine regis sui agant, ut Mtas. cesarea mittat huc oratores suos, qui ei paci et concordie studerent, que nobis et honesta esset et minus noxia, habeasque super hac materia et aliis rebus intelligentiam cum rev. Jeronimo Balbo, preposito posoniensi, et ejus instructione in omnibus utare, quem pro illius erga nos fide et singulari prudentia, non ambigimus, ita consulturum et acturum omnia, ut recte et ex dignitate nostra sint successura. De expensis autem tuis commisimus Joanni Boner, ut ille istic per Fucaros tibi provideri faciat, nihilque dubitamus, illum ita, ut jussimus, facturum. (Dat. apud Wongrowiec in castris. R.)

CCCXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Oratoribus Ludovici, Regis etc., apud Carolum, Cesarem.

Cod. G. R. Spectabiles et rev. nobis sincere dilecti. Cum intelleximus vestras Stes. esse istic apud cesaream Mtem., quarum fidem et studium erga nos compertum habemus, commisimus nuncio

cio nostro, generoso Jaroslao de Lasko, istic existenti, ut rationes et negotia nostra cum illis communicaret, et nonnulla per earum medium ageret, que ad pacem et bonum statum nostrum et rei christiane pertinerent. Nos enim utcunque magnis copiis ex Germania et jam prope fines nostros existentibus et nobis bellum indicentibus impetimur, et simus parati nos e diverso tueri, nihilque omnino vereamur, tamen horrentes a tanta cede populi christiani et satius ducentes, eas vires contra Infideles converti, mallemus pacem et concordiam, modo inhonesta et noxia non sit, amplecti. Quare et fidem ipsi nuncio prestare velint Stes. vestre et se ita exhibeant agantque, ut nos de illis confidimus, quod eis omni favore et gratia nostra regia referre pollicemur. Datum ... MDXX.

CCCXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V., Cesari Catholico.

Serme. Exposcentibus negotiis Sermi. principis dni. Ludovici etc., presertim que ad matrimonium Illme. sororis sue dne. Anne pertinent, mittit illius Mtas. oratores suos ad vram. Celsitudinem. Que quidem negotia quia nos cum illius Mte. communia habemus et de illis eque sumus ac esse debemus solliciti, commisimus nuncio nostro, generoso Jaroslao Laski, structori mense nostre, quem ad Mtem. vram. jam pridem misimus, ut simul cum ipsis Sermi. nepotis nostri oratoribus obeat eadem negotia nostro nomine apud Mtem. vestram. Quam plurimum rogamus, ut et fidem illi prestare et se in iisdem negotiis ita exhibere dignetur, quemadmodum amor et conjunctio nostra mutua ac etiam excelsa virtus Mtis. vre. nostraque de illa existimatio requirit, quod nos ambo eidem Mti. vre. cum regnis et dominiis nostris omni benivolentia et studio referre curabimus. Que felicissime valeat et nos diligat. Datum. — Cod. G. R.

CCCXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie, etc.

Serme. princeps etc. Accepimus literas vre. Mtis., qnibus nos certiores faciens de expeditione oratorum suorum ad commissarios ces. Mtis. in negotio matrimonii Serme. dne. Anne, sororis sue et nepotis nostre charissime, postulat a nobis, ut nos pariter nostros mittamus, quandoquidem negotium ipsum ad communem nostram et Serme. familie nostre dignitatem pertinere videtur. Nos non pridem significavimus Mti. vre. per Andream de Tanczin, quem ad illam misimus, quod cum egisset hic nobiscum illius orator, rev. dnus. eps. jauriensis, de ipsis oratoribus mittendis, nos e vestigio nostrum designasse et jam illum in procinctu fuisse; verum accepto nuncio de adventu ces. Mtis. in Germaniam, nos oratorem ipsum retinuisse, quod putavimus mutandam omnem rationem ejus actionis et cum ipsa cesarea Mte. potius, quam cum ejus commissariis rem tractandam, quos non dubitamus vel esse jam apud eandem Mtem. vel in eam totum id negotium rejecturos, in qua etiam-

num Cod. G. R.

MDXX. num sumus sententia. Verum utcunque facto opus videbitur, Mtas. vra. ex suis oratoribus brevi intelligere poterit et nos deinde super his, et quid nos facere opportunum arbitrabitur, edocere dignetur, et nos tam pro eo, quo nobis omnia cum Mte. vra. communia putamus, quam etiam, quod id negotium dicte Serme. dne. Anne non minus nostrum quam Mtis. vre. officium requirere videtur, nihil reliquum faciemus, quod id ipsum negotium recte et ex dignitate nostra conficiatur. Ceterum significamus Mti. vre., milites nostros, quos in Russie finibus habemus, duo milia hostium Turcorum et Tartarorum nuper fudisse. Bellum etiam hoc pruthenicum recte gratia Dei succedit, quo tamen adhuc dominus magister, licet jam in summa angustia rerum constitutus, emolliri nequit, quin perstet in hostilitate et pertinacia sua, que quantum illi proderit, exitus declarabit. Nos Mti. vre. ex animo commendamus. Que sit felix et incolumis.

CCCXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Andree de Tanczin, Palatino.

Cod. G. Mgce. s. n. dilecte. Commendamus istic in omnibus actiones Stis. tue et processum in negotiis sibi commissis. Rescribimus Sermo. dno. nepoti nostro, commissuros nos negotium Illme. sororis sue nostro nuncio, generoso Jaroslao Laski, quem non pridem ad cesaream Mtem. sola rerum pruthenicarum causa misimus, nihil adhuc scientes de adventu ipsius cesaris ad Germaniam; non dubitavimus enim adversarios nostros multa coram illius Mte. de nobis commenta et querimonias facturos. Scribimus etiam ipsi Sermo. nepoti nostro sententiam nostram de rebus bohemicis et quam libenter videremus, ut illi regnicole amplius non tumultuarentur propter multa mala, que inde sequi possunt, utque si in sententia perstabunt, eorum desideriis satisfiat et quamvis ipsi intelligimus parum necessariam et utilem futuram Mti. sue ipsam profectionem, tamen ut motus isti sedarentur, qui etiam adversus nos ob id esse feruntur, putamus utilius esse petitionibus illorum subditorum acquiescere. Qua in re et in omnibus aliis Stas. tua illius Mti. aderit tam diu, donec ipsa volet et expedire sibi putabit. Et nos commisimus Joanni Boner, ut eandem Stem. tuam impensis provideat. Quod autem querit Stas. tua, qualiter se gerere debeat adversus Illrem. dominum marchionem Georgium, et queritur de defectu instructionis, nos divinare non possumus, quid aliquis cum illa loqui debeat, vel quid illi faciendum ex accidentibus foret, et proinde in talibus industria oratoris plus valet quam instructio. Verum quod ad ipsum dominum marchionum attinet, qualiter illum Stas. tua erga nos et erga se istic gerere cognoscit, ita vicissim se erga illum gerat. Noluimus vero, ut suadet Stas. tua, scribere literas dno. Burnemisse, quod non opus putavimus nobis fautores aucupare apud Sermum. dnum. nepotem nostrum, sed cum illius Mte. sola agere volumus de rebus et necessitatibus nostris, nec illam nos obaudituram confidimus, itidem ut nos illius Mtis. votis in omnibus satisfacere solemus, nec ad dnos. Ungarie censuimus scribendum de eorum dissensionibus et ut curam regis sui haberent, cum non conveniat amplitudini nostre ingerere nos et curare dissensiones privatas hominum, quinimo mallemus, ut Serenissimus

nissimus nepos noster illorum potissimum consiliis pareret et eos sequeretur, qui culmina MDXX.
sunt regni sui et quorum fides diu explorata est beneficio parentis sui, Sermi. fratris nostri, quam illorum, quorum privata ac infima est auctoritas. Itaque Stas. tua quantum conveniat in aliena Republica sollicitam esse, ipsa agat nomine nostro de tollendis ipsis dissensionibus, et ut illi non parvi fiant, qui summi sunt, et beneficiis domus nostre devincti. Postremo referet Stas. tua, belli nostri conditionem cum magistro Prussie eandem esse quam paulo ante illius Mti. et tue Sti. descripsimus, qui non solum ad equam concordiam accedere non vult, sed etiam bellum magis incendere curat colligendo vires et suppetias undique, omnia tentando, que infestissimus hostis excogitare potest. Et bene valeat tua Stas. Datum Thorunii.

CCCXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V. Cesari Catholico.

Serme. Intelliget vra. Mtas. ex hoc oratore Sermi. dni. Ludovici, Hungarie et Bohemie re- Cod. G. R.
gis, rev. Jeronymo Balbo, preposito posoniensi, ingens et subitum discrimen, in quo regnum Hungarie sit constitutum, quo succumbente, quod omen dnus. Deus. avertat, quia calamitas hec non ad vicina solum regna et dominia, sed ad universam rem christianam haud dubie pernamaret, Nosque ita futurum plane providentes, ni ocissime tanto impendenti malo consulatur, commisimus eidem oratori Sermi. domini nepotis nostri pariter et nostro nomine cum vestra Mte. de subveniendo ipsi regno Hungarie ac toti Christianitati conferre, rogamusque plurimum Mtem. vram., ut et fidem illi adhibere et se ita comparare dignetur, ut conjunctio nostra mutua et ingens commune periculum rei christiane requiret. Factura Mtas. vra. officium tam se dignum quam unquam alias magis necessarium et salutare. Que felicissime valeat et nos diligat.

CCCXXVI. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Leoni, Bohemo, subdito suo.

Mgce. etc. Heri accepimus literas nomine omnium statuum regni nostri Bohemie ad nos Cod. G. R.
datas, quibus nobis supplicant, ut ipsis significaremus, quo die sit futurus exitus noster in Bohemiam, in quibus etiam pleraque continentur, que omnia plane intelleximus. Scire itaque te volùmus, et nostrum propositum et dominorum Hungarorum consilium semper fuisse et esse, ut ad istud regnum nostrum Bohemie proficiscamur. Et propterea nullam aliam ob causam huc Posonium venimus, quam ut ingrediamur, licet presentia nostra etiam in hoc regno nostro Hungarie fuerit et sit satis necessaria. Quam ob rem non possumus non mirari, ipsos status dilationem nostri introitus dnis. Hungaris imputasse et taliter de ipsis scripsisse. Utcunque tamen sit, libentissime vidissemus, si oratores suos prefati status cum pleno mandato, ut optabamus, huc ad nos misissent. Tamen, undecunque moti, non

 miserunt.

MDXX. miserunt. Statuimus nos ad eos mittere nostros oratores, non in alium finem, nisi ut ea cum ipsis pertractent, que ad honestum et celerem introitum nostrum pertinebunt, ut et nos pro dignitate nostra regia et pro honore totius regni nostri Bohemie, ita ut regem coronatum et dnum. eorum hereditarium decet, ingredi possimus et ipsi quoque, ut bonos et fideles nostros decet, nos suscipere cum debita reverentia valeant. Quoniam autem hujusmodi tractatus per oratores non poterunt nisi in publico conventu fieri, statuimus ad festum b. Bartholomei, apostoli, proxime futurum, in arce nostra pragensi, loco scilicet solii et sedis nostre regie, conventum generalem omnibus statibus indicere et hoc propterea in tam brevi termino, ne introitus noster plus justo differatur. Quare Ftem. tuam hortamur et eidem harum serie firmiter mandamus: quatinus statim, visis presentibus, ad predictum festum b. Bartholomei ad ipsam arcem nostram pragensem nomine et auctoritate nostra regia omnes status ipsius regni nostri Bohemie convocari facias, ad quem diem oratores quoque nostri istic aderunt, qui et ea, que premisimus tractabunt et qui omnem voluntatem nostram ipsi apertius coram explicabunt. Ceterum scripseramus vobis de oratore istinc ad commissarios Sermi. regis Romanorum mittendo in causa sororis nostre charissime, cujus missionem ipsi omnes status videntur rejecisse ad illud tempus, quo in Bohemia constituemur, cum etiam ad coronationem prefati Sermi. regis Romanorum, fratris et sororii nostri charissimi, pro juribus et statibus istius regni nostri Bohemie nomine nostro, ut regis Bohemie, orator sit mittendus, hanc dilationem nos libenter admitteremus, si vel res vel tempus paterentur, sed celeritate opus est, nam nunc est opportunitas tractandi et conficiendi negotium ipsius sororis nostre charissime, dum scilicet rex Carolus ipse Romanorum in Germanie partibus agit. Preterea conoratio ipsius prima futura est ad festum divi Michaelis archangeli proxime venturum, id quod ex literarum ipsius Romanorum regis ad nos missarum exemplo presentibus incluso cognosces, si itaque cito et preter moram non expediatur orator istic noster, pervenire ad coronationem non poterit neque etiam ad tractatus, qui cum commissariis ejusdem ante coronationem de causa sororis nostre charissime sunt habendi et hoc pacto per hanc moram et juribus istius regni nostri Bohemie posset multum derogari et negotium sororis quoque nostre impediri. Hortamur itaque te: des operam et cures quam diligentissime, ut missio oratoris ex Bohemia non differatur. Oratores enim nostri Hungari, quos illuc deputavimus, jam expediti sunt et intra paucissimos dies iter arripient; quos mittimus ut rex Hungarie, nolumus enim, ut per illos juribus regni nostri Bohemie prejudicetur, sicuti nihil est prejudicatum, nec tum cum hujusmodi affinitas tempore divi Maximiliani cesaris tractari cepta fuit, nec tum, cum Sermus. Carolus, Hispaniarum rex, in regem Romanorum suffragio nostro ut regis Bohemie fuit electus, ubique enim servata sunt jura regni Bohemie, que etiam posthac ubique volumus observari. Qui quidem orator Bohemus, si dominis Bohemis et aliis statibus videbitur, poterit unacum Ungaris oratoribus proficisci et res omnes nostras curare, sin minus, nihil nobis displicebit etiamsi solus et per se iverit nomine nostro ut regis Bohemie et intersit tam coronationi quam aliis tractatibus, tam cum cesare ipso, si opus erit, quam cum ejus commissariis habendis, modo aliquid non negligatur, quod in his pro jure istius regni nostri Bohemie fieri oporteat. Cures igitur quam primum expediendum bohemum oratorem et sine

mora

mora dimittendum cum tali instructione, que sit conveniens et dignitati autoritatique nostre regie et honori atque privilegiis ejusdem regni nostri Bohemie sufficienter inserviat; sed, ut plane vides, temporis angustia et brevitas hoc non patietur. Secus in premissis ne feceris et nobis de his omnibus rescribas. Datum Posonii in vigilia festi beati Laurentii martyris. MDXX.

CCCXXVII. Ludovicus, Hungarie et Bohemie Rex, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. rex, patrue noster charissime. Quum in hac etate nostra non satis adhuc matura neminem habeamus preter vram. Mtem., qui nos et res nostras curet, ex illa spe singulari, quam in sola Mte. vra. habemus, omnem statum rerum nostrarum et Bohemicarum et Ungaricarum eidem per mgcum. dominum Andream de Tanczin, palat lublinensem, ejusdem apud nos oratorem, declarandum duximus. — Nescimus profecto hene an ille pejus habeant. Hic in Hungaria neglecti sumus et ad turpem inopiam res nostre sunt redacte, huc accedit perpetuus hostium insultus et certe veremur, ne per hominum incuriam ac dissensionem, ne dicamus ignaviam, huic regno nostro extremum malum, quod deus avertat, eveniat. Bohemia discordiarum flammis tota succensa est, status omnes inter se digladiantur, non deest illic nec veneni nec pestilentie suspicio. Vocamur ab illis, et nisi venerimus, minantur sese Hungaris propediem non gratos hospites futuros, ut Mtas. vestra ex literarum bohemicarum proxime ad nos datarum exemplo presentibusque incluso perspiciet: quasi Hungari sint in causa, quod profecti ad eos hucusque non fuerimus, quin nihil aliud fuerit, quam quod hoc regnum inordinate relinquere et illud ingredi ob causas premissas tutum non fuit. Jam sumus Posonii a diebus quatuordecim et heri tantummodo accepimus literas ipsorum, quibus ad nostras responderunt. Responderunt autem nihil ad propositum; optabamus enim, ut oratores ad nos cum pleno mandato huc mitterent ad componendas differentias eorum, quo rebus pacatis et honestius et commodius ingrederemur et ut de securitate eorum, qui nobiscum apud eos futuri sunt, quique vel sequuntur nos, vel remittentur a nobis, iter tutum esse, tum propter hostes publicos, qui nobis et toti regno Hungarie diffidarunt, illic in Bohemia existentes, tum propter multa alia providerent, de quibus nulla est in eorum literis facta mentio. Hoc solum cupiunt, ut ingrediamur, et nisi usque ad festum S. Bartholomei illuc nos contulerimus, scribunt, sese coituros omnes et ad nos non gratos Hungaris hospites venturos. Quam ob rem indiximus eis conventum — nam ita nobis visum fuit — ad festum predictum S. Bartholomei, ad quem missuri sumus ad eos oratores nostros et tentabimus, si quid boni apud eos facere poterimus, eoque nitemur, ut vel oratores huc mittant cum pleno mandato, vel ita domi inter se concordent, ut nos et honestum et securum introitum, et unde nobis vivendum sit habere possimus. — Nam ita sunt omnes proventus nostri, ita omnia bona illic nostra oppignorata, ut nihil nobis relictum videatur. Tentabimus itaque hanc quoque viam si convenient; si nihil efficere hoc pacto poterimus, aliter tandem nobis erit cogitandum. Cod. G. R.

Hec

MDXX. Hec est, Serme. rex, patrue charissime, in presens ratio rerum nostrarum, de quibus prefatus dnus. Andreas, palatinus, Mti. vre. scribere apertius poterit. Rogamus itaque magnopere Mtem. vram.: velit nobis in hac rerum nostrarum angustia et necessitate consulere, quid facto sit opus et curare, prout in Mte. vra. plurimum confidimus, ne vel hic et vel illic, neve utrobique aliquid detrimenti patiamur. Deus Mtem. vram. incolumem ad plurimos annos conservet quam felicissime. Datum Posonii fer. III. prox. ante fest. beati Laurentii martyris.

CCCXXVIII. Ludovicus, Rex Hungarie etc. Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. R Serme. princeps et dne. patrue etc. Obsignatis aliis literis nostris, quas ad Mtem. vestram una cum presentibus dedimus, pro mittendo quopiam oratore ad transigendum negotium sororis nostre charissime apud commissarios Sermi. et Catholici regis Romanorum, egimus cum mgco. dno. Andrea de Tanczin, Mtis. vre. oratore apud nos, de ratione missionis hujusmodi oratoris in Germaniam. Et visum nobis est, tum quia res celeritatem desiderat, tum ut etiam sumptibus Mtis. vre., quos pro nobis maximos solet effundere, parceremus, ut provincia agendi et tractandi res matrimoniales ex parte Mtis. vre., vel apud commissarios, vel apud ipsum Romanorum regem illi potius oratori, quem nuper Mtas. vestra in Germaniam misit committeretur, quam ut alium quempiam iterum illuc mitteret; citius enim, ut nos arbitramur, hoc fieret, et forte etiam cum minori expensa. Qui quidem orator jam missus etiamsi absolveretur apud cesarem, prius quam nostri vel ad commissarios vel ad cesarem pervenirent, posset ille retrocedere et dicere, ubi opus foret, commissione Mtis. vre. id factum esse. Nam veremur, si Mtas. vra. alium miserit, vix poterit tempestive illuc se conferre; nostri enim habito tractatu cum commissariis de re matrimoniali, etiam ad cesaris coronationem pro festo divi Michaelis futuram, sive rem perficiant sive non, proficisci debebunt, ut congratulentur bonis successibus sue Mtis. et intersint coronationi, et si opus erit, ut si quid apud commissarios imperfectum relinquetur, id apud cesarem, prout ratio rerum postulabit, per eosdem transigatur. Quibus in rebus, quo ad oratorem Mtis. vre., licet nobis hoc agendum videatur, arbitrio tamen Mtis. vestre singula relinquimus, que pro sua altissima prudentia melius novit, quid facto sit opus et quid sibi pro dignitate sua facere conveniat. Quam nos felicissime valere et triumphare optamus. Datum Posonii in vigilia beati Laurentii, martiris.

CCCXXIX. Andreas Critius, Pptus. Posnaniensis, Chrisostomo Neapolitano, Canonico.

Cod. G. Salvus sis, Chrisostome mi, salvum et sospitem te esse ex corde desidero. Nicolaus Maria, prefectus coquine Serme. domine nostre regine, literas mihi a te attulit, quibus vereri te scribis,

scribis, ne, quas ante hac ad me dedisti, non essent reddite, quod tanto tempore nihil me- MDXX.
arum habueris. Hanc suspicionem paucis tibi dempsero. Redditas quidem mihi, ut arbitror, omnes tuas literas et presertim illas, quas de nata regi nostro filia scripseras, que illius Mti. et nobis omnibus summe fuerunt voluptati. Verum me singulis non respondisse id in causa fuit, quod unis scripseras, te ad sacerdotium quoddam tuum semotum concessurum et inibi vitam aliquamdiu ducturum, quo dubitavi, meas literas tuto perferri posse; preterea nobis hac tempestate longe a Cracovia degentibus, unde solent nuncii ad vos mitti, haud facile constare potest, quo aliquis eo est profecturus. Hac itaque causa, non oblivione tui, nec ulla incuria factum est, quod tamdiu Pithagoram tecum egerim. Nunc, mi Chrisostome, quod tibi cum summo gaudio scribo, nunc inquam, quum minus a nobis superi votis et precibus fatigabantur, quum tui astrologi et reliqui divinaculi mussabant asserebantque nonnulli, regem perpetua prole virili cariturum, natus est nobis tandem filius, puer perquam scitus et vere regius, docuitque satis, non sideribus aut hisce aliis neniis pueros fieri, sed patrum opera et munere divum. Et nisi isti boni viri suis predictionibus superos nobis infestos fecissent, qui haud dubie indigno animo ferre debent, credi a secretis suis homines pluma leviores, jampridem, ut puto, puerum hunc optatissimum habuissemus. Utcunque est, agimus hic immortali deo gratias immensas, tantaque est omnium exultatio, ut major esse non possit, si de universis hostibus nostris una insignis victoria nobis cessisset. Inter eos vero, quorum major ovatio letitiaque fuit, eramus nos, mi Chrisostome, Serme. dne. nostre ab initio, ut nosti, dediti et addicti, non ejus solum sed communis utilitatis causa, sed etiam, quod data nobis spes est, Illmam. dnam. ducem et te tandem videndi. Non enim dubito, quin quod regi pollicitus sis prestabis, venturum te videlicet, etiamsi medio in sepulchro esses, uti natum illi filium acciperes. Quare videris, ut et fidei tue et desiderio nostro satisfacias. Agimus autem in presens, mi Chrisostome, bellum atrox, quod tibi olim predixeram, cum magistro Prussie, tragediam vel illa trojana funestiorem, qua tamen insolens ille non permovetur, sed una pertinacia se et suos it preditum. Egit apud Mtem. regiam tam summus pontifex quam dnus. Hungarie et Bohemie rex ac etiam principes Germanie per insignes oratores suos, ut bellum hoc interciperent; venerat demum et ipse magister supplex quidem, sed recusante illo subjectionem facere, quam regno nostro debet, discessum est rebus omnibus infectis. Nunc iterum cesar oratores suos mittere dicitur gratia tractande pacis, magister vero satagit decretis sibi in Germania suppetiis, et novo delectu facto, ut se armis tueatur. Quorsum res inclinabit, incertum est adhuc; verum ditio hec illius jam majori ex parte ferro et igni adeo vastata est, ut nobis ipsis dolori sit et commiserationi. Mi Chrisostome! dominus meus Rmus. hisce diebus provectus est regia benignitate ad episcopatum posnaniensem multo amplissimum. Ego vero et nunc et paulo ante auctus sum tribus insignibus et opimis sacerdotiis, accedente mihi non vulgari patrocinio Serme. dne. nostre regine. Quare te etiam atque etiam rogo, ne graveris ad nos tandem venire, habebis hic nos, qui et summe cupimus et commodius jam quam antea possumus nostrum in te amorem testari. Vale felicissime et nostri memor.

CCCXXX. SIGISM.

CCCXXX. Sigismundus, Rex Polonie, Luce de Gorka, Castellano etc. Capitaneo Majoris Polonie generali.

MDXX. Cod. G. R.

Mgce. sincere nobis dilecte. Intelleximus, que nobis Stas. tua scripsit de copiis militaribus, que parari deberent magistro Prussie adversum nos, miramur vero, quod per tantum tempus, quo semper isti homines adventare dicuntur, nihil unquam certi cognoscere possumus, sed et varie varii de illis referunt. Itaque volumus, ut Stas. tua mittat aliquem hominem discretum et solertem in Germaniam, qui omnia sufficienter explorare possit, et qui non solum ex auditu, sed visu etiam suo nos facere possit certiores tam de lanceariis, quam aliis hominibus, qui congregari deberent, nos vero impensam pro ipso exploratore, prout de aliis fecimus, resarciemus. Ad dnum. Joachimum, marchionem brandeburgensem, non visum fuit nuncium mittere pariter et ad regem Danie, sed utrique literis declaravimus causas, quare bellum cum magistro sumus orsi. Bene valeat Stas. tua.

CCCXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Friderico, Duci Legnicensi et Brigensi, Capitaneo Silesie.

Cod. G. R.

Illme. princeps et dne. affinis noster charissime. Accepimus post discessum hinc vre. Illtis., non parvum numerum hominum congregatum esse in Germania, qui in subsidium dno. magistro Prussie venire deberent. Quum vero infecta concordia vra. Illtas. cum aliis oratoribus discessit, non culpa nostra, ut novit, nam nos plus satis ex nobis prebuimus, postulamus ab Illte. vra., ut juxta commissionem Sermi. dni. Ludovici, regis, provisionem faciat in capitaneatu suo, ut homines sint parati ad resistendum et prohibendum iter gentibus, adversum nos transeuntibus et in ea re habeat mutuum consilium et intelligentiam cum Illri. dno. Casimiro, duce Teschnensi et advocato Lusatie, nobisque declaret, qui erunt propensi ad hanc necessitatem nostram et qui non; ut et nos et Sermus. dnus. rex Ludovicus sciamus, in quo plane confidere deberemus. Faciet Illtas. vestra rem virtute sua et affinitate nostra dignam. Valeat feliciter.

CCCXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Georgio, Marchioni Brandeburgensi.

Cod. G. R.

Illme. princeps et dne. nepos noster charissime. Accepimus literas vre. Illtis., quibus nobis declarat, sibi istic a quibusdam impingi, quod earum difficultatum, que Illris. dnus. magister Prussie, nepos noster, nobis ingerit, et de hominibus ex Germania adversum nos condictis conscia et particeps esse deberet, referetque hec et alia pro excusatione sua in nostros

tros oratores, quos in electione imperiali habuimus, petens a nobis, ut his sinistris de se rumoribus et malivolorum declarationibus fidem non habeamus. Constat satis vre. Illti., quo amore et benivolentia sumus illam semper complexi, quo studio, quibus commendationibus honorem et statum ejus promovere consuevimus, quamque illi non obfuit favor et opera nostra, satis experiri potuit. Et fuimus semper ejus spei, quod nobis ab illa pari modo gratia referri debuit, verum edocti sumus cum fama, tum argumentis non vulgaribus, quod hec omnia, que toto isto tempore dnus. magister adversum nos molitus est, fuisse cum scientia, favore et consilio vestre Illtis. acta singula, cujus etiam servi coram multis longe ante predicebant, qui apparatus fierent contra nos in Germania et quibus malis et difficultatibus hoc anno obrui debuimus. Preterea vise sunt a consiliariis nostris litere precipuorum familiarium Illtis. vre. in detrimentum nostrum et confirmatione eorum omnium scripte, nec nos aliter nobis persuadere possumus, quam cum dnus. magister tanti non sit, ut nobis bellum inferre deberet, quod id, quidquid agit in spem Illtis. vestre et aliorum fratrum suorum agit, et ea fiducia tantum se adversus nos tantopere attollit. Utcunque est, nos hactenus nihil deterruit neque unquam deterrebit, quominus justitiam et dignitatem nostram tueri deberemus, neque nobis juvante deo hec omnia indigna contra nos molimina officient, ex quibus quantum commodi dno. magistro accedet, exitus declarabit. Feliciter valeat vra. Illtas. — MDXX.

CCCXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie. Luce de Gorka, Castellano etc.

Mgce. nobis sincere dilecte. — Cives nostri gedanenses, qui multos exploratores habent in Germania, retulerunt nobis hic ferme hec eadem de militibus lanceariis mare ingressis, que tua Stas. perscripsit. Hoc ipsum et Michael Spyssz nuper significavit; quum igitur ex variis locis comprobatur hec novitas, dubium non est, illam veram et certam esse. Verum explorator Gedanensium narrat, esse quinque milia eorundem lancearіorum, et non in Daniam, sed ad dominum magistrum recta contendere. Utcunque est, nos mare et loca ejus omnia, per que gentes penetrare adversum nos possent, provideri fecimus, et nihil negleximus eorum, que ad impediendum transitum illarum attinent, tua autem Stas. sit intenta et diligentem habeat custodiam, ut scire possit, si qui homines huc perrumpere vellent, nosque de omnibus, que ad nos pertinere arbitrabitur, tempestive reddat certiores. — Et bene valeat. Dat. Cod. G. R.

CCCXXXIV. Restes tertie ad Terras Prussie. Sigismundus, Rex Polonie.

Universis et singulis palatinis, castellanis etc. ceterisque subditis nostris terras nostras Prussie ubicunque incolentibus et presertim palatinatum culmensem et districtus ejusdem de jure et consuetudine etc. Cod. G. R.

Accepimus

MDXX. Accepimus et ex literis mgcorum. Nicolai de Dambrowicza, palatini sandomiriensis exercituum regni nostri supremi capitanei, et Joannis Zeratinski, copiarum bohemicarum prefecti, et ab exploratoribus nostris certissimis vel ex hoc magis non tantum intelligere, sed etiam manu tangere possumus: quod captivos nostros strictissima fide obligatos coram nobis sisti hostis noster non permisit, et ita ad nullas pacis concordieque conditiones, quibus hoc bellum dirimi et pax conservari posset, est accessurus, quinimo non tantum militem, quem apud se et castris dislocatum habet colligit, sed etiam rusticos cogit pugnam cum nostris initurus et ferro extremam fortunam experturus. Nos etsi novum militem suscepimus et scribimus ad firmandum exercitum nostrum, tamen, quia novi recentesque homines non possunt tam cito ad exercitum venire, opere pretium est, ut exercitum tot laboribus et vigiliis diuturnaque et continua in armis perseveratione fatigatum novis gentibus firmemus, nec aliud remedium presentius habemus, quam ut vos et quemlibet vrum. ex his terris nostris Prussie ad arma moveamus. Quare presentes literas in vim ultimarum restium mittimus, nam superiori tempore alias in vim ultimarum restium miseramus. Quibus vobis omnibus et singulis palatinatus culmensis mandamus, ut mox visis presentibus, nec expectatis aliis literis nostris, sub amissione bonorum vestrorum juxta facultatem eorundem bonorum vestrorum arma capiatis et quilibet vestrum capiat ad diemque beati Egidii confessoris proxime venturum apud civitatem nostram elbingensem cum palatino suo mgco. Joanne de Lusianis compareatis et se mgco. Stanislao de Koscielecz, palatino junivladislaviensi et capitaneo marienburgensi veluti harum terrarum Prussie campiductori omnium vrum. communi consensu electo et nominato presentetis, ac cum eodem ad exercitum magnum armati proficiscamini ea demum facturi prout ad bonos fidelesque subditos pertinet. Nos vero daturi sumus operam, ut novum militem expediamus et vos ex castris revocemus quantocius poterimus. Non enim delectamur, vos his incommoditatibus affici. Et ne quispiam vestrum de hac expeditione bellica aliquam ignorantiam pretendat, volumus, ut unus ad alium viciniorem presentes literas, cum eas perlegerit, transmittat, ultimus vero easdem palatino suo representet sub amissione bonorum vestrorum aliter facere non ausuri. Datum in civitate nostra Thorun feria V. post festum assumptionis S. Marie, domine nostre.

CCCXXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Palatinis Prussie.

Cod. G. R. Mgce. etc. Mittimus tue Sti. in manus literas restium, ex quibus abunde cognoscet, quid eam facere deceat et oporteat pro debito officii sui. Mandamus igitur ei, ut mox, visis presentibus, literas easdem restium absque omni mora per palatinatum suum emittat et ipsamat Stas. tua ad diem festum beati Egidii confessoris proxime venturum apud civitatem elbingensem constituatur et se una cum nobilitate ejusdem palatinatus sui, mgco. Stanislao de Koscielecz, palatino junivladislaviensi et capitaneo marienburgensi, manifestet et presentet, affutura et ipsa Reipublice ope et consiliis suis ita ut necessitas postulat et ad officium

officium Sinceritatis tue pertinet. Et aliter non factura pro gratia nostra. Datum in ci- MDXX.
vitate nostra Thorunen. feria V. proxima post festum assumptionis gloriosissime virginis Marie. —

CCCXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao de Koscielecz, Palatino Junivladislaviensi, Marienburgensi, Stumensi, Tucholiensi Capitaneo.

Mgce. sincere nobis dilecte. Emisimus literas ultimarum restium per palatinatus et terras Cod. G. R.
Prussie concitavimusque omnes ad arma, prout tua Stas. ex literis restium, quarum ei unas pro instructione mittimus, cognoscet et prestituimus omnibus locum et diem in unum conveniendi ad diem beati Egidii confessoris proximum apud civitatem nostram elbingensem, ut se tue Sti. velut harum terrarum campiductori representent. Et ideo Sti. tue mandamus, ut et ipsa, proviso bene castro marienburgensi in omnibus rebus sicut decet et tempus necessitasque postulat, Stas. tua una cum omnibus rusticis utriusque Zolowe (Zolave R.) pro die beati Egidii circa Elbingam constituatur et nobilitatem palatinatus terrarum Prussie excipiat in potestatem suam et simul cum palatinis earundem terrarum se ad exercitum magnum conferat ea demum factura, que tunc Reipublice necessitas postulabit. — Et aliter non faciat pro gratia nostra. Datum Thorunii fer. V. prox. post festum assumptionis glor. virg. Marie.

CCCXXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni decimo, Pont. maximo.

Sanctissime in Christo pater. Superioribus diebus descripsi vre. Scti. causas, que me diu Cod. G. R.
multumque renitentem coëgerint ad tuendos subditos et jura regni mei arma contra dominum magistrum ordinis Theuthonicorum in Prussia sumere, et que conditio belli hujus mea modestia et pietate in rem christianam fuerit. Cum enim dudum conficere illum ac ordinem ipsum et quidem parvo negotio potuissem, tractavi illum per hoc omne tempus lenius quam hostem conveniebat, habita ratione non solum necessitudinis nostre et illius juventutis, sed etiam vre. Sctis., que causam illius nescio cur adeo complectendam sibi putat, cum nusquam appareat, ordinem ipsum vel meritum esse aliquid de ecclesia et religione christiana, vel unquam in hoc angulo mereri posse, qui ad hoc unum institutus esse videtur, ut ubiubi sit, misceat et perturbet omnia. Non ignorat vra. Sctas. quomodo se gessit ordo ipse in regnis Anglie et Hispanie et quid illi meritis suis acciderit. Quo salutari exemplo possem quidem perfacile insistere et me regnúmque meum hac molestia et calamitate liberare, nisi esset majoris pensi apud me communis status rei christiane et mea existimatio hactenus illibata, quam id, quod cum motu et excidio alterius consultis-

 simum

MDXX. simum mihi et regno meo putarem. Quare, beatissime pater, quum, ut antea scripsi vestre Scti., oratores tam Sermi. nepotis mei, quam etiam principum Germanorum a me rebus infectis discessissent, quod magister nihil eorum acceptare voluit, que ipsis etiam oratoribus acceptanda videbantur, et ego meum exercitum ejus sedi et loco primario admoveri fecissem, quo ille consternatus peteret facultatem tuto ad me veniendi, non solum eam illi prebui, sed etiam inducias belli circiter unum mensem cum magno dispendio et jactura temporis illi concessi, sperans, eum hac mea benignitate ad equam et honestam concordiam reduci posse. Verum ille veniens ad me, licet excessus sui veniam petierit, conjunctionem indignissimam cum Scismatico, meo et ecclesie romane inimico, confessus fuerit, et in summa, licet post multos tractatus, quibus me eo duxit, ut interim subsidia aliqua nanciscerétur, ad extremum pollicitus fuerit, se facturum omnia, que ex federibus et pace perpetua deberet, tamen accepto nuncio de adventu ad se quarundam gentium ex Germania, omnibus in irritum versis, discessit nihil spei mihi relinquens eorum, que mihi et regno meo debet et que ut missam faciam nec licitum est mihi ullo modo, nec integrum, ut post discessum suum majus incendium belli excitet et ceptum suum infestum ac indignum perficiat, satagit in scribendo milite et in cogendis undique suppetiis, que sibi palam cum in plerisque aliis locis, tum maxime in Germania colliguntur. Quapropter significare volui hanc rem totam vestre Scti., ut cognita illius pertinacia et hostilitate in me, cognita item tam longa tolerantia et modestia mea, quam etiam nuncii ejusdem vre. Sctis., ut hic probe sunt experti, ita coram ipsi clarius referre poterunt. Commendatam habere apud se dignetur magis hanc meam et regni mei causam et si quid ejusmodi accideret, quod adeo magister et ejus ordo sibi struit et ego profecto non cupio, vra. Sctas. boni consulere et mihi merito adesse debebit. Cui etiam ut patri meo clementissimo significandum duxi, qua me letitia et consolatione deus opt. max. intra hanc turbam et molestiam bellicam affecit, quod natus sit mihi Calendis presentis mensis filius optatissimus. Quem si divina benignitas superstitem esse voluerit, ut vestigiis majorum insistere suorum possit, futurum spero et observantissimum sedis vre. Sanctitatis et reipublice christiane non vulgare columen et ornamentum. Quare commendo illum mecum pariter regnumque et dominia mea vestre Scti., quam diutissime sanam sospitem et felicem esse concordie desidero. Thorunii.

Sigismundus, Rex Polonie, Cardinalibus.

Cod. G. R. Describimus Sctmo. domino nostro statum modernum belli nostri cum Illmo. dno. magistro ordinis Theutonici in Prussia et quanta modestia et benignitate illum ut juvenem et nepotem nostrum tractamus, ducentes bellum lenius, ut ille interim resipisceret et ad concordiam reduceretur; quem alioquin, si hostiliter agere vellemus, jam pridem sine multo negotio conficere potuissemus. Nam cum non pridem actum de rebus suis putavit, et a nobis potestatem secure veniendi ad nos petivit, non eam solum, sed et inducias belli cum summo

summo dispendio nostro illi concessimus, qui veniens ad nos utcunque humiliter se gessit erga nos et fassus sit errorem suum et societatem cum Moscovita scismatico, fuissetque pollicitus, se omnia facturum, que nobis deberet, tamen, accepto nuncio de adventu gentium quarundam in subsidium suum, rebus omnibus infectis et promissis suis post tergum relictis discessit, nuncque scribit militem, subsidia externa querit et colligit nihilque pretermittit, quo ceptum suum ad effectum perducat. Quare rogamus vestram rmam. Ptem. tueri velit hanc causam nostram coram Sctmo. dno. nostro, ut quod ex hoc ludo sequetur non nobis sed illius temeritati ascribatur. Jam enim satis superque causa ipsius Sctmi. dni. nostri hoc saxum volvimus, quod exemplo salutari regnorum Anglie et Hispanie dudum excutere potuissemus. Que quidem regna testimonio esse possent ejus Scti., quam ordo hic regularis sit et utilis rei christiane, pro qua nos ille assidue decertantes non solum impedit et perturbat, sed etiam se cum Scismaticis et Infidelibus indignissima societate conjungit. Cognoscet vra. rma. Ptas. hujus patrocinii sui, quod nobis in ea causa prestabit, futuros nos perpetuo non immemores nec ingratos. Cui etiam pro nostra mutua benivolentia significamus, filium nobis dei munere natum esse Calendis presentis mensis, quem speramus, si superstes erit, futurum olim et isti sancte sedi reique publice christiane utilem et Serme. familie nostre regnoque et dominiis nostris incrementum non vulgare. Felicissime valeat vestra rma. Ptas., cui nos et negotia nostra ex animo commendamus. Datum in civitate nostra Thorunensi d. XXII. Augusti. MDXX.

CCCXXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie, etc.

Serme. princeps. Accepimus ternas literas vestre Mtis., binis scribere dignata est de instituendo negotio matrimonii Ill. sororis sue dne. Anne et legatione facienda ad Sermum. Romanorum et Hispaniarum regem in ipso negotio, aliis vero statum turbulentum rerum bohemicarum describit. Quod igitur ad negotium matrimonii attinet, semper illud nobis non minori cure fuit, nec minus cordi, quam vre. Mti. et quamvis dudum oratorem nostrum miseramus ad ipsum dominum regem Romanorum sola rerum pruthenicarum causa, nihil adhuc scientes de illius Mtis. adventu in Germaniam, ne aliquam istic nobis adversarii nostri suis commentis et querimoniis difficultatem excitarent, tamen habuimus et alterum oratorem paratum ad mittendum in ipso negotio matrimonii sive ad commissarios sive etiam ad ipsum cesarem, ut consultius nobis videbatur, quando nos Mtas. vra. de ultima voluntate et resolutione sua faceret certiores. Cum itaque res ipsa demonstrat, tempus esse angustum et Mti. vre. videtur commodius idem negotium illi oratori, quem jam apud cesarem habemus, committere, nos idem consultius arbitrantes committimus diligenter eidem ipsi oratori nostro, negotium hoc simul cum oratoribus Mtis. vre. omni studio curare et exequi juxta instructionem Mtis. vre., que nobis in omnibus satisfacit et placet, literasque cum instructione ad illum cum presentibus mittimus. Quare Mtas. vra. absolvere jam dignetur oratores suos, qui tam hoc negotium, quam officium illius in hac coronatione Romanorum regis peragant. Quorum actionibus noster orator in omnibus, que necessaria fuerint se accomodabit. Ex cod. mss. bibl. Ossol.

MDXX. *dabit. Quod autem ad regnum Bohemie attinet, plurimum rogamus Mtem. vram., ut habita ratione externarum difficultatum, que plus satis utrique nostrum incumbunt, curet cum prudentissimis consiliariis suis dissensiones intestinas regnorum suorum quantum potest componere, et licet nos ipsi suspicamur parum profuturam statui Mtis. vre. profectionem in Bohemiam, tamen cum hoc tantopere ab universo illo regno exigitur, ita in ea re consulere et se exhibere dignetur, ut illis regnicolis satis fieri possit, et ut deinceps illorum motus et sinistra suspicio, quam non solum de dominis regni Hungarie, sed de nobis ipsis etiam conceperunt, tollatur et motus isti componantur, qui magnum afferre solent detrimentum et perturbationem statui Mtis. vre., de quo nos non secus quam de proprio nostro sumus solliciti, nec illi pro viribus nostris unquam deesse volumus. Valeat felicissime Mtas. vra. Datum Thorunii d. XXV. Augusti.*

CCCXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Firley, Palat. Sandomiriensi, Joanni Zeratinski, Bohemo, Capitaneis Exercitus.

Cod. G. R. Mgci. Fecerunt nos certiores cives nostri gedanenses, se certo edoctos esse, quod dominus magister cogitet castrum et civitatem Hollandt quocunque modo posset intercipere, habens forte ibi nonnullos sibi faventes ex popularibus. Quare mandamus Stibus. vestris, providere velint, ut locus ille, qui magno labore et impendio est conquisitus, bene ac diligenter custodiatur et conservetur, quo neque vi, neque fraude aut dolo ab hostibus capi possit. Miramur plurimum, quod gentes nostre, que sunt vobiscum in exercitu, non sunt obedientes imperiis vrarum. Stum., et quod majus est, abituros se et castra nostra deserere minantur, non advertentes, hostem nostrum se contra nos armare et auxilia sibi undequaque comparare. Quibus cum nos parata pecunia semper solvimus et non parvam in eas vim pecunie effudimus, deberent merito aliam et honoris sui et nostre dignitatis ac etiam necessitatis rationem habere. Postulamus a vestris Stibus., contineant eas ipsas gentes in officio et servitio nostro et dilabi eas a se non permittant, facere enim id citra jacturam fame ac honoris sui ac sine nostro et reipublice regni nostri maximo incommodo et periculo non possent. Circumspiciant etiam vestre Stes. et provideant, ut omnes centurie seu comitive equitum et peditum integrum numerum militum et equorum suorum habeant.— Audimus enim indies multos homines dilabi per obliquas vias ab exercitu et ob hoc verisimile non est integrum numerum comitivarum esse. Nos vero integre omnibus pecuniam mittimus, que nescimus quomodo distribuitur illis, qui diffugerunt et istic non militant. Intra paucos dies mittemus unum ex consiliariis, qui homines et milites istic contineat in militia et servitio nostro, quem vestre Stes. adjuvabunt et quem modum in alloquendis illis et componendis illorum animis observare debebit, id illi suggerent. Volumus preterea, ut nos de successibus suis et cogitatibus hostis nostri frequenter et quam diligentissime vre. Stes. edoceant.

CCCXL. Restes contra exercitum ex Germania ad Magistrum in Prussiam tendentem.

Sigismundus etc. Universis et singulis palatinis, castellanis etc. ceterisque subditis nostris terras regni nostri incolentibus, presertim terras Majoris Polonie, palatinatum posnaniensem et districtum ejus N. de jure et consuetudine etc. obligatis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Mgci., generosi, nobiles, famati ac provide s. nobis dilecti. MDXX. Cod. G. R.

Licet per hoc omne tempus, quo ad vindicanda jura regni nostri et hostiles indignosque conatus Illris. dni. magistri ordinis Theutonicorum in Prussia reprimendos bellum cum illo agere cepimus, crebro edocebamur, gentes adversum nos in Germania colligi et subsidia eidem magistro parari, tamen ad rumores non usque quaque certos noluimus hactenus ullas restium literas emittere: ne subditis nostris frustra molestiam et dispendium exhiberemus. Nunc autem omnino certiores facti, magnas Almanorum copias adversus nos tendere et vi terras Majoris Polonie penetrare velle, ne ceptum in suum perducere possint, ex quo regnum in summum discrimen et vastationem veniret omnisque actio nostra cum ingenti jactura et dedecore, quod absit, inficeretur: de opportuno in tali casu consilio, quod aliter quam communi motione tanto periculo occurri non posse judicavimus, has presentes literas in vim primarum et secundarum restium emittere decrevimus. Quibus vobis universis et singillatim unicuique vestrum mandamus, ut visis eisdem literis arma capiatis et quilibet vestrum capiat, vosque ita preparetis, ut cum aliis literis nostris fueritis requisiti, possetis absque omni mora ad tempus et locum, qui designabitur, adesse et hostilem impetum cum dei auxilio una nobiscum ita retundere, ut inde amplius Respublica nullum sentiat detrimentum vosque laudem et gloriam in re bellica pluribus victoriis jam acquisitam, quoad fieri poterit, augere et ampliare valeatis. Et ne quispiam vestrum de hac preparatione bellica et mandato nostro aliquam ignorantiam se habere pretendat, volumus, ut unus ad alium viciniorem presentes literas restium, cum illas perlegerit, transmittat; ultimus vero easdem loci capitaneo representet sub bonorum amissione. Aliter facere non ausuri. Datum Thorunii fer. III. prox. post festum S. Bartholomei.

CCCXLI. Sigismundus, Rex Polonie, Ad Capitaneos, ut restes publicent.

Generose etc. Quia certiores facti sumus, magnas gentium almanicarum copias adversum nos in subsidium dno. magistro ordinis Theutonicorum in Prussia tendere et vi terras Majoris Polonie penetrare velle, ne ceptum id suum perducere possint, ex quo regnum in summum discrimen et vastationem veniret, omnisque actio nostra cum ingenti jactura et dedecore, quod absit, inficeretur, de opportuno in tali casu consilio, quo aliter quam communi motione tanto periculo occurri non posse judicavimus etc. *ut supra*. Quod ut ad omnem notitiam perveniat literas in vim primarium et secundarum restium emittere decrevimus. — Cod. G. R.

MDXX. Et ne nos in tanta necessitate aliquid neglexisse videremur, easdem literas in manus tue Ftis. mittimus, mandamusque illi, ut eas statim et omni mora posthabita per terras districtus sui capitaneatus transmittat et circumferri, ut moris est, faciat ac in foris civitatum et oppidorum ac circa ecclesias diebus solennibus proclamari et ad notitiam universorum et singulorum ad expeditionem bellicam obligatorum deduci faciat: ut equos, arma et alia bellica necessaria parata habeant, quo ubi necessitas incumberet, que nonnisi repentina esse solet, et litere nostre in vim ultimarum restium per nos emitterentur, posset unusquisque sine mora ad locum, quem in eisdem literis restium designabimus, proficisci. Factura Ftas. tua pro debito officii sui et gratia nostra. Datum Thorunii fer. III. post fest. S. Bartholomei.

CCCXLII. Litere Petri Kmite de Wissnicze, Marsalci curie regie, contra Lanczknechtos, qui in bello Prussiaco capti et fide publica obligati, honoris obliti coram rege Polonie sese non statuerunt. (Cod. R.).

Infames pronunciati, qui in bello capti, juramento militari obstricti, se apud victorem non statuerunt. (Cod. G.).

Cod. G. R. Universis et singulis cujuscunque dignitatis, status et conditionis existentibus presertim exercituum ducibus, signiferis castrorumque et copiarum capitaneis quibuscunque, tam equitatus quam peditatus, militibus et generaliter omnibus, qui militarem virtutem, fidem et honorem observant et tuentur. Ego Petrus Sobienski de Wissnicze, capitaneus premisliensis et Sermi. principis, dni. Sigismundi, regis Polonie etc., curie marsalcus, notum facio: quod quum in hoc bello inter Sermum. dnum. meum, Polonie regem, et Ill. dnum Albertum, magistrum generalem in Prussia, exorto, quidam fratres ordinis Cruciferorum et alii tam nobiles quam plebei milites et subditi dni. magistri in castris interceptis, in conflictu atque in aliis belli, ut fieri solet, eventibus capti et per capitaneos sacre reg. Mtis. ut se hinc statuerent, stipulata manu sub fide et honore militari sacramento astricti fuissent, se huc pro tempore prefixo prima vice statuerunt et sic ad manus meas ex reg. Mtis. mandato ratione officii, quo fungor, pervenerunt: quibus omnibus ex singulari Mtis. reg. gratia in diversoriis et hospitiis, quantum ad victum spectat liberaliter impendi et eosdem in predicta astricte fidei sponsione hic humaniter tempore satis longo habui, donec ipse dominus magister huc ad Mtem. reg. se contulisset intercessionem pro ipsis captivis ut fide devincti pro certo tempore ad propria redire permitterentur interposuit. Quod Mtas. regia ex innata sibi benignitate et clementia concessit, et eos per me ad manus sue Mtis. astrictos,

tos, ut pro infrascripto tempore se rursus statuerent sub forma sponsionis, que sequitur, MDXX.
abire permisit. Verba autem hec erant:

Ego N. N. promitto sub mea bona fide et honore, quod in persona propria statuere et representare me volo Sermo. principi et dno., dno. Sigismundo, regi Polonie etc., ad pretorium in antiqua civitate Thorun, aut ubi Mtas. s. regia pro eo tempore in propria persona constitueretur, pro die assumptionis glor. virg. Marie proxime futuro, vel si contigerit, quod ante hoc tempus prefixum vel in ipso tempore ab aliquo alio caperer, vel alia fidei sponsione obligarer aut quovis alio modo detinerer, promitto etiam sub bona mea fide et honore, quod neque comedere neque bibere neque ad alimentum vite mee quidquid suscipere volo tamdiu donec rursus liber dimissus fuero, ut me statuere et priori mee fidei sponsioni satisfacere possim et dum me statuam a predicto pretorio aut loco ubi reg. Majestas constituatur, neque abire neque declinare volo, donec mihi per Majestatem regiam aut ex ejusdem mandato ulterius provisum non fuerit. Promitto etiam hanc fidei sponsionem non evadere nec ex ea me liberum facere quacunque inventione, que humano ingenio excogitari possit, nisi prius per Mtem. regiam aut per illum cui hoc Mtas. reg. commiserit, ex ore in aures et per porrectam manum liber et solutus fuero. Nihil etiam contra Mtem. reg., ejus terras, subditos, milites et gentes bellicas, et quoscunque alios ad Mtem. regiam spectantes, quamdiu in hac fidei sponsione astrictus sum, attemptare seu agere volo consilio, auxilio, literis, verbis aut quocunque alio opere vel quibuscunque aliis viis et modis, qui industria humana inveniri possint, et quidquid contra istas meas sponsiones in subsidium mihi accepero id omne contra meam bonam fidem et honorem fieri debet.

Hujusmodi fidei et honoris captivi infrascripti omnes fecerunt sponsionem seque ad statuendum, ut promissum est, unanimi consensu submiserunt, et ita hinc sunt ad propria dimissi. Postquam vero tempus prefixum eis advenisset, ex omnibus nisi isti quatuor fidei et honoris amatores et probi nobiles: Georgius Withmansdorff
Georgius Sack,
Joannes Czertwicz et
Christophorus de Thobennek se statuerunt.

Reliqui autem qui subscripti sequuntur, honoris dateque fidei obliti ut perfidi et infames non redierunt. Quorum nomina hec sunt.

Et imprimis qui in cast. et oppido Marienwerder obsessi et capti fuerunt:

Joannes Rippe
Joannes Paklemor
Paulus Nasze
Joannes Manstein
Fridericus Mayss
Georgius de Gringen
Stephanus de Leden, qui etiam ad primam sponsionem se non statuit.

In

MDXX. In Barthenstein deinde qui in conflictu circa oppidum hoc fuerant capti:

Georgius de Hetten fr. ord. et commendator domus rigensis.
Rudolphus de Retten, fr. ordinis compan in Goldingen, Livoniensis.
Basilius de Retchen
Herrmannus Nagel
Joannes de Russeck
Otto de Trenke
Joan Heyne
Herrmannus de Lingen
Eberardus Brekeffeldt (Bretreffedt, R.)
Vpertt de Ellen
Andreas Manstein
Joannes Ette (Elle, R.)

Versus castrum Belge isti etiam duo:

Wolfgang de Schonbergk et
Baltazar Rombler ex Austria

qui capti fuere in via versus castrum Belge. Postea illi, qui in Castro Hollandt obsessi. et capti:

Henricus Hilsberg fr. ordinis.
Philippus Greysingk
Sigismundus Czwighoff, qui se falso Christophorum de Nawhawsen nuncupabat.
Theodoricus de Trewke
Filixander Swos (Swob, R.)
Joannes Rawink
Christoph. Liskewan
Michael Sigler
Nicolaus de Lante
Martinus Pfafftan. Omnes olim nobiles.

Qui vero sequuntur plebei et domini magistri, qui vulgo vocantur Drabantes, videlicet:

Bartholomeus de Memingen
Georgius Ditrich
Bernardus de Hegerloch
Joannes Pechte
Georgius Hermen
Georgius de Reythlingen.
Joannes de Czell
Wolfgang Feuchtewange
Clemens de Leypczik

In Hollandt et in Brandeburg

Joannes, tympanista, et
Petrus fistulator.

Cum

Cum istis ibidem in Hollandt capti et fidei sponsione ad statuendum se regie Mti. trecenti lancearii, vulgo Lanczknechti, astricti fuerunt; de quibus centum quinquaginta astrictam fidem et honorem post terga relinquentes se non statuerunt. Reliqui vero huc venientes fidei et honori satisfecerunt; quos Mtas. reg. ex innata clementia suis expensis usque ad oras regni deductos sub juramento, ne quidquam deinceps adversus suam Mtem. ejusque terras et subditos agerent, liberos dimisit. MDXX.

Tandem isti qui obsessi in castro Brandeburgk capti fuere:

Craffth de Festenborgk, fr. ord. et locumtenens in Brandeburgk
Georgius Erlichey fr. ordinis.
Egloff de Didrichtochen (Ditrichkochen, R.)
Ulricus de Jglingen
Joannes Compesschen (Compessen, R.)
Albertus Wassell
Paulus Weystett
Georgius de Myllen
Albertus Rarstell. Qui etiam non redierunt.

Cum autem isti suprascripti ex nomine LI et deinceps CL lancearii, homines nihili, nefarii et fidefragi, ad diem eis deputatum se non statuerunt astrictamque fidem et honorem impudenter deseruerunt et flagitiose abjecerunt, neque digni sunt, ut cum bonis et militaribus viris quibuscunque vivant, commorentur aut quomodocunque commercia et consuetudines habeant, neque etiam ut vel pace vel bello cum honestis et probis aliquem locum habere debeant, sicut illi, qui sine omni pudore honorem et astrictam datamque fidem postergarunt, que a quolibet bono viro summus thesaurus et pluris quam salus et vita ipsa estimatur, nolui, istos fidei et honoris desertores omnibus, qui virtutem et honestatem amant, ne eorum contagione inficiantur, diutius esse incognitos. Dat. Thorunii ipso die S. Egidii.

CCCXLIII. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo, Epo. Plocensi.

Reverende. Nos bello adhuc in dies acriori cum magistro Prussie distinemur, qui non modo acceptare recusavit conditiones priores pacis perpetue, ad quas jam nos, licet cum nostro dispendio, descenderamus, sed etiam collusis nobis adventu ad nos et promissis suis, vires et suppetias undecunque collegit, satagitque, ut ceptum suum hostile perficiat. Itaque Ptas. vra. aget apud Sctmum. dnum. nostrum et rmos. dnos. cardinales de hac ejus pertinacia et quam nullo ex usu sit ordo iste rei christiane, quin etiam majori perturbationi, ut testimonio sunt regna Hispanie et Anglie, que olim adeo cum eo laborarunt, ut exterminare illum oportuerit, commemorabitque Ptas. vestra merita nostra in rempublicam christianam et alia id genus, quo favorem nobis et illi odium conciliet, quantum poterit. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Ceterum questi sunt nobis doctores et magistri universitatis cracoviensis, quod monachi cistercienses impetratis quibusdam literis a sede apostolica, quod eorum studentes non alio mitti possent

 quam

MDXX. *quam ad lipsiensem universitatem, prohibeant nostris monachis cracoviensibus literis operam dare in dedecus et detrimentum universitatis nostre, itaque Ptas. vra. agat: ut tales litere in irritum vertantur, nè qua inde perturbatio sequatur, quoniam hanc ignominiam ab externis in regno nostro nos et subditi nostri non patientur.*

Scripsit nobis jam pridem Ptas. vra., expedivisse se nobis collationem quarundam prepositurarum et cantorie gnesnensis et literas in manibus suis esse et mittere nobis velle et tamen usque huc, habitis jam multis certis nunciis, non misit, de quo multum miramur. Itaque volumus, ut jam deinceps non differat ipsas literas mittere.

Queruntur etiam hic multi subditi nostri de vra. Pte., quod istic Rome existens eos premat, ad infamiam redigat et suis quibusdam prerogativis impetratis gratias aliorum magno impendio conquisitas impediat. Nos id, si ita est, non libenter videremus, ut illa nostrum oratorem agens premere et infamare deberet subditos nostros, ad quorum utilitatem et honorem ei munus hoc legationis commisimus. Itaque curet, se ita deinceps gerere, ut tante de illa querele non fiant.

Preterea sigillum, quod Pti. vestre simul cum rev. Raphaele de Lessno ad conventum duntaxat augustensem credidimus et illud post defunctum illum actum, ad quem factum erat, remittere ad nos debuit. Miramur cur tamdiu apud se retinet. Egerunt nobiscum consiliarii nostri sollicite, ut id ab illa repeteremus, sed nos expectantes, ut ipsamet ratione habita sue virtutis et fidei debuisset id sponte facere, distulimus usque huc de ea re illi scribere, verum quando illam videmus abuti silentio nostro, quod ejus honoris causa tam diu habuimus, volumus, ut jam istic coram Jodoco contundi faciat ipsum sigillum et contusum ad nos per eum remittat; qui etiam illi nonnulla alia referet et presertim, quod ad gemmas, quas domina dux bariensis in pignus debiti obtulit, attinet. In his omnibus Ptas. vra. illi plenam fidem adhibeat et valeat felicissime.

CCCXLIV. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Boner, Zuppario etc.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Generose fidelis, dilecte. Facti sumus certiores, ex variis locis congregari gentes domino magistro adversum nos in Germania, quod et ejus subditi testantur, eumque propterea se retinere, quod easdem gentes expectet et proinde opus nobis putamus in parato esse, ut ab eis nos tueri possemus, prout spem habemus auxilio dei nos defensuros.*

Ad Illmam. dnam. ducem Barii videtur nobis, ut Jodocum tuum expedias, qui melius hanc rem, quam cognitam habet, transigere poterit, qui quod practicas mercatorum callet, quibus, ut putamus, erit opus cum ipsa domina duce uti. Vadat autem, uno famulo comitatus, satis judicio nostro decenter et honeste.

Et quamvis tu poteris et scis abunde, qualiter instructionem dare debeas ipsi Jodoco de repetendo reliquo dotis, tamen nobis valde placeret, ut ita res cum illius Illte. constitueretur, quod debitum hoc nostrum ad debitores aliquos transferret et cum illis ita conseniret de dando eis oleo, aut agendi, tractandi et constituendi cum ejus Illte. de ipsa solutione residui dotis, modis et conditionibus, que fieri poterint certioribus et que essent ferende illius Illti. cujus etiam necessitatis non minorem habemus rationem quam nostre proprie.

Postremo

Postremo referet domino epo. plocensi, voluntatem esse nostram, ut sigillum illud, quod ei eum rev. dno. Raphaele ad conventum augustensem datum erat, coram eo contundi faciat et contusum per eum huc remittat. MDXX.

CCCXLV. Restes ultime contra copias Germanicas ad Prussiam tendentes.

Sigismundus etc. Universis etc. Quemadmodum prioribus literis nostris, quas in vim primarum et secundarum restium nuper emitti fecimus, declaravimus vobis, magnas adversum nos copias in Germania parari, quibus et terre Prussie nobis eripi et regnum nostrum vastari deberet. Nunc demum certiores facti, easdem copias adventare illasque jam prope fines regni nostri esse superareque viginti milium numerum, nec illis nisi publica et communi omnium motione obstari posse intelligentes, vobis omnibus subditis nostris bellicam expeditionem et servitium debentibus sub amissione omnium bonorum mandamus, ut mox, visis presentibus, arma capiatis et ad diem festum S. Michaelis, archangeli, proximum, circa oppidum Vangrowiecz cum palatino et castellanis vestris armati, juxta facultates bonorum vestrorum expediti conveniatis, ubi et nos ipsi aderimus non solum sumptum et laborem nostrum, sed etiam personam nostram regiam pro defendendo regno et subditis nostris exhibituri. Et ne quispiam vestrum de hac bellica expeditione et mandato nostro etc. *ut supra.* Datum Thorunii die exaltationis s. crucis. Cod. G. R.

Litere ad capitaneos scripte, ut publicarent istas tercias literas restium.

Scripte sunt etiam alie litere ad civitates et oppida, ut currus ad bellicam expeditionem dari solitos et debitos cum rebus necessariis apparamentis et peditibus armatis ad regem mitterent, sub penis consuetis.

CCCXLVI. Litere Restium ad terram Plocensem.

Sigismundus etc. Universis etc. Speramus, quod omnes in castris perseverare debuistis, retundentes vim hostium, ne terras nostras palatinatus plocensis invaderent et vastarent, quod sine dubio fecissent, si tempestive ad arma vos non contulissetis. Verum quia nonnulli vestrum, uti audimus, propria voluntate vel potius temeritate quadam adducti ex castris ad domos redierunt, ceteris fidelibus subditis nostris cum mgco. Andrea de Niszcice, palatino suo, in castris derelictis, quod nos iis, qui perseverarunt gratia et benignitate regia, idonea occasione se offerente, compensare non negligemus. De his vero, qui secus fecerunt, non bene contenti sumus; sed quum universum regnum nostrum jam ultimis literis restium ad arma concitavimus propterea, quod certissimi facti sumus, jamque nullo pacto Cod. G.R.

MDXX. pacto dubitamus, magnas copias Germanorum adversum nos collectas esse easdemque jam adventare, ac non longe a finibus regni nostri a nostris exploratoribus visi sunt, excedunt-que multitudine sua viginti milium numerum, nec illis nisi publica et communi motione omnium obstari posse intelligentes: vobis omnibus et singulis bellicam expeditionem debentibus sub amissione bonorum vestrorum his literis, quas in vim primarum et secundarum et ultimarum restium mittimus, mandamus; ut mox, visis presentibus, non obstantibus pecuniarum exemptionibus per aliquos vestrum in manus prefati palatini plocensis ratione absolutionis a bellica expeditione per vos tenta, sub Neydborg castro datis et solutis, arma capiatis et ad diem festum Sct. Michaelis, archangeli, proximum circa oppidum Wangrowiecz in terri Majoris Polonie situm, cum palatino et castellanis vestris armati et juxta facultatem bonorum vestrorum expediti conveniatis, ubi et nos ipsi aderimus non solum sumptum et laborem nostrum, sed etiam personam nostram regiam pro defendendo regno et subditis nostris exhibituri. Et ne quispiam vestrum . . . *ut supra.* Datum Thorunii sabbato post f. exaltationis s. crucis.

CCCXLVII. Sigismundus, Rex Polonie, Gedanensibus.

Cod. G. R Famati fideles dilecti. Cum fuisset apud nos magister Ambrosius, notarius et nuncius vester, et commissa ac postulata vestra nobis retulisset, ei ad omnia respondimus et edocuimus illum singula, que vobis de mente et voluntate nostra referet. Ex quo intelligetis omnia, pro quibus et nunc nobis scripsistis. Gentes iste, que veniunt in auxilium domino magistro, prosequuntur iter ad illum per ditionem dni. marchionis, nonnunquam etiam fines nostros attingentes; verum ab hominibus nostris, quos ad illos urgendos premisimus, quotidie ceduntur et captivuntur, jamque multos captivos ex illis tam pedites, quam etiam equites habemus, ex quibus docemur, magnam esse inter illos inediam et angustiam. Utcunque est: vos diligenter omnia, que ad tuitionem vestram attinent, curetis et provideatis. Nos vero et mittemus vobis pedites, quos petitis, et ubi necessitas postularet, majoribus etiam presidiis vobis non deerimus. Jam enim recensebimus exercitus nostros et auspice dno. deo ita adversus hostes nostros progrediemur, ut et nobis ignominiam inferri et subditos nostros opprimi non permittamus, quod brevi constabit.

CCCXLVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinalibus primoribus.

Cod. G. R. Rme. Quamvis et scribimus Sctmo. dno. rmis. dnis. cardinalibus in commune, et nuncius hic ejus Sctis. mgcus. Joannes de Thedaldis abunde referet statum rerum nostrarum, voluimus tamen rme. Dtioni. vre., uti singulari amico et fautori nostro, declarare, quanta procella regno nostro, immo universe rei christiane impendeat. Tartarus enim vicinus nos-

ter

ter et idem imperatori Turcarum socius, devicto altero imperatore scithico, inimico suo, et illius gentibus in potestatem suam redactis, adeo vires suas auxit, ut super ducenta milia bellatorum conficere possit. Cujus periculi causa oportet nos ingentia presidia in finibus tenere et alia in aliis finibus a Moscis habere; quam difficultatem considerantes magister ordinis Theutonicorum in Prussia et sui adherentes, qui huc usque nos promissis de pace et concordia duxerunt, tantam in Germania adversum nos expeditionem fecerunt, quantam non fecerunt unquam adversus Turcas, ut his diebus nos ex improviso et occupatos adoriantur. Nos preterea presidia, que servamus alia in finibus Moscorum, in finibus Scitharum alia et hic pariter in Prussia exercitum relinquere oportet pro tuitione subditorum nostrorum, licet cum summa difficultate adeo distracti et in celeritate, quam res exigit, quartum exercitum comparamus, quo adventantibus ex alia parte Germanorum copiis obsistamus, tamen freti justitia nostra et divino auxilio, quibus viribus fieri tumultuarie poterit, nos et nostros defendemus. Quam injuriam et vim indignam, que nobis infertur, vra. rma. Dtio. dignetur Sctmo. dno. nostro declarare rogareque illum, ut nobis consilio et favore suo adesse dignetur, ne qui tantam molem Infidelium solis humeris nostris sustinemus etiam a tergo per Christianos impetiti desistere et private rei nostre citra pietatem christianam consulere cogamur, quod ab animo nostro semper fuit alienum. Commendamus nos et negotia nostra vestre rme. Dtioni., quam sanam et sospitem esse desideramus. Datum Thorunii XXIV. Septembris. MDXX.

CCCXLIX. Sigismundus, Rex Polonie, Duci Carolo.

Illme. princeps et dne. Quatenus apud Ill. dnum. Joachimum, marchionem etc. jussu et mandato Sermi. dni. Ungarie egerit Illtas. vra. ex literis ejusdem nuper nobis redditis abunde intelleximus, nec dubitamus, Illtem. vram. non aliter, quam ut sibi a sua Serte. commissum fuerat, se illic gessisse. Sed quod in sedando et componendo hoc bello, quod cum dno. magistro gerimus, ejusdem dni. marchionis aut legatorum ejus opera uti deberemus, id justissimis de causis nobis facere non est visum. Quis enim, nisi forte aliquis malevolens, nobis id suadere velit, res et negotia ejus potestati committere, qui se nobis, si verbis minus, re tamen ipsa apertissime hostem declaravit. Constat enim satis non modo nobis aut Illti. vre., sed toti pene Europe, eundem dnum. marchionem totius hujus incendii fomitem, ducem et vexilliferum extitisse, cujus auctoritate ex universa Germania gentes in nos coacte sunt. Is eas in ditione sua contra nos fovit, commeatu, alimentis ceterisque rebus omnibus, quantum sibi possibile fuit, juvit, et modo, cum Illmus. dnus. Fridericus, dux legnicensis etc. ejusdem dni. marchionis precibus permotus inter nos et adversarios nostros tractare cepisset, cumque iidem adversarii nostri rem omnem in marchionem retulissent, ita ut si ipse marchio eis faciendum censeret, vellent pacem et concordiam amplecti, ipse idem dnus. marchio in hoc consentire noluit, atque ita tractatus pacis et concordie progressum et effectum non sunt sortiti. Interea Sermus. dnus. Carolus, Romanorum rex, nos amice per literas suas hortatus est, ut ab armis discederemus pateremurque, ut Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

MDXX. *legati tam sue quam dni. Ludovici regis Mtis., qui jam adventare dicuntur, inter nos et adversarios nostros de pace agerent, prout etiam idem dnus. Carolus rex adversario nostro de eadem re literis suis significavit. Ipseque idem dnus. Fridericus, dux apud nos tunc divertens, ne tantorum Christianitatis columinum media rejiceremus, nos identidem rogavisset, nos utpote hi, qui arma nostra aliorsum convertere sumus soliti, ejus precibus et exhortationibus concedimus, nec tantorum principum legatorum conventui aspernari volumus, quod ipsum dnus. Fridericus dux rursus dno. magistro literis suis significavit. Quapropter Illtem. vestram hortamur et rogamus, ita agat, ut tractatus omnes cum dicto dno. marchione ad presens postponat de iisque supersedeat. Unum duntaxat ab Illte. vra. cupimus, det operam: ex eodem dno. marchione scrutetur et exquirat, pacemne inter nos et adversarios nostros moliatur et malit an bellum? ut ita nos de ea re certiores facti demus operam, ut olim par pari referre possemus. Quod cum intellexerit vra. Illtas., id Sermo. dno. Ludovico, regi, et nobis planum facere non negligat. Rem gratissimam et omni benivolentia rependendam utrique nostrum factura.*

CCCL. Petr. Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Laski, Archiepo. Gnesnensi.

Cod. R. Rme. in Christo pater. Nuncius rme. Dtionis. vestre invenit me languentem, qui utcunque jam gratia dei convalesco, tamen domo non prodeo et proinde brevius illi scribere cogor. Ago eidem rme. Dtioni. vre. gratias immensas, quod de allatis mihi tandem literis meis ex Urbe et mea provectione ad episcopatum posnaniensem gratulatur testaturque suam veterem erga me gratiam et favorem; equidem et ego, ut minoribus consuevi, rme. Dtioni. vestre servire et obsequi, ita et in his majoribus fortunis, et quas dei benignitate sum provectus, nihil mutatus ab illo volo pro virili mea Dtionem. vestram rmam. omni studio et obsequiis meis mihi demereri.

De transitu Mtis. regie et qua iter factura sit per hanc egritudinem meam adhuc mihi non satis constat, sed brevi intelligam et rmam. Dtionem. vram., si fieri poterit, faciam certiorem. Cujus bone gratie me et obsequia mea commendo. Datum Thorunii.

CCCLI. Responsum a Fabiano, Epo. Varmiensi, datum Oratori Sigismundi Regis.

Cod. G. R. Generose domine orator. Que nomine sacre Mtis. regie, domini mei clementissimi, mihi retulistis, ea pro relatione vestra satis commode et apposite a vobis eunciata intellexi.

In primis s. Mti. multa sedulitate et officio gratias habeo sempiternas, quo Generositatem vram. huc ad me mittere gratiam et clementiam suam mihi nunciare, quodque tanta benignitate me prosequi dignata est.

Quod autem Mtas. sua ad mgcum. dnum. campiducem pro me et ecclesia mea scripserit et modo Generositatem vestram, ut licentia militum compesceretur et ecclesie bona funditus

non

non evertantur, miserit, ago iterum gratias maximas et sacram Mtem. pro ingenita cle- MDXX.
mentia sua, id facere liquido profiteor. Verumtamen et literarum scriptione et Mtis. sue legatione, aut parum aut nihil prorsus in tam inordinata militum licentia profectum esse, non tam miror, quam fero ut debeo, quando mutare non possum. Nam et paucos ante dies tres adhuc ville: Plauten, Sefelth et Schonsche, cum in castris ageretis, in dominio ecclesie concremate sunt. Unde autem et ex quibus, quominus Mtis. sue mandatis pareatur fiat, scire non possum.

De conditionibus vero, quas ut responsivas, legati dni. magistri ad articulos ipsi dno. magistro Thorunie datos exposuerunt, uno verbo me absolvam: indignas scilicet eas esse, que in publicum mittantur adeo quod postulant extra omnem rationem est, ut ipsi nesciant, quid petant, licet se omnia scire existiment, nimis itaque intelligendo faciunt, ut nihil intelligant.

Cum nuper aliunde ex subditis dni. magistri olfecissem, antequam Dtio. vra. huc adventaret — quod me non potuit magnopere conturbare — per rmos. videlicet et mgcum. dnos. archiepiscopum gnesnensem, episcopum posnaniensem et palatinum cracoviensem regie Mtis. nomine, domino epo. pomezaniensi et legatis magistri exhibitum fuisse, ut cum oblate he conditiones articulis Thorunie exhibitis et ipsi paci perpetue nusquam consonarent et regia Mtas. ex pacis perpetue articulorum tenore nequaquam, ut par est, discedere vellet, ipsi regii mediatores — modo possent — tentare et efficere apud regiam Mtem. vellent, ut ablata ipse dnus. magister retineret, donec de his et de expensis factis arbitri partium cognoscerent et laudarent. Quamvis eadem non ex nostris, sed dni. magistri internunciis profecta esse ex Dtione. vra. non sine animi alacritate intellexi, id quod etiam magis credo.

Hac tamen accepta ex regie Mtis. dni. mei clementissimi solita benignitate et ex relatione vra. consolatione, Generositatem vram. peto, ita meo nomine regie Mti. dicere velit et Majestatem suam petere, ut dno magistro, si res ista ad ulteriores tractatus venerit, referre dignetur, regiam Mtem. suam, dummodo pacis perpetue juramentum prestetur, facile istam cognitionem arbitrorum super utrinque in hoc bello oblatis et expensis a se factis, in iis maxime, que se et regnum spectarent, ferre posse, verum oppidum Braunsbergk hoc bello nequaquam includi oportere, cum prius neque ordo neque sua Mtas. hanc civitatem possederit. Nam cum sancta sedes apostolica istam ecclesiam instituerit, fundaverit atque erexerit, et in patrimonium S. Petri receperit, ipsaque ecclesia et ejus bona in temporalibus et spiritualibus sancte sedi sine medio pro tempore sint subjecta Mtique. sue nuda protectio etiam a summo pontifice commissa, nequeat sacra Mtas. sua super oppido Braunsberga tanquam sibi ablato invito Sctmo. dno. nostro et ejus ecclesie episcopo, cognitionem hujusmodi admittere, pacisci vel expectare. Super reliquis modo et paulo ante per regiam Mtem. dno. magistro, aut per dnum. magistrum sue Mti. ablatis, ne paci videatur defuisse, nihil velit cognitioni istiusmodi refragari.

Credo et omnino pro indubitato habeo, si pacis desiderio dnus. magister a suis internunciis premissa processisse volet, non magnopere de oppido Braunsbergk cum alioquin illud retinere non potest, presertim tormentis sibi reservatis, quin id ecclesie restituat, laborabit, cum hoc se facturum statim in ipsa occupatione ejus oppidi recepit et literis mihi significavit,

MDXX. cavit, immo et publice protestatus est, juramentum quoque ab oppidanis non ut dominus, sed ut protector percepit, ideoque nos possessione ejus excludere non poterit, nisi, quod absit, id nec deduceretur in pactum. Si autem dnus. magister jurare pacem et non servare eandem habet in animo, Braunsbergk dimittere gravabitur aut non volet, quod magis illi ad hoc propositum quam omnia alia bona amissa conducet, inde namque maxima ei fenestra patefacta manebit tam perdita hoc bello recuperandi, quam prioribus bellis amissa terra et mari regie Mti. et regno auferendi. Nec ipsum unquam hoc oppido retento quieturum esse cogitandum est.

Verumtamen cum in supradictis fortasse ex utraque parte resederint principum animi, ne paci abfuisse videar, sacram Mtem. regiam, dnum. meum clementissimum, per Generositatem vram. peto et oro eaque sacre Mti. sue dici ac per eam quandoque magistro et suis, si expediret, referri precor: me de oppido Braunsbergk per dnum. magistrum retinendo sine Sanctissimi dni. nostri summi pontificis autoritate et consensu nihil consentire posse nec velle, cum hoc esset contra juramentum meum. Sed pro pacis bono — dummodo tamen sacra Mtas. sua dnum. magistrum obliget, ut nihil amplius vi aut facto contra nos et episcopatus nostri bona attentet — dnum. magistrum et nos cum ejus oppidi aut retentione per eum, aut in potestatem nostram restitutione cum damnis, expensis factis et totius cause istius cognitione: sacra Mtas. sua ad Sctmum. dominum nostrum et ejus sedem apostolicam remittat. Ejus enim — nisi hoc oppidum alia nobis via restitui debeat — cognitioni et diffinitioni animo paratissimo stare volumus.

His me, ecclesiam, domum et omnia mea sacre Mti. regie, domino meo clementissimo, per Generositatem vram. humiliter commendari et committi peto.

CCCLII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Serme. princeps. Quando fuit apud nos orator Mtis. vestre dnus. eps. Jauriensis, per illum ac demum etiam per literas nostras egimus omni studio et rogavimus Mtem. vram., ut episcopatum wratislaviensem cum vacaret nemini conferre dignaretur, antequam sententiam nostram in ea re acciperet, quod multum intersit tam nostra, quam vre. Mtis. curare: qualis homo ad eam sedem provehi deberet, in qua non modica est facultas et bene et male merendi de communibus regnis nostris, neque tum compertam habuimus consuetudinem et jura ecclesie wratislaviensis de libera electione sui episcopi, quibus capitulum illud innitens, cum elegit canonice rev. dnum. Jacobum de Salcza, capitaneum glogoviensem, virum rara probitate et doctrina preditum, et quem non ambigimus futurum ex usu tam vestre Mtis. quam etiam nostre, fuit plane animo et desiderio nostro satisfactum. Sed quia intelleximus: agi apud Mtem. vestram et presertim per Ill. dnos. marchiones brandeb., quo hac electione in irritum versa, frater ipsorum eidem ecclesie obtrudatur, citatosque esse ob eam rem ad Mtem. vram. canonicos ipsius ecclesie, sumus inde maxime molestia et perturbatione affecti. Cum enim Mtas. vra. novit, quantos habeamus inimicos nobis et statui nostro ipsos dnos. marchiones, ut qui non habita ulla ratione necessitudinis et consanguinitatis

nitatis nostre, tanto studio et conatu cogi procurarunt adversus nos copias in Germania, quanto MDXX. *nunquam facerent adversus ipsos Turcas, nihil intentatum relinquentes, quo nos et statum nostrum in preceps agant. Perpendere dignetur vestra Majestas, quam id decens et congruum esset amori et conjunctioni nostre mutue, ut, cum jam declarare dignata sit, se velle nobis non deesse, subditosque suos per literas commonefecit, ut auxilio nobis adessent, deberet ex adverso inimicos nostros ad ea loca provehere, unde magis nobis insidiari et nocumento esse possent, qui pro bene factis nostris et Sermi. olim fratris nostri ejusdemque parentis vestre Mtis. talem nobis nunc gratiam referunt. Non dubitamus, quin idem facerent postea et Mti. vestre, facientque haud dubie, si illos fovere apud se non desinet. Quare illam omni studio et cura rogamus: ut ratam habere velit electionem dicti dni. doctoris Salcza, et eum summo pontifici commendare dignetur, nec permittat, ut aliquis alter, presertim ex adversariis nostris hanc sedem occupet cum magno incommodo nostro et vre. Mtis. summa indignitate, nec molestari faciat canonicos wratislavienses ob rem, quam illi suo jure egerunt, quod infringere non deceret. Nec id Sermus. olim parens Mtis. vestre fecisset, maxime in eo, quod commune privilegium Slesie de episcopo indigena offenderet. Unde, ut Mtas. vra. suo officio fungatur et nobis statuique nostro consulat, iterum illam ex animo rogamus, ne quid aliter statuat, aut statui permittat in hac re, quam sit jam jure et recte factum. Quod Mti. vre. volumus amore nostro perpetuo et omni gratificatione qua poterimus semper referre. Cui nos commendamus etc. Datum in castris apud Wangrowietz die solis VII Octobris.*

CCCLIII. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie, patruo.

Serme. princeps, patrue noster charissime. Accepimus literas Mtis. vre. ex eo cursore, qui Cod. G. R. has nostras eidem reddidit, cognovimusque difficultates omnes, in quas in presentiarum res Mtis. vre. propter varios potentes hostes suos inciderunt; cognovimus etiam, quid a nobis in hac sua necessitate cupiat et quam sit Mti. vre. in presens opus nostro succursu. Dolemus profecto vehementer, res Mtis. vestre preter omnem expectationem nostram ad has angustias esse redactas, magna deinde molestia afficimur, quod Mti. vestre tantum auxilii quantum vellemus, et tam cito, ut res postulat, impartiri non possumus. Quod integrum nobis fuit, libentissime fecimus facturique sumus. Nam cum nuper mgcus. dominus Andreas de Tanczin, orator Mtis. vre., apud nos fuisset declarassetque ex literis Mtis. vestre tunc ad ipsum datis, has difficultates in Mtem. vram. et regna sua ingruere, liceat antea quoque sepius ad provincias nostras regnis Mtis. vre. viciniores pro ferendis eidem suppetiis in eventum, si necesse foret, scripserimus, tunc tamen cubicularium nostrum, nomine Boch, ad easdem provincias ad hanc rem curandam urgendamque misimus, mandavimusque illi, ut ad Mtem. quoque vram. pervolet et eidem, quicquid in provinciis actum fuerit et in defensionem regnorum Mtis. vre. ordinatum, coram declaret eaque faciat, que Mtas vra. mandaverit. Qui licet in hoc ipso negotio nunc versetur, ne quid tamen negligi contingat, ipsum quoque Trepka, qui hoc biduo ad nos a Mte. vestra rediit, ad predictas provincias

MDXX. misimus eo mandato, ut citatis axibus pergens, gentes earum, quas antea dudum paratas ubique esse jussimus, citra moram levandas movendasque curet ad regnorum Mtis. vre. protectionem utque pro voluntate et mandato Mtis. vre. omnia vel presens faciat, quecunque Mtas. vestra injunxerit, et hec quoad provincias, et si esset hic nobis paratus aliquis exercitus vel nervus unde comparari posset, auxilium nostrum a Mte. vra. desiderari certe non pateremur. Novit Mtas. vra. statum rerum nostrarum, novit, qua necessitate nos quoque laboremus, sed illam equiore ferremus animo, si ea saltem suppeterent, quibus Mti. vre. in hoc bellorum discrimine succurri a nobis posset. Dedimus autem mandatum ad quosdam officiales nostros, per quos archiepiscoptum colocensem et episcopatum agriensem, qui nuper vacaverunt, pro constitutione regnicolarum nostrorum occupari jussimus, ut gentes illarum prelaturarum instaurare expedireque in auxilium Mtis. vre. debeant, quos continue et literis et cursoribus urgemus, ut citra moram negotium perficiant. — Vellemus, Serme. rex, patrue amantissime, ut desiderio Mtis. vestre satisfacere cumulatius possemus. Accipiat quod possumus. Quod si tantum nobis esset virium tantumque facultatis, quantus est animus succurrendi, nihil laboraremus. Deus optimus, qui est exercituum dominus prosperet res Mtis. vre. et concedat, ut de omnibus hostibus suis Mtas. vra. gloriose triumphare possit. Posonii XI. Octobris.

CCCIV. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Ludovicum, Regem Hungarie etc.

Cod. G. R. Sacra Mtas., excellentissime princeps. Sermus. et clementissimus dnus. meus, dominus Sigismundus, rex Polonie, etc. commisit mihi nomine suo plurimam salutem et amorem suum perpetuum vre. Mti. referre et quod optimam valetudinem et felicissimos quosque successus vre. Mti. non secus quam sibi ipsi faveat et audire semper desideret.

Serme. et excellentissime rex. Rediens nuper a Mte. vra. Serma. mgcus. dnus. Andreas de Tanczin, palatinus tunc lublinensis et orator Sermi. dni. mei regis, retulit illius Mti. summum amorem et officium fraternum vestre Celsitudinis erga illum, ut que in hac necessitate Mtis. illius committere dignata est subditis suis vicinis, ut non solum non permitteret hostes illius Mtis. per suam ditionem transire, sed etiam suppetias, quas possent, ejus Mti. prestarent.

Quod tantum tamque opportunum officium vult et pollicetur illius Mtas. vicissim vre. Celsitudini et ejus regnis et dominiis, quandocunque opus fuerit, omne ope et facultate sua semper referre.

Significatum est vero Mti. sue; principes et status Inferioris Slesie decrevisse Mti. sue mille et quingentorum militum subsidium stipendio duntaxat menstruo. Quo licet intelligat sua Mtas. educi homines non posse, tamen hanc benivolentiam subditorum Mtis. vestre animo gratissimo suscipit et illis coram Mte. vra. gratias agit non vulgares.

Verum hostes Mtis. sue jam ad fines Prussie pervenerunt magno numero et apparatu, quia tanto studio et conatu facta est adversus illius Mtem. expeditio in Germania, quanta nunquam

quam fuerat adversus Turcos et quidem per eos, a quibus id minime fieri debuit, si qua ratio debiti et officiorum haberetur. MDXX.

Quare Mtas. sua cogitur solis viribus suis et his quidem in diversum distractis hostem tumultuarie sequi, ut se suosque tueatur, rogatque omni studio Mtem. vestram, ne se in hoc eventu deserat consilio et ope sua, qua poterit, ut subsidium decretum quantocius accelerari jubeat, quandoquidem illa fortunas et eventus omnes Mtis. vre. communes secum reputat illisque, ut solita est antea semper, ita et in posterum vult omni studio et facultate sua non deesse.

Ceterum non ignorat Mtas. vra., quanta sit facultas cuilibet wratislaviensi episcopo bene vel male merendi tam de Sermo. domino meo, quam etiam de vra. Mte., et proinde quum ad eam sedem rite et canonice electus sit rev. dnus. Jacobus de Salcza, vir cum rara virtute et doctrina preditus, tum utrisque Mtibus. vestris meritissimus et addictus, rogat impense Mtem. vestram Mtas. dni. mei: dignetur ipsum dnum. electum tueri et Sctmo. dno. nostro commendare. Nam preter hoc, quod Mtas. vra. merito defendere debet jura illius ecclesie, que Sermus. olim parens Mtis. vre. confirmavit, debet etiam Mtas. vra. illos intrudi prohibere, qui tam hostiliter sese gerunt erga clarissimam familiam Majestatum vrarum., et qui, quum nunc contra necessitudinem et officia in se prestita contra etiam federa et pietatem christianam, tantos tumultus et difficultates, quas jam dudum nulla injuria provocati adornabant, Mti. Sermi. domini mei excitarunt, post cujus terga tuto ab Infidelibus degunt. Non dubitat illius Mtas. quod illi actis radicibus in dominiis Mtis. vestre, idem in eam et ejus subditos committent, que nunc indignissime contra ejus Mtem. et ejus regnum patrare audeant.

Neque satis congruum videri posset in oculis omnium hominum, ut Mtas. vra., que Sermo. dno. meo potius adesse debeat, idque probe facit et testatur, e regione inimicos ejus et totius familie Mtum. vrarum. ad ea loca provehere, unde utrique Mti. vre. minus incommodare possent.

Quare rogat etiam atque etiam illius Mtas. vram. Celsitudinem, ut si illius Mtem charam habet, si illius et suo etiam statui recte consultum iri cupit, manuteneat et defendat ipsum dnum. epum. wratislaviensem et possessione dicti episcopatus illius adversarium omni diligentia et studio arceat et literas ac intercessionem suam, etiam intuitu dni. mei clementissimi ad summum pontificem, et favorem suum regium, quicunque necessarius illi fuerit, huic electo concedere dignetur, quique illius patrie indigena est et ecclesie sponse sue plurimum afficitur.

Quare et officio suo fungetur vra. Mtas. et Mtem. domini mei in his turbis suis plurimum consolabitur.

Anno MDXX. die X. Octobris datus salvus conductus Illri. principi Friderico, duci legnicensi ad Illrem. dnum. Albertum, marchionem, magistrum Prussie generalem, eunti et ab eo redeunti. Et ut si visum illi fuerit ac necessitas negotiorum ab eo tractandorum id postulaverit, secum inde duos, tres aut quatuor consiliarios

ac

MDXX.

ac oratores dicti magistri recipere, quibus etiam cum eorum familiaribus seu comitibus est securitas data ad decursum sex septimanarum a data presentium. Mandatumque capitaneis exercituum et militibus et omnibus regiis subditis, ut ab omni vi et injuria palam vel occulte seu quovis colore et pretextu ei inferenda se abstinerent.

CCCLV. Sigismundus, Rex Polonie, Wratislaviensibus.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Petente et requirente scripta nostra rmo. dno. Joanne, archiepo. gnesnensi, qui — ut sui debiti est — de statu et dignitate wratislaviensis ecclesie sollicitus est, quique ejus casus tam preteritos quam presentes longo nobis sermone et dolenter explicuit, mirati sumus, tantam inesse vobis dulcedinem cum personis ecclesiasticis conflictandi, ut vobis nullo fere tempore cum clero conveniat, unde etiam alii quidam impotentiores occasionem capiunt ecclesiam vexandi. Utcumque se res habet, quando non ignari sumus, eandem ecclesiam a majoribus nostris, inclitis Polonie regibus et monarchis, conditum esse atque fundatam tunc cum civitas wratislaviensis nec dum oppiduli quidem nomen obtineret, sitque nobis permolestum, vos rebus novis studere, que et odiose sunt et ecclesie dei adverse, sub eo presertim tempore, quo anni Sermi. principis, dni. Ludovici regis, cujus tutela ad nos quoque pertinet, plenam et prefectam etatem non attigerint, vos hortandos duximus et hortamur presentibus, ut ab hujusmodi inceptis vobis ipsis temperare velitis et per quietem, quam deus vobis concessit, non querere semina earum litium, que probrosos et infelices exitus vobis allatura sunt. Alioquin non poterimus prefati rmi. dni. archiepi. propositum non solum probare, sed studio quoque ipsius et sedulitati in defendendis ecclesie juribus, cujus nos a majoribus nostris fundatores sumus, pro regia nostra in ecclesias et ecclesiasticas personas benivolentia non deesse. In hoc facietis rem nobis imprimis placitam vobis vero ipsis non incommodam.*

CCCLV. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopo Plocensi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Rde. in Christo pater. Rediit istinc nuncius rev. Raphaelis de Leschno absque expeditione episcopatus premisliensis, quem illi contulimus. Que res plurimum nobis est molesta, quod ea presente Pte. vra. accidit, que cedit tum in damnum veteris et bene meriti servi nostri, tum in perniciosam sequelam regno nostro. Et quia rmus. dnus. cardinalis non ignorat, vel si ignoraret, vestra Ptas. illi et Sctmo. dno. nostro declarare debuit, que officia et quas partes agant in Republica episcopi regni nostri, ut illas nisi presentes et indigene neutiquam debite obire possint, plane nobis persuademus, eandem rem non adeo ex ipso rmo. dno. cardinali, quam ex instinctu alterius processisse. Quod nos utique non latebit.*

Queruntur

Queruntur consiliarii et subditi nostri, nunquam alias magis quam nunc nostrates in Urbe premi et infamari, et quod nos ipsi videmus, servitores nostros istic difficultatibus involvi et spoliari, qui alioquin nobiscum in tanta rerum perturbatione existentes, satis molestiarum et impendii sustinent, ne etiam ab iis insectentur, qui istic animo et genio suo in estu patrie indulgent. — Quare volumus, Ptas. vra. curet, ne ipsa expeditio amplius differatur et talibus deinceps obsistat, que nec solita sunt fieri, nec esse possent absque motu et detrimento regni nostri. MDXX.

CCCLV. Sigismundus, Rex Polonie, Wratislavienses.

Ex. cod. Federic. et reperunt scripta regia rev. dni Joannis, archiep. gnesnens. qui [illegible] ut sui debiti ac
mss. bibl. — de statu et dignitate wratislaviensis ecclesie solicitus est, quique ipse tanta pretendas
Ossolin. quanta presentes longo nobis servitio et labore [illegible], velimus nunc, tantum interea vobis
dilectionem cum perronis ecclesiastici complectendi, et vobis nullo fere tempore vestre clare conce-
rint, unde eisdem alii quidem impedimenta [illegible] ecclesiam secundi. Quamquè se
res habet, quando non ignoti nunc, sed [illegible] ecclesie, nobis Polonie re-
gibus et monarchis, conditum esse atque fundatum hanc cum [illegible] ne dum op-
pidum quidem nomen obtinuit, atque nobis permolestum, vos rebus novis studere, que et odium
sunt a ecclesie sue adverse, sub ea presertim tempora, quo nos Serm. principis, dni. Ludovici
regis, cujus tutele ad nos quoque pertinet, plenum et perfectum statum non attigerint, vos horta-
dos duximus et hortamur presentibus, ut ab hujusmodi inceptis vobis ipsis temperetis vestre et per
quietem, quam deus vobis concessit, non parvam curam habeatis, que profecto et ipsi
bene vobis allatura sunt. Aliquin nos paternum profuti rev. dni. archiepi. propositum
vos solum probare, sed studio quoque ipsius et solicitudi in defendendis ecclesie juribus, cujus
nos a majoribus nostris fundatores sumus, pro regia nostra in ecclesia et ecclesiasticis personis
benolentia non deesse. In hoc facietis rem nobis ingratam placitam, vobis vero ipsis non in-
commodam.

CCCLV. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopo Plocensi.

Ex. cod. Ildr. M. Christo patet. Redit ultro animus rev. Raphaelis de Jordano absque expeditione epi-
mss. bibl. — scopatus primidiensis, quem illi contulimus. Que res plurimum nobis est molesta, quod in pre-
Ossolin. sente Pol. rep. accidit, qui edit tam in damnum ecclesie et bene meriti servi nostri, tam in per-
niciosum regnum regno nostro. Et quo rerum divina pertinacia non ignorat, vel si ignoraret,
nostra Pros. Ill. et Excmo. dux nostro declarare debuit, que officia et quas partes apud in Re-
publica episcopi regni nostri, ut illius sibi presidia et indigeat neutiquam debite obire possint,
plane nobis persuademus, eandem rem non adeo ex ipso rmo. cardinali, quem ex instinctu
alterius processisse. Quod quidem non latebit.

Quemadmo-

Annus Domini Millesimus Quingentesimus Vigesimus Primus.

Annus Domini Millesimus Quingen-

tesimus Vigesimus Primus.

CCCLVII. Annus Domini Millesimus Quingentesimus Vigesimus Primus.

Hec infrascripta, licet sub finem anni preteriti MDXX. gesta sint, tamen, quia ego res gestas singulorum annorum a comitiis magnis inchoare ac supputare institui, visum est ea rebus ac negotiis hujus anni MDXXI., sumpto paulo altius narrationis initio, applicare. MDXXI. Cod. G. (MD XX.)

Anno superiore MDXX. Sigismundus primus, rex Polonie et Mg. dux Lithuanie, bellum gerens in Prussia adversus Illrem. Albertum, marchionem brandeburgensem, magistrum Cruciferorum in Prussia, quum cognovisset, exercitum in Germania per marchiones brandeburgenses aliosque Germanie principes adversum se scribi ac in auxilium magistro ad Prussiam tendere, missis per universam Poloniam literis nobilitatem regni sui arma sumere et in castra congregari curavit, locumque castris ad *Wangrowiecz* edixit. Quo ex loco, quum germanicus ille exercitus propius Prussiam accederet, castra ipsa cum tota militia ad *Bidgostiam* transtulit. In quibus plus centum milia equitum fuisse computabantur. In germanico vero exercitu peditum decem milia, equitum vero duo milia fuere. Qui licet a tanta multitudine militie polone facile opprimi poterant, rex tamen, pius christianus princeps, horrens profusionem christiani sanguinis, hostilem illam manum sine cede et sanguine vincere, finibusque suis expellere decreverat. Misit primum ad Gedanum, civibus illis flagitantibus, bis mille equites presidiarios, jussit deinde capitaneum marienburgensem, Stanislaum de Coscelec, palatinum calissiensem, Germanos transitum Visle fluminis tormentis bellicis ac militibus prohibere. Mox etiam misit aliquantam manum levioris armature et pharetratos sagittarios, qui, quaqua versum incederent Germani, victualia et commeatum eis preriperent incenderentque. Hi alacriter jussa regis peregerunt, assiduisque ac subitis die noctuque incursibus eos infestantes vehementer afflixerunt, non paucos occiderunt, plurimos captivos duxerunt. Postquam vero ad Vislam, flumen magnum, qui Prussiam a Polonia dividit, pervenerunt, in quo nusquam pontes erant aut naves, per ripam ejus incedebant, intenti, si qua trajectu invento penetrare ad magistrum potuissent. Quod licet interdum tentarint, trajicere tamen non poterant, tum quod Coscielecius eos ex illa parte fluminis tormentis terreret, tum quod regii illos ab hac etiam parte in citeriore ripa infestarent et nec navigia struere, nec tuto consistere sinebant. Fluvius etiam ipse magnitudine aquarum ex assiduis pluviis auctus ac late diffusus trajectum eis plane negabat. Hiems enim humida ac pluviosa erat, nec usquam paludes ac flumina glacie congelata fuere. Quam ob rem copie ille germanice nude alimentis, destitute continuis incursantium impressionibus, vigilia, insomnitate, fame, frigore, pluviis ac morbis afflicte ac imminute sub Gedanum venientes, ternos globos e ternis tormentis versus menia ejacularunt. Spe frustrati potiunde civitatis, tercio inde die in Pomeraniam ducalem conversi dilapsique execrantes militiam suam, non parvam exhibuerunt molestiam principibus, a quibus contra Polonos educti erant, acerbe ab eis exigentes stipendia, plerique ex his incurvati arboribusque innixi, alvum exonerantes mortui reperiebantur. Qui vero capti fuere, hi humaniter ac li-

MDXXI. (MDXX.) beraliter apud Polonos habiti et per regem, dato viatico, vestibus et conductoribus, ne a quoquam violarentur, abire in Germaniam jussi sunt.

Interim vero dum he germanice copie pelluntur e Polonia, rex ad Bidgostiam cum consiliariis et cum reliquo equestri ordine comitia magna egit, consultatumque est diligenter de bello cruciferico continuando. Ad quod prosequendum institutum fuit tributum publicum magnum in spirituales et seculares homines ab unacunque villa singuli floreni in moneta, ab unoquoque capite nobilium, patrum, filiorum, filiarum alii singuli floreni, a quolibet servitore grossi XV. a clero, a plebanis, a civibus, a colonis, ab omni denique hominum ordine grave tributum exactum, quo nunquam antea majus in Polonia fuisse auditum est; quod ad multas myriadas ascendisset, si fideliter ab omnibus collatum et integre in erarium illatum fuisset. Et licet exactoribus appositi fuerint superintendentes propter fideliter conservandam hanc pecuniam, caveri tamen non potuerunt ingentia furta, peculatus et defraudatio fisci publici. Dimidia fere pars hujus tributi ad utrosque fures istos publicos pervenit. — Res enim nova erat et latus campus impune furandi, quum non facile calculi ratio iniri potuerit propter incertam ac infinitam capitum solventium tributum multitudinem. Voragines insuper publici boni, optimates, vel, si mavis, pessimates, alii parum, alii nihil contulerunt. Pars non levis tributi in quitantias, ut vocant, petatium distracta.

Turbulenter hec comitia magnisque clamoribus in illa castrensi multitudine acta sunt. Gravissime querele seu impressiones fuerunt equestris ordinis adversus magistratus publicos de iniquis judiciis, de pluralitate officiorum incompatibilium, deque multis id genus injuriis. Quibus tandem utcunque sedatis et in aliud tempus rejectis decrete erant ad regulanda negotia regni constitutiones vim legum habentes: *De profectione nobilitatis ad bellum. De castellanorum potestate in bello. De mulctu absentium a bello. De emendandis ac corrigendis constitutionibus regni. De ratione agendi comitia. De pena turbantium conventus. De restitutione fugitivorum colonorum. De laboribus eorundem. De salariis officialium judiciis presidentium. De interdicta cum Marchitis mercatura. De non importando in Poloniam sale externo.* Quemadmodum hec paulo inferius hoc in libro ad verbum perscripte sunt.

Constitutis hisce rebus, pulsis e regno hostibus, dimissa etiam domum ex castris nobilitate, misso preterea in supplementum exercitus mercenario milite in Prussiam, rex ipsę cum consiliariis aliquibus a Bidgostia ad Brzescie, oppidum Cujavie, se contulit.

Ceterum antequam exercitus ille germanicus conflatus fuisset in Germania, cesar Carolus V. designaverat legatos ad pacem inter regem et magistrum constituendam. Verum cum audiisset exercitum hunc colligi, abstinuit tum ab oratorum missione. Tantam enim spem universa Germania de exercitu illo conceperat, ut pro certo sibi polliceretur, quod copiole ille ductu atque auspiciis magistri subito Polonos essent devorature. At postquam ea spes conatusque irriti ceciderunt, nec principibus germanis sumptus ad alendum exercitum suppeterent, ne magister, auxilio eorum jam destitutus, de ditione sua in Prussia periclitaretur, verterunt mentes suas ad pacis consilia egeruntque cum ipso cesare et cum Ludovico, rege Hungarie, ut missis legatis pacem vel inducias efficerent. Quos quidem legatos audiens rex ad se adventare, ad Thorunium se ex Brzescie recepit, ubi induciis quatuor annorum

norum constitutis deductisque e Prussia utriusque partis copiis, ad Cracoviam est profectus. Earum induciarum litere adscripte sunt inferius. MDXXI. (MDXX.)

Hisce autem tractatibus induciarum Petr. Tomicius, licet cum ceteris consiliariis vocatus fuerit, interesse tamen ac venire per adversam valetudinem non potuit. Is enim post finita comitia bidgostiensia ad episcopatum suum posnaniensem valetudinis curande gratia se contulerat. Ad eum egrotum Cricius plerasque hic subscriptas admirandas epistolas mittebat. Qui recuperata tandem valetudine Cracoviam XV Maji ad regem venit, et gratissime magnaque omnium gratulatione atque leticia exceptus fuit.

CCCLVIII. Decreta conventus Bidgostiensis. MDXX. d. IV. Decembris.

Sigismundus, Rex Polonie, etc.

Universis et singulis tam ecclesiasiasticis, quam secularibus prelatis, dignitariis, capitaneis, officialibus, terrigenis, civitatumque status et conditionis cujuslibet in regno nostro existentibus et ubicunque constitutis subditis, sincere et fidelibus nostris gratiam regiam. Sincere et fideles nostri dilecti. — Quum ea ad laudem et gloriam nostram pertinere scimus, que ex liberali animo (constitutiones vetustas manutenentes) petitionibus status militaris ordinis nobilibus regni nostri concedimus, que ipsis optatos profectus sine nostro incommodo afferunt. Quibus quidem tanto libentius eadem tribuimus, quanto ipsos alacri studio in nostra desideria propensius currere animadvertimus. Celebrantes itaque hunc generalem conventum tam consiliariorum nostrorum status quam nunciorum terrestrium ad hoc deputatorum consensu quedam sequentia capitula ad eorum petitionem humilem concepta et ab omnibus conservanda patefacienda putavimus et presentibus, ne cuipiam, cujus scire interest, occulta sint et ignorantie culpam generent, patefecimus. Cod. G. R.

Motio bellis generalis.

Statuimus et ordinamus, quod dum bellum generale juxta statuta antiquiora per nos et successores nostros indictum fuerit, extunc trine litere restium seorsum sive successive mittantur, et in ultimis literis restium nominabitur dies conventionum particularium in districtibus pro quo tempore castellani districtuum tenebuntur cum nobilitate convenire et constituere inter se unanimiter diem et locum ita, quod nobiles districtuum cum suis castellanis ad locum generalis belli designatum procedant et castellanus in profectione de nobilitate conquerentibus super damnis et injuriis justitiam faciat, inobedientem autem nobis et successoribus nostris deferat, quod si deferre neglexerit, extunc damna passis persolvet. Si vero idem castellanus egritudine vel aliqua alia causa absens fuerit, vel transire non poterit, ex tunc in locum suum alium idoneum nobilem deputabit ad premissa.

Castell.

Castellanorum facultas in conventibus particularibus et profectione ad bellum.

(De egrotis ad bellum ire non valentibus. R.)

MDXXI. (MDXX.) Item statuimus, quod in eisdem conventibus particularibus licebit eisdem castellanis, egrotos ad bellum proficisci non valentes cum aliquibus nobilibus revidere, et tandem nobis et successoribus nostris nomine talis egroti testes quatuor nobiles idonei nominabuntur, qui testes quatuor vel alii electi nobiles testes nominandi jurare debent super vera infirmitate cum eodem egroto convalescente, sed si ipse infirmus cum quatuor testibus non juraverit super vera infirmitate, extunc talis egroti bona impetrata debent secundum donationem nostram vel nostrorum successorum suum effectum sortiri, et nihilominus talis egrotus expeditionem debitam faciet bellicam.

De confirmandis juribus et consuetudinibus regni.

(De varietate juris in unam formam redigenda. R.)

Diversitas constitutionum diversas inter homines controversias generat, et diversi judices causas diversas judicantes intelligere et sentire coguntur. Supplicationibus itaque crebris nunciorum terrestrium moti in proximo generali conventu futuro omnibus consuetudinibus juribusque et statutis vetustis ex omnibus palatinatibus congregatis, reformationem omnium constitutionum per deputatos et deputandos jurisperitos regni nostri favente deo aggrediemur. Doctoribus etiam juris pontificii et legum adhibitis, qui a loco conventionis generalis proxime celebrande non discedant, donec eandem regni jurium et constitutionum debitam emendationem fecerint, et tales per nos deputatos vel deputandos expensis nostris providebimus, alios autem nobiles viros jurisperitos, quos nobilitas ex palatinatibus adjunget, suis expensis providebit, ita tamen, quod omnes palatini terrarum sub penis in constitutionibus nostris expressis consuetudines terrarum pro eadem proxima conventione nobis presentabunt.

Modus celebrandi generalia comitia.

Petiti a terrestribus nunciis celebraturi sumus generalem conventum anno proxime futuro tempore aliquo competenti, et permittemus particulares conventus in omnibus districtibus omnium palatinatuum regni nostri, in quibus ad generalem conventum proximum pro suo arbitrio deputabunt nuncios et suis impensis mittent, sex tamen nunciis, ex singulis palatinatibus majoribus missis, nos de more servato antea expensam pro arbitrio nostro dabimus. Ad conventum vero particularem quilibet nobilis illius districtus, ubi celebrabitur, venire debet sub pena X. marcarum irremissibiliter exigendarum ab his, qui habent villas suas integras. Hi autem nobiles, qui integram villam non habent, unius sexagene pena punientur. Infirmi autem et a regno absentes, vel alia legitima causa impediti ab his exempti esse debent.

Conventus

Conventus vero ejuscemodi generales de anno quarto in quartum celebrare tenebuntur usque ad duodecim annorum decursum et eodem modo premittere particulares conventus in districtibus. MDXXI. (MDXX.)

Pena in turbatores Comitiorum.

Statuto hoc presenti etiam sancimus: quicunque in conventibus hujusmodi rixas facientes gladios evaginaverint, pena marcarum XX polonicalium puniantur, si vero aliquem vulneraverint, extunc pena statuti antea promulgati puniantur. Et contra tales capitaneus loci inquisitionem et executionem facere debet, sub pena trium marcarum polonicalium; hi vero, qui crimine patrato confugerent ex regno, sunt banniendi et infames pronunciandi, prout et infames eos declaramus.

Pena absentium a bello.

Absentiam a presenti bello inobedientium nobilium merito punire debuimus severa et consueta punitione, contra tales semper observata; petitioni tamen terrestrium nunciorum supplici tribuentes, differre eandem decrevimus ad conventum generalem proxime celebrandum et presentibus differimus.

De kmetonibus fugitivis.

Quoniam equitate Dei suadente tenemur cujuslibet justitie et indemnitati prospicere, hujus statuti decreto sancimus: ut nemo audeat profugum kmetonem alicujus ecclesiastici seu etiam nobilis suscipere, qui a dno. suo ob presentis belli inflictam sibi calamitatem fugeret, sed sine strepitu juris quilibet teneatur ad requisitionem suo domino, sive ecclesiastico sive seculari, sponte restituere. Si vero requisitus quispiam talem kmetonem profugum restituere nollet, et se permiserit ad judicium castrense trahere, in primo termino convictus cum pena eundem restituere tenebitur et judicio castrensi licebit in proximo termino pro hujusmodi kmetonibus justitiam facere et quod justum est decernere. Que presens constitutio de kmetone fugitivo duntaxat ad unius anni decursum durabit.

De laboribus kmetonum.

Statuimus et ordinamus, quod omnes kmetones omnium villarum nostrarum regalium, spiritualium et secularium subditorum regni nostri secundum statutum conventionis thorunensis generalis prox. preterite, debent dominis suis *), exceptis villis nostris desuper privilegiatis, que expresse speciali privilegio docerent, quod loco laborum censum pecuniarium auxerunt; tales duntaxat privilegiis gaudebunt, alii ut premissum est, laborabunt.

*) unum diem in omni septimana laborare cf. Vol. leg. I. p. 394.

De salariis officialium judicii terrestis.

MDXXI. (MDXX.) Statutum per nos consiliariosque nostros status utriusque et nuncios terrestres de salariis judicum, subjudicum et notariorum terrestrium editum in suo robore permanere et in exequutionem extendi volumus et presenti constitutione districtius mandamus.

Prohibitio transitus per Marchiam mercatoribus.

Constituimus etiam in eodem conventu: occludendum esse transitum tam universis regni subditis, quam etiam extraneis mercatoribus per Marchiam, omnesque negotiatores sub omnium mercium ipsorum amissione in et extra Germaniam cum quibuscunque mercibus et bobus via prefata ire non debent, sed ea via per Glogoviam et alia via, qua antiquitus ire solitum est.

Sed quoniam in terras dni. ducis stolpensis per novam Marchiam ire hinc inde solitum fuit, nos autem nolentes nec nostris, nec ipsius dni. ducis stolpensis subditis et aliis mercatoribus negotiationem hinc inde prohibere, volentesque quantum possibile fuerit hoc prohibere, ut nemo in regnum nostrum veniens quam etiam ex eo transiens aliqua loca domini marchionis attingeret, et hic scire non valentes debitam locorum positionem, per que transitus utrinque commodius posset constitui, committimus mgco. et famoso Luce de Gorka, castell. posn. et capitaneo Majoris Polonie generali, cum consulibus posnaniensibus constituere et publicare transitum et loca, per que tam ex regno nostro in terras et dominia ipsius dni. stolpensis, quam etiam ex ejus terris et dominiis cum mercibus, sale tamen excepto, et pro aliis rebus, pro quibus ex usu vel necessitate eos in regnum nostrum venire contigerit, eadem via et non aliis obliquis transitus pateat sub mercium et equorum secus facientis privatione, qui viam ipsam evitantes ubique locorum prohiberi et arestari poterint. Quam hujusmodi constitutionem prefato dno. duci stolpensi ipse mgcus. Lucas de Gorka literis suis declarare debebit, ut subditis suis hec publicare faciat, precipiatque pro bona vicinitate, ut se in ea re hoc modo gererent, et cum dominia sua attigerint, ut similiter eis per ipsa viam constituet et designet, qua possent transire.

Prohibitio externi salis.

Etiam innitentes veteri statuto de extraneo sale edito, commodo fisci nostri regii et Reipublice providentes, prohibemus usum salis extranei cujuscunque tam hallensis quam grandinosi: hoc est crvpyasthej, quod per mare adduci solet, in locis universis terrarum Majoris Polonie, in quibus ex antiqua consuetudine uti solitum eodem sale.

Deinceps vero sale nostro regio ruthenico loco illius extranei utantur, ita tamen, quod ruthenici salis depositorium Bidgostie constituemus, ut ex eodem bidgostiensi depositorio ad loca illa, in quibus extraneo sale uti solitum erat, pretio porrigatur, de quo ita constituemus,

emus, ut in eodem depositorio singule tunne salis bene referte tante quantitatis, ut sal nostrum regium Thorunii vendi solet, una scilicet polonicali marca pecunie emantur. MDXXI. (MDXX.)

Quia vero hujusmodi porrectio salis ruthenici ad depositorium bidgostiense non potuit tam propere fieri, concedimus et admittimus, ut interim sale illo solito extraneo utantur, quoad illius tandem usum vetare commiserimus et capitaneis eum submoveri preceperimus, utpote quum salis ruthenici sufficientia huc ad depositorium bidgostiense convecta fuerit, publicatum esse debebit sex semptimanis, ante quam usus salis illius extranei cessabit, ut illud omnes divenderent, nec eo amplius uterentur. Tali modo a die publicationis post decursum sex septimanarum nemo illud in regnum invehere sub omnium bonorum et mercium suorum amissione, et nec quisquam eo uti audeat sub pena quatuordecim marcarum pecuniarum per eos, apud quos repertum fuerit, irremissibiliter solvendarum.

Etiam considerantes, quod licet constitutum fuerat, ut in Krayna et Paluki universi incole sale de zuppis cracoviensibus uti deberent, compertum tamen habentes, raro vel potius nunquam sale ipso nostro cracoviensi, sed extraneo, vulgariter krvpyasta dicto, uti non sine incommodo nostro et gravitate zupparum nostrarum, itaque statuimus, ut deinceps ipsi subditi nostri de Paluki et Krayna sale nostro ruthenico ad instar aliorum subditorum nostrorum, ubi sal saxonicum vendi consueverat, pretio superius expresso utantur sub penis superius expressis. Actum et datum in conventione generali bidgostiensi fer. III. ipso die S. Barbare virginis.

CCCLIX. Sigismundus, Rex Polonie, Duci Pomeranie.

Illme. princeps et dne. affinis charissime. Accepimus literas vre. Illtis., quibus declarat be- Cod. G. R.
nivolentiam et observantiam suam erga nos explicatque causas, quibus coacta fuerit commeatum hostibus nostris subministrare in damnum et detrimentum nostrum, et se nobis de his purgat. Nos tametsi preter omnem spem nostram nobis evenit, quod vestra Illtas. tam arcto affinitatis et amicitie vinculo nobis juncta adeo favorabilem se prebere debuisset ipsis hostibus nostris, ut et victum suppeditare et receptum in sua terra illis prestare voluerit, quod multi alii principes non adeo propinqui et necessarii nostri facere recusarunt, ut qui scientes quantum nobis negotii sit pro universa republica christiana cum Infidelibus et certiores nos de omnibus hostilibus conatibus in nos facere et omni favore adesse nobis consueverunt. Quibus hoc officium curabimus vicissim omni studio et favore nostro regio referre, doluimusque vehementer, Illtem. vestram aliter se nobis nunc in hac necessitate nostra exhibuisse, de cujus favore multa nobis semper pollicebamur. Tamen quum ita excusat et timori suo, quod miramur, asscribit, boni consulimus hanc ejus excusationem, hostes vero ipsi, ut rebus magnifice propositis et injuste ceptis ita etiam infectis repulsi per pauca presidia nostra et neque gentes nostras jam adversum se tendentes prestolati discesserunt, nosque auxilio divino et justitia nostra tutati sumus nostros et tueri non desistemus. Ea etiam, que a nobis defecerant, facili negotio jam recuperavimus

et

MDXIX. (MDXX.) et quod reliquum faciendum erit, brevi conficiemus. Quam vero decenter et utiliter aliqui vicini nostri, nobis immeritis, hoc damum et difficultatem procuraverunt assistendo et juvando hostes nostros, ipsi viderint. Valeat feliciter vra. Illtas. et nos diligat.

CCCLX. De Bello Prussiaco. Amicus amico.

Cricius fecit.

Cod. G. R. Lector mi. Copias illas germanas, tanto studio a magistro Prussie coactas, tantoque impetu et contemptu sese in Polonos ferentes, ut potentissimi regis invictas legiones spiritu se difflare posse crederent, eo redactas vides, ut unis mille equitibus, qui ad eas premendas erant consulto premissi, adeo continuis insultibus fracte sunt et attrite, ut non expectato regio exercitu et projectis illis orsis suis magnificis, turpiter et cum magno dispendio suo pedem referre sunt coacte. Quod vero invictissimus rex prelium e vestigio committendum recusaverit, quum omnium suorum arderent animi, pietati et solertie illius adscribito: ut qui eos hostes, qui christiani sunt, quique postea in exigendo stipendio suo futuri essent marchionibus inimicis suis, quam sibi graviores, maluit levioribus pugnis sensim exturbare, quam precipiti prelio tantum sanguinis christiani profundi. Pietatem vero regiam vel ex hoc cognosce, quod recuperatis vi oppidis, que ad hostes, ut Germani ad Germanos defecerant, et parcitum est oppidanis omnibus et presidiis hostilibus viaticum et conductores, quo tuto abire possent, sunt dati. Ad eumque modum toto isto bello nihil non actum est tractim et clementer in hostem consanguineum, quem reduci ad cor non perdi regia benignitas semper voluit. Porro licet Poloni dudum tante existimationis ordinem subjugarunt, et nunc illum invicta manu asserunt, non tamen ob id, que ipsorum est modestia, negant, Germanos cum omni alia laude tum ea, que bellica est, claros esse. Verum viderint illi vicissim, ne Polonos deinceps culices esse ac turpe ab illis vinci putent, quorum victrices manus non ipsi modo, sed etiam reliqui omnes vicini populi sunt sepe experti. Sed libet occinere paululum.

Divo Sigismundo, Polonie regi invicto.

Quas tua non meruit, rex invictissime, laudes
  Hec pietas belli consiliumque tui;
Expertus, quid opus que congrua tempora bello
  Quod duret vires sustineatque tuas
Mitius insanumque volens tractare nepotem
  Et belli autores ense ferire suo
Cedere vitasti populo frendente cohortes
  Cogere, quas scires, ut tibi terga darent.

Ut

Ut Lapitum se more seccet conjunctio prava MDXXI.
(MDXX.)
Plus cepti penas deinde datura sui.
An tibi, cui fuerant hominum tot milia castris,
Difficile has acies perdere posse fuit?
Hectorea quos mille viri virtute fugarunt?
Insultu attritas nocte dieque suo?
Sed placuit pietate magis tibi vincere et arte
Quam cede. O rari principis officium!
At nunc i, Germane, crucem defende profanam
Et contemne armis arma polona tuis.
Heu tibi magnificis tua verba minantia ceptis
Quo redeunt? montes quid peperere tui?
Milia qui centum voluisti vincere nostra?
Vi speculatorum tam cito pressus abis?
I qua signatus, pro qua pugnare coisti
In magnam atque malam protinus ipse crucem
Tractandus fueras melius pro talibus ausis.
Regia at in presens sit pietate satis.

CCCLXI. In exercitum Germanicum Polonos fugientem.

Jo. Dantiscus fecit.

Quod deus esse solet ceptis adversus iniquis,
Ex actis liquido temporis hujus habe.
Promissis fretus miles, Germane, rapinis
Sarmaticum fueras ausus inire solum,
Sericas sperabas nigre pretiosa sabelle
Vellera, que Tyriis sunt decorata togis,
Sperabas gemmis, auratis torquibus, armis,
Exuviis et equis non sine laude frui.
Jamque velut victor partitus es oppida et agros
Speque tumens super his scripta superba dabas.
Sigismundus ad hec, rex invictissimus, apte
Cunctando intrepido pectore cuncta tulit.
Inprimisque deo, non ut dux vester ad artes
Conversus magicas, seque suosque dedit.
Nunquam deseruit justos et recta petentes
Omnipotens, quem tu ledere sepe soles.

MDXXI.
(MDXX.)

Quem tu tot probris per viscera, vulnera, mortem
Perque sacra illius singula membra notas.
Solus hic ex nutu rerum moderatur habenas
Et fiunt subito, que fieri ille jubet.
Ille piis oculis partes respexit ad equas
Et justas placida pertulit aure preces,
Terruit inflatas subita formidine gentes
Et turpi pressit corda superba metu.
Nil vagus incessus, nil grande sonantia verba
Armaque profuerunt, tela mineque nihil.
Cesus es, es captus toties et deinde repulsus
Victus et a parva non sine clade manu.
Sic modo pro nigris cutis est data nigra sobellis,
Quam dedit inclemens fumus et aura tibi.
Proque auro et gemmis succurrit turpis egestas
Ex hac militia est, que nisi sola comes
Et quod equo celeri germana per oppida ferri
Sperabas, macer hinc vix pedes ire potes.
Exuviisque cares, pannosus, nudus inopsque
Absumptusque fame turpiter inde fugis.
Et modo qui fueras partitus terras et urbes
Jam profugo nusquam stat tibi certa domus.
Pellere quum quondam celesti sede Gigantes
Tentavere Jovem, quid retulere, liquet.
Tu quoque junxisti tumefactus Pelion Osse,
Sed subito fractus fulmine ad ima cadis.
Quis dare te jussit tam paucis terga Polonis?
Qui te prutheno jussit abire solo?
Esse deum credas, justa qui singula lance
Librat et elatis cepta secunda negat.
I nunc, et jacta te Gallos teque Britannos
Ante quam tot Latios te superasse duces.
Que te Sarmaticas fugientem turpiter oras
Gloria, quod sequitur te fugitive decus?
Nosce viros hic qui gelidam nascuntur ad Arcton
A te contempti namque fuere prius.
Hi toties Moscos stravere Scythasque Getasque,
Cum quibus assidue martia bella gerunt.
Teque procul tutum tranquilla per otia reddunt
Contra hostes promptique semper ad arma crucis
Quam modo qui merito deberent nemo tuetur,

Sint

Sint etiam asstricti religione licet. MDXXI. (MDXX.)
Immo crucis nuper juncti sunt hostibus, illam
Quamvis veste gerunt non tamen intus habent.
Nunc igitur vindex scelerum deus extitit equus,
Te propere in turpem compulit ire fugam.

CCCLXII. Sigismundus, Rex Polonie, Bone Sfortie, Regine Polonie.

Post exturbatos Germanos e finibus nostris et converso exercitu nostro adversus magistrum, qui ex altera parte fluminis suis copiis subditos nostros oppugnabat, e vestigio ille id sentiens, non expectatis nostris, pedem retulit et ad tutiora loca sua se recepit atque benignitate dei citra multam sanguinis profusionem dispulimus hostes nostros et conatum illorum inanem fecimus. Quid deinceps agere decreverimus, Mtem. vram. certiorem reddemus, cui plurimas gratias agimus, quod nos per nuncium suum visere suamque bonam valetudinem una cum suavissimis liberis nostris declarare dignata est. Nos etiam gratia dei recte valemus, nisi quod in tedio sumus absque Mte. vra., que felicissime valeat et nostri sit memor. Ex Breste XVIII. Decembris. Cod. G. R.

CCCLXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Ducibus Masovie.

Illres. dni., sincere nobis dilecti. Memoria tenemus, nos vris. Stibus. jam pridem significasse de violentia illata per nobilem Zabiczki, subditum illarum, generoso Gregorio Skora de Gay, subdito nostro; hactenus tamen non est ministrata illi justitia neque damna resarcita. Ut autem ea res citius finiri jure mediante possit, postulamus a vestris S., designare velint aliquos consiliarios, qui cum nostris consiliariis in aliquo loco convenientes partem utramque audirent et id quod justum et equum videbitur decernerent. Ita enim et pax vicina conservabitur et dictis subditis precludetur via, aliter quam jure pro injuriis suis agendi. Facient in hoc vre. Stes. rem justitie consonam et nobis gratam. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCCLXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Bonner.

Generose. Accepimus literas tuas etc. Quod autem graviter fers ea, que in te hic per nuncios terrarum dici debuerunt, scito, nihil expresse in te dictum esse, sed et ille, qui coram aliis nunciis loqui nominatim de te debuit, postea id negavit. Omnia vero ejusmodi verba neque apud consiliarios nostros accepta fuerunt, itaque te non moveant tales sermones inanes aliquorum privatorum, Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

MDXXI. (MDXX.) *vatorum, qui nec a nobis ipsis abstinent suntque nullius prorsus momenti, et cum nos liberi simus imperii et ex nullius prescripto vivimus, non est quod verearis; nam nos nulla in re tibi deesse volumus, nec te quoquo modo impeti patiemur.*

CCCLXV. Sigismundus, Rex Polonie, Stephano Batori, Palat. Regni Hungarie.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Spectabilis et mgce. Caspar Gorasdowski, subditus noster genere nobilis et animo, desiderium cepit tue Sti. servire in equis, qui, quod una cum familia sua erga nos bene meritus est et gratus est nobis, subditos nostros apud exteros versari, ubi commodius excoli ac deinde nobis et regno nostro majori ex usu esse possunt, commendamus eum tue Sti. non vulgariter, rogamusque illam, ut ei stipendium ad aliquot equos ascribere et ei benignus dnus. esse velit. Rem et gratam nobis et sua in nos propensione dignam faciet.*

CCCLXVI. Andreas Kriczki, Pptus. Posnan. Secretarius, Petro Tomiczki, Epo. Posnan. Vicecancellario.

Cod. G. R. Rme. mi dne. Etsi nihil est quod scribam novi, nolui tamen nuncium hoc pretermittere, quin viserem vestram rmam. Dtionem. quantum licet literis meis, quam omni cura oro et obtestor, me per occasionem non gravetur certiorem facere, quam recte et feliciter convalescit, que una res me magis anxium habet, quam ut dici possit. Majestas regia languit a febre his tribus diebus, convaluit tamen jam degustatis prunis suis, et quo hinc se recipiet adhuc incertum.

Dnus. Nicolaus Firley, palat. sandomiriensis, plurimum optat salutem rme. Dtioni. vre. et se illi intime commendat.

Nostri ecclesiastici cracovienses festinant in edenda contributione synodali, ut se ab hac nova eximant. Quod nullo modo fieri poterit citra tumultum perniciosissimum, etiamsi decem contributiones daremus non conformes suis, eas seculares nihili facient. Ut igitur ora illis obstruantur et vitetur duplex onus, consultissimum esset, sistere in publica contributione forte minori quam sit synodalis, alioqui bina exactione facile Clerus ad interitum redigetur. Me rme. Dtioni. vre. humiliter commendo. Ex Bresce die S. Stephani.

CCCLXVII. Leo, Papa Decimus, Carolo V., Cesari.

Cod. G. R. Charissime in Christo fili noster, salutem. Non dubitamus, Mtem. tuam scire, quam atrox et crudele bellum jam pridem inter charissimum in Christo filium nostrum, Sigismundum, Polonie regem, et dilectum filium Albertum, ex Marchia brandeburgensi, magistrum hospitalis

pitalis domus S. Marie Theutonicorum in Prussia esse ceperit, pro quo sedando et penitus extinguendo quantum nos laboravimus, non solum literis, sed propriis etiam nunciis utrumque eorum pie hortando, monendo ac etiam rogando, ut ab armis discedere ac pro discordiis inter eos exortis via juris aut amicabilis compositionis, non autem de facto procedere vellent, omnipotentem deum — cui nota sunt omnia — testem habemus, ipsaque Mtas. tua alia ex parte nobis conscia esse potest, ad quam pro hujusmodi bello sedando nonnunquam scripsimus. Meminimus etiam ad inclyte memorie Maximilianum imperatorem electum, avum tuum paternum, dum in humanis ageret, sepius scripsisse, ut consideratis periculis et scandalis, que ab hujusmodi dissensione oriri possent, auctoritatem suam interponere ac Sigismundum regem et Albertum, magistrum prefatos amicabiliter componere vellet, quod ipsum si diutius vixisset omnino facturum fuisse credimus. Cum nuper autem intellexerimus, inter eosdem bellum predictum adeo recrudescere cepisse ac tantos apparatus fieri, ut inde maximum et universe Christianitati perniciosum timeatur incendium ipsumque Albertum magistrum complures Germanie tue populos federe sibi conjunxisse ac magnum exercitum comparasse, eundem vero Sermum. regem, qui hactenus Tartarorum bellum magnis laboribus et impensis egre et difficulter sustinuit eorumque, ne Germaniam et alias Christianorum provincias irrumperent, impetum ac furorem repressit, nunc ut eidem Alberto magistro magna et dira in eum molienti resistat, invitum cogi, civitates et loca, que Tartaris et Moscovitis perpetuis hostibus suis confinia sunt, solito presidio quasi denudare et fere omne virium et copiarum suarum robur in unum colligere, ut Christianis, a quibus atrociora et magis crudelia, quam ab ipsis Infidelibus timet, obstare ac se regnumque suum tutari valeat, vix cogitari nedum scribi enarrarique posset, quantum animi dolorem senserimus et quam gravi cura continue afficiamur considerantes presertim ac memoria repetentes, quam gravia et perniciosa illa scandala fuerint, que pluribus abhinc annis propter eadem ipsa bella contigerunt, qualia si — quod deus avertat — nostris temporibus, quibus eorundem Infidelium et Scismaticorum vires et opes plurimum aucte multiplicateque sunt, acciderent, universa res christiana in maximum periculum adduceretur. Nos itaque animo nostro perpendentes, quid in re hac tanti ponderis et momenti facere nos oporteat, qui nec in minimis quidem absque nota negligentes esse possemus, ac etiam considerantes, quam parum literis ac nunciis nostris pro pace inter Sermum. regem ac magistrum predictos componenda profecerimus, oculos in Mtem. tuam direximus, que tantis malis auxilium et remedium aliquod afferre potest ac debet, quippe que sacra rom. ecclesie advocatus existit, eundemque Sermum. regem benivolentia exorare, Albertum vero magistrum auctoritate inclinare ac flectere potest, ut bello abstineant, et si quas inter se controversias vel differentias habent, eas nobis, qui equa lance omnibus ministramus, moderandas remittant. Debet etiam Mtas. tua illud attente considerare, quod si dictum bellum extinguendum curabit, omnium Christi fidelium paci et quieti consulet providebitque, ne mali contagio in Christianorum provincias serpere vagarique possit, deinde Sermum. regem, pacis erga Christianos cupidum, maximo beneficio sibi in perpetuum devinciet eique causam dabit, ut relicto bello, quod invitus contra Christianos agere, vel potius a se regnoque suo defendere ac propulsare cogitur, vires et arma sua contra Tartaros et alios In-

MDXXI. (MDXX.)

MDXXI. (MDXX.) fideles ac Scismaticos convertat eosque, ne in Christianos impetum faciant strenue prohibeat et sic principum Christianorum tutele ac defensioni propriis laboribus, impensis atque periculis suis, ut hactenus fecit, libere vacare poterit. Quare Mtem. tuam hortamur atque paterna charitate requirimus, ut, cum opus hoc pacis inter Sermum. regem et magistrum prefatos componende sit adeo pium, laudabile et honestum eidemque Mti. tue ac universe Christianitati utile ac necessarium, ei totis viribus incumbere velit, ac oratores suos ad utrumque illorum mittere, qui una cum nostro ac aliorum regum ac principum nunciis et oratoribus ibidem existentibus eos ipsos ad arma deponendum ac pacifice ut fideles Christianos decet inter se degendum inducant. Datum Rome die XXVI. Decembris a. MDXX.

CCCLXVIII. Leo, Papa decimus, Alberto, Magistro Cruciferorum.

Cod. G. R. Dilecte fili, salutem. Cum ex ea die, cum ad summi apostolatus apicem divina favente clementia assumpti fuimus, memores verbi illius, cujus vices in terris gerimus, et qui ascensurus ad patrem discipulis suis dixit: „pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis," nihil majore studio, cura et diligentia nobis proposuimus, quam sublatis omnibus principum, regum et potentatum christianorum discordiis, simultatibus ac bellis, que usque dum in minoribus eramus, non modo Italiam sed alia fere omnia Christi fidelium regna diu maximeque vexaverant et tempore assumptionis nostre adhuc vigebant, concordiam, unionem ac pacem inter eosdem principes et potentatus procurare et dextera domini propitia nobis assistente, bella ipsa, si non perpetua pace in totum extinguere, quinquennalibus saltem induciis suspendere obtinuissemus, gravi molestoque animo tulimus, inducias ipsas a te et charissimo in Christo filio nostro, Sigismundo, Polonie rege, primum violari cepisse, a quibus id minime timendum videbatur tum quia strictissimo necessitatis vinculo inter vos conjuncti estis, tum maxime, quoniam dictus Sermus. rex bellis adversus Tartaros et Moscovitas aliosque Infideles et Scismaticos jam pridem assuevit indeque gloriosas victorias et opimos triumphos reportare didicit, tu vero ac universus ordo tuus religionis ipsius vestre instituto, eorundem Infidelium ac Scismaticorum adversus Christianos impetum reprimere ac prohibere tenemini. Pro quibus inter vos discordiis ac bellis sedandis et extinguendis quantum semper laboraverimus, non solum plures literas nostras, sed plures etiam nuncios non sine gravibus incommodis et expensis ad longinquas partes destinando, ipsum deum, cui nota sunt omnia, testem habemus, possetque inclyte memorie Maximilianus, imperator electus, si adhuc in humanis ageret, nobis testimonium perhibere, quam paterna charitate cum sepe alias, tum maxime quando ad dietam illam, que inter ipsum et eundem Sigismundum aliosque reges et principes indicta fuerat, se accingeret, proprio nuncio ad eum destinato hortati fuerimus, ac et id rogaverimus, ut ante omnia inter eos tractanda et concludenda negotia, sanctum et necessarium pacis et unionis inter te et dictum Sermum. regem opus primum concluderetur ac postea, ut neuter vrum. ignorat, vos crebrioribus literis et nunciis ad pacem hujusmodi pro publico Christifidelium omnium ac privato

vato vestro ac subditorum vestrorum bono amplectendam hortari, monere attenteque requi- MDXXI.
rere nunquam destituimus, non ignari, quanta universo christiano orbi tempestas immine- (MDXX.)
ret, nisi opportuno pacis inter vos remedio provideatur. Sperantes autem, vos, tanquam nostros et obedientie filios, salutaribus consiliis ac paternis monitionibus nostris obtemperare paratos esse, nec recusare, quominus differentie et controversie omnes vre. per venerabilem fratrem Zachariam, epum. gardiensem, ob hanc potissimum causam nuncium nostrum a nobis istuc destinatum, diligenti examine ac processu desuper factis, interjecte et ad nos transmisse, per nos ac venerabiles fratres nostros s. rom. eccl. cardinales, matura deliberatione prehabita, via juris vel amicabilis concordie deciderentur ac fine debito determinarentur. Nobisque persuadentes, vos ab hujusmodi bellis cessaturos fore, nuper ex dilecto filio Joanne Thedaldo, cive florentino, quem una cum dicto Zacharia epo. nuncium etiam nostrum destinaveramus, ad nos reverso intelleximus, bella inter vos adeo recrudescere cepisse ac tantos utrinque apparatus fieri, ut inde maximum ac universe Christianitati perniciosum timeatur incendium, ipsumque Sermum. regem, qui nunquam suis omnibus viribus contra te et ordinem tuum uti voluit, ac proprios fines a tuis incursionibus defendere ac tutari, quam fines tuos depopulari maluit, tum quia suus ex sorore germanus nepos existis, tum maxime ob reverentiam beate virginis, sub cujus invocatione militia tua instituta fuit, nunc demum, ut immodicis tuis conatibus resistat, vi cogi atque compelli novum exercitum conscribere et impensas, quas contra eosdem Infideles et Scismaticos paraverat, contra exercitum tuum facere. Que res quam graviter nos commoverit et quam acerbo vulnere cor nostrum sauciaverit, vix cogitari nedum scribi enarrarive potest; nec satis intelligere possumus, quis vester animus, que mens, quodve consilium sit? eas contentiones et discordias adeo pertinaciter fovere et persequi, quarum infelices ac utrique partium miserabiles exitus utique formidaretis, si plurimarum calamitatum, que aliquot ab his annis propter bella tam inter vos quam predecessores vros. gesta contigerunt, memores esse velletis, quod nisi divina clementia nuper factum fuisset, ut Selimus, Turcarum tyrannus — qui cum Tartaris ea tantum causa, ut vos destrueret, fedus inierat — e medio tolleretur, nemini dubium, quin vris. dissensionibus magis quam suis viribus fretus atque confisus, vos aggressurus ac utriusque statum bello sibi vendicaturus fuisset. Nos igitur preteritorum memores et que accidere possent considerantes, quelibet necessaria et opportuna remedia ita excogitare ac providere statuimus, ut gregis nobis commissi curam neglexisse minime videamur. Et propterea cogitavimus ultra commissionem eidem Zacharie, epo. et nuncio, nuper datam, etiam ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum, Rom. ac Hisp. regem catholicum, imperatorem electum, scribere, ut qui s. rom. eccl. advocatus et utrique vrum. necessitudinis vinculo conjunctus existit, et causa istec non solum universe Christianitatis communis est, sed ejus quoque imperii statum tangit, officii sui debito fungens ac publice simul et private utilitati consulens, literis ac oratoribus suis utrumque vestrum ad perpetuam pacem et concordiam ineundam eamque firmiter servandam hortetur et moneat ac pios et sanctos conatus nostros adjuvet talesque pacis conditiones vobis proponere studeat, ut illas neuter vestrum valeat recusare. Quod ipsum pro viribus facturum fore non dubitamus. Que remedia nostris conjuncta si, ut

speramus

MDXXI. (MDXX.) speramus et optamus, valida et efficacia erunt, omnipotenti deo bonorum omnium autori gratias agemus, si vero minus, censurarum severitate uti tandem cogemur. Ad quam ne deveniamus, te, dilecte fili, hortamur et in virtute sancte obedientie, quam nobis et huic sancte sedi prestare teneris, requirimus, ut in hujusmodi concordie negotio cum predicto rege tractando ita te geras, ut omnes intelligant, per te non stetisse, quominus concordia ipsa, quam tibi paterna charitate persuademus, contemplatione nostra concludatur teque eundem Sermum. regem, avunculum tuum, in verum patrem habere ac injurias omnes perpetue oblivioni mandare. Quod si ex parte tua, ut speramus, feceris, magnum apud omnipotentem deum meritum, nec minorem apud homines gloriam consequeris ac talem insuper a nobis gratiam inibis, quod te paternis monitionibus nostris paruisse nunquam penitebit. — Datum die XXVI. Decembris a. MDXX.

CCCLXIX. Leo, Papa decimus, Zacharie, Epo. Gardiensi, Nuncio suo.

Cod. G. R. Venerabilis frater, salutem. Fraternitatem tuam latere non debet, quantopere nobis displiceant dissensiones et bella inter charissimum in Christo filium nostrum Sermum. Polonie regem et magnum Prussie magistrum existentia, pro quibus sedandis et componendis omnem operam ac diligentiam adhibere intendimus et propterea non solum ad Sermum. regem et magistrum prefatos, sed etiam ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum, Rom. et Hisp. regem Catholicum, imperatorem electum, efficaciter scribimus, prout ex ipsarum literarum copia presentibus inclusa eadem Frtas. tua videre poterit, cui per presentes committimus et mandamus, ut pro pace inter eosdem regem et magistrum componenda nostram auctoritatem interponere ac omnia efficere procuret, que paci hujusmodi viderit expedire, atque ita se gerat in premissis, ut ejus opera et diligentia in conspectu nostro valeat commendari. Datum Rome die penultima Decembris MDXX.

CCCLXX. Andreas Cricius, Petro Tomiczki, Epo. Posnaniensi, Vicecancellario.

Cod. G. Rme. in Christo pater et domine, dne. colendissime. — Affectus summo dolore et estu scribere non possum ut expediret vestre rme. Dtioni. prolixius, verum benevolentibus nostris, ut prius, me cum dno. Nicolao monentibus, ita nunc aliis coram, aliis per literas nos incusantibus et increpantibus, iterum illam per dei atque hominum fidem oro et obtestor, ut tandem asserere se velit: segregare a se occasiones et eas Syrenes, que consuetudine et colloquio animum egrum magis incendunt et in preceps agunt. Adhibeat medicum animi sui, non Judeos sceleratos et muliercularum deliramenta, perniciem animi et laqueos demonum, sed probum et prudentem virum, qui instillet et moneat, quid ejus existimationi summe, quid ordini ac etati ejus conveniat, doceat talem esse portum qualem navigationem,

nem, commemoret exempla multorum dignissimorum hominum, qui dum in his, que om- MDXIX.
nes videbant, ipsi cecutirent, acti sunt in preceps, non irretiri posse, nisi eos, qui hoc stu- (MDXX.)
dio et consuetudine conflictantur et se sponte sua laqueis venantium involvunt, declaret, non posse abscondi civitatem supra montem positam, nullam esse in lupis fidem et probitatem, non id tamen credi ab irretitis, adducat in animum christiani principis, antistitis, doctoris officia, inculcet in ejusmodi eventibus non videri, quid deceat, que recta et salutaria sunt, non posse ab his emergi malis nisi pugna propria, in qua ejusmodi precepta et revolutiones animi tela sunt tutissima ad eas Syrenes conficiendas. Quorum tamen hoc potissimum est et primum, licet durius, abdicare a se omnes occasiones. Scriptum est enim: „qui amat periculum, dignus est, ut illo pereat.“ Insuavia hec forte futura sunt auribus, nec convenientia mihi adeo his et forte majoribus casibus obnoxia, sed que salubria esse vel in me ipso sum expertus. Placet mihi advocari turbam medicorum, verum magis placeret, qui animam clausam tenebris et carcere ceco ad lucem et salutem reduceret, non inserviret auribus, sed amarioribus poculis animi morbum educeret.

Veniunt huc hospites illi, filius videlicet Circes trivenefice, cum qua etiam familiaritatem habet fundi nostri calamitas, que quid agat, quid coquat et excantet, quid subministratum sit ab his, qui se regnum habere putant, quum herum suum his ineptiis irretitum habent, scimus, ingemiscimus, conficimur. Volui sedulo me a scribendis his continere, que acerbiora videntur, quamquam quid acerbum esse possit, quod rectum sit et recto animo scriptum? Sed nescio quo modo invitus in hec scribendo dilapsus sum; que tamen non dubito gratiora futura, quam illa, que tam rarum in terris presulem et omnium nostrum salutem fallerent, et magis in morbum detruderent. Non dubito, si paulo vim sibi inferre volet, non cogitatione et suspiriis tacitis, sed colloquiis et rebus ab hoc incentivo longe diversis et auditione lectionis frugifere, facile has nenias et casses venificarum evadet seque asseret, alioqui, que corpori adhibet et lavat laterem et valetudini magis officit. Non miretur rma. Dtio. vra. me cum illa adeo perfricta fronte agere et ea precepta fundere; summus dolor et sollicitudo hanc audaciam parit, hanc creat philosophiam. Videtur enim mihi non secus quam de salute mea propria res agi, igitur humillime supplico, in eam partem accipere dignetur. Cui me ex toto corde commendo et rogo: faciat scribi sepius de valetudine sua, ne semet fatiget. Ex Brzescie die Lune S. Silvestri MDXX.

CCCLXXI. Andreas Cricius, Petro Tomicio.

Rnde. domine, dne. colendissime. Quod binis literis pro debito meo commonui et suasi, uti Cod. G. R.
virum aliquem prudentem ad se accersiri faceret, cum quo nude omnia loqueretur et qui in hoc eventu sciret opportune et salubriter consulere tam animo quam corpori, ad eamque rem nemo magis ex usu videtur, quam noster pater commissarius, qui et summus amicus est et rerum humanarum peritissimus. Ego, mi rme. dne., utcumque non senex sum, tot tamen et tantis ejusmodi casibus actus fui, ut meminisse horreat animus; semper autem ejus fui animi, ut maluerim me amico cuipiam concredere cauto et prudenti, quam

MDXXI. ejus sortis hominibus, qui neque recte consulere scirent, nec se et scita continere, proindeque sepe ex magno naufragio evasi, stultitiam et errorem meum minus prodens. Et proinde in adversis nihil prudente et humano tamen amico charius, nihil magis necessarium, quo nunc rma. Dtio. vra. ut non careat, per ejus et omnium nostrum salutem oro et obtestor. Faxit dominus deus, ut vra. rma. Dtio. hoc novo anno novum hominem et sanitatem induat. Convalescat brevi optime. Ex Brzescie die circumcisionis.

CCCLXXII. Andreas Cricius, Ppus. Secretarius, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. G. R. Rme. in Christo pater, dne. colendissime. Incidi in eum nuncium jam ad iter accinctum et proinde opus est laconismo uti.

Gaudeo rmam. Dtionem. vram. sensim reviviscere, ita enim est mos uniuscujusque egritudinis, ut libratim veniat, unciatim discedat; satis est, ventum esse ad veram convalescentiam, nec opus censent omnes, nisi bono regimine et gaudio; nam quod alias curationes attinet, non fuerunt apud me unquam pensi alicujus nenie iste; tamen nihil pertermittendum censeo, quod salutare videretur.

Mitto rme. Dtioni. vre. literas ex Cracovia allatas et misissem lubens vasculum prunorum, quod dnus. Boner misit, si quem nancisci possem, qui illud ferret.

Misit magister Islsza ex Urbe practicam pro filio regio, quam inscrispserat rme. Dtioni. vre., et in absentia Mti. regie. Eam ego aperui et dedi Mti. sue, quam jussus sum mox legere. Utinam vera sit. Nam superat omnes reges, qui sunt aut fuerunt unquam, corpore, fortuna, imperio, opibus et longa vita.

Mtas. sua summam indicat animi sui molestiam. Trahunt illam domini in Prussiam et illa suspirat Cracoviam et per circuitionem verborum, ut sua est modestia, innuit quod cupit. Cepit Mtas. sua languere aliquantum his duobus diebus, non tamen pro ullo medico mittere vult, licet urgeant domini, quasi dicat, se ad illos ire malle, et ego nescio, quare illum adeo torquent desiderio conjugis tam diuturno.

Dominus Nicolaus de Schidlowyecz, thasaurarius regni, missus Marienburgum ad faciendum delectum et exercitum instaurandum. Eum, dicunt, expectari oportere et demum fieri posse, ut Mtas. sua viseret Cracoviam.

Ego, ut jubet vra. rma. Dtio., nullum hic laborem detrecto, verum quid inde fructi habeam vel ex hoc cognoscat. Advocaverat me nuper seorsum Mtas. regia et literas ad dominam reginam et alios scribi fecerat. Que res nescio quam suspicionem fecit dno. Christophoro Schidlovicio, regni cancellario, ita ut vultu quandam indignationem indicaret, quum et apud illum sigillate sint et ego retulerim illi omnia, que mihi commissa fuerunt non utique secreta. Atque ita cum ageretur postridie de scribendo ad cesarem pro Gedanensibus, quos ad conventum imperialem citari fecit, cum multis preconiis postulavit a rmo. dno. Mathia Drevicio, epo. wladislaviensi, ut exemplum scriberet. Quod cum sequenti die lectum esset, illud Mtas. regia palam mox improbavit, et quum illius sententia quereretur, ad

me

me innuit. Ego dixi, quod mihi videbatur, id quod Mtas. sua et omnes mox approbarunt, MDXXI.
sicque retrusus sum ad laborem hunc non modo durum, sed etiam periculosum, quo jam libens vel hac occasione caruissem.

Supplico rme. Dtioni. vre. animum illum suum excelsum resumere dignetur; nam ea illius tanta dejectio quibusdam adlubescere videtur, sepiusque illius quasi mirabundi solent meminisse, quum gratia dei nihil sit periculi, nisi quod in ejusmodi morbis id peculiare est, videri se defici et mori atque inde solere corpus alterationibus affici. Et ideo non est mirum, si insomnia et varietas urinarum accidit. Sapientie est rme. Dtionis. vre. excutere, quantum fieri potest cum dei auxilio hanc animi miseriam et se sibi vendicare. Sed hec liberius pro sollicitudine et debito meo, litera enim non erubescit. Quod supplico boni consulere et non rejicere servi et necessarii sui salutare consilium dignetur.

Maczieowski institutus est ad canonicatum sandomiriensem XI hujus mensis. Kokalewski Cod. R.
meum malo istic rem pecuniariam curare quam hic familiarem.

Me rme. Dtioni. vestre humiliter commendo, quam rogo, ut sepius scribere dignetur de sua Cod. G. R.
valetudine. Felicissime valeat vra. rma. Dtio. Ex Brzescie dominico VII Januarii.

CCCLXXIII. Andreas Cricius, Petro Tomicio.

Reddiderunt mihi animum litere vre. rme. Dtionis., quum et ejus egritudinem remissiorem Cod. G.
esse, et meas admonitiones, preter quam timui, acceptas fuisse cognovi. Verum, mi rme. dne., hoc inprimis profiteor, me non ut philosophum aut quempiam integrum vite, sed velut Parmenionem herum suum monere, cujus verbis illam iterum oro et obtestor, ut se redimat captum quam queat minimo. Si nequeat paululo, atque quanti queat, et ne se afflictet, captum autem se utrum non sentiat, an nobiscum ea dissimulet, que infime sortis homines et iidem si diis placet conscii arcanorum celestium huic atque illi insusurrant. Nescio tamen, quid me angit, quid timorem mihi incutit, dum fomitem omnis mali omnia esse tum ego tum omnes vident. Non sum infensus ulli mea causa, sed quatenus vel ceci vident perniciem rme. Dtionis. vre., de qua heu quotiens et Mleczko defunctus et alii boni servi et amici mecum sunt sepius questi. Intellexi ex literis dno. Schidlovicio, cancellario, scriptis de oraculo posnaniensi plus quam delphico et verissimo, tamen inherere ejus consilio in evadendo malo non adeo consulere ausim, quum non sit professionis catholice; verum quod totius et certius est, conciliandum imprimis deum censeo non inanibus votis et preculis, sed dolore contrario passionibus ignominie et firmo proposito deserende cause mali sui et illius indignationis, quam nos, cum ex multis aliis, tum ex actis thorunensibus valde timuimus. Nam, ita me deus amet, nulla Bacchanalia acta sunt unquam dissolutius, inverecundius et damnosius quam vita illa per ministros perditos, ut et nuper mecum dominus cancellarius modeste ut ille, non tamen sine lacrimis meminit; maximum enim nunc favorem erga me et rmam. Dtionem. vram. presefert. Et proinde iterum oro, moneo et obtestor, redeundum ante omnia cum deo in gratiam et invocandum illum in veritate, ut ille conversus vivificet nos, deinde abdicanda mali omnis pruriens

memoria

MDXXI. memoria, revolvendum tante existimationis et rarum in terris antistitem indignissimum et miserandum esse languere, lacrimari, confici ob rem adeo vilem et plebejam, ut nulli vel insano adolescenti possit non esse probro et dehonestamento, et apud quam, quod verissimum est et commune, majoris pensi sit miles gregarius cum pugnis suis, quam vel Jupiter cum imbri suo aureo. Revocandum in memoriam casus domini olim Andree Koscieleczki, thesaurarii, dni. Ocieski et aliorum innumerabilium, quos Syrenes iste putidissime in preceps egerunt. Adeo calamitas hec nobilioribus quibusque animis impendet, ut et veteres illi Salomones aliique testimonio sunt, proinde nec novum nec mirum videri debet. Sed ea demum virtus est cognoscere discrimen suum, et virum prestare se, repellere omni conatu et contraria cogitatione suum precipitium. — Nam ut de me non adeo viro, quum actus essem non pridem in ejusmodi laqueos et admonitus fuissem per amicum male sanus et furore perditus, ut principiis obstarem et resipiscerem, superos omnes testor, me illam, cujus desiderio ardebam et interibam, prohibuisse tamen ab ingressu ad me noctesque et dies in tacitis mecum suspiriis et lacrimis egisse, donec pervicerim et asserverim me ipsum mihi. Tanti est recti monitio, quam nescio qua infelicitate sua vulgo domini dedignari solent,' et hoc unum, loquar liberius, quando vestra rma. Dtio. id a me optat, et litera non erubescit, hoc unum, inquam, me semper male habuit, quod illa ita se comparare consuevit, ut servis nequam omnia essent ad dicendum et faciendum libera, probis autem et fidis ne hiscere quidem potestas fuit, quum aliqui ob hoc quod quidpiam recte submonebant e gratia illius exciderunt. Sed nimis longum garrio, et nuncius festinat. — Unum etiam atque etiam oro et obsecro, ut his atque ejusmodi Syrupis digestivis et electuariis potius utatur ipsa secum, quam illis, quibus utuntur reges et prelati, nec patiatur sibi persuaderi eum medicum ad se adduci, qui mali est causa, ne penitus ut dnus. Ocieski ruat in preceps. Consulatque rma. Dtio. vra. pro deo boni id quod tam audacter pro ejus salute scribo, que mihi eque est chara atque mea propria.

Adhuc nihil certi habemus, que causa sit adventus filii Fortune, admonitus est tamen Majestas regia et promisit, nihil se consensuram ad illum ambitum.

Supplico rme. Dtioni vestre, mittere mihi dignetur illas responsiones thorunenses, si venire ipsa nollet, ut ex illis suggerere possem domino cancellario, que opportuna forent, et aliquid inde mihi et apud Mtem. regiam demereri. Conservabo illas ut pupillam oculi. — Credo quod in uno die transscribi possunt, si non licet originales mittere. Erunt enim prius tractatus multi quam inducie, ut intelligere datum est.

Mtas. regia certe non bene valet. Missum est pro Noskowski summa celeritate.

Dnus. Joannes Laski, archiepiscopus, egrum se duci vult ad conventum, et dnus. palatinus et idem cancellarius regni, ut mihi retulit cordolio suo laborat, quare non erit sola Dtio. vra. egra Thorunii, quo non horreat venire. Unde mors oriebatur, inde vita resurgat.

Non placet dno. cancellario et nobis omnibus conventus ad rmam. Dtionem. vram. tot medicorum juvenum, minusque placet receptio inutilis syruporum et electuariorum etc., que stomacho etiam sano nauseam et impedimentum faciunt, ut bene digerere nequeat et appetere; quod et ipse dnus. cancellarius et ego plus probari, quam omnes isti medici, quorum nullus tot sumpsit medicinas. Si esset illius flegmatis in vra. rma. Dtione. unus cur-

rus

rus onerarius, jam tot, purgationibus et vomitibus evacuari potuisset. Sed est alia causa, MDXXI.
cujus remedium in sola sapientia et fortitudine rme. Dtionis. vre. situm est. Cujus gratie me humiliter commendo. Ex Brzescie dominica in octava Epiphaniarum.

CCCLXXIV. Joannes Zamboczki, Aulicus, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario

Rme. in Christo pater et dne. gratiosissime. Post vulgata illa servitia videlicet et commen- Cod. G. R.
dationes, ambitiosa magis, quam ex puro animo proficiscentia, plurimam salutem, haud enim scio, quid aliud potissimum precer eidem quam id, quod plurimum eget, quodque ego ut jam semper ab initio sic nunc plurimum et preterea nihil expeto. Abfui hinc his transactis diebus ad legationem, ut plurimi existimant, ut ego, ad sordidam et molestam peregrinationem vel carnificinam potius extrusus atque pulsus atque ita quod quidem potissimum in votis erat, rmam. Dtionem. vram. nec ipse invisi, nec literis salutavi. Nuper cum per tot discrimina rerum huc rediissem, imprimisque et ante omnia de valetudine rme. Dtionis. vre. studiosissime rimarer, intellexissemque cum ex fratre ejusdem, dno. Nicolao, tum ex ceteris istinc venientibus, valetudinem eam incertam et ambiguam, tametsi justo dolori meo, quem ob eam causam conceperim, ratione fretus reluctassem, vicit magnitudo doloris omnia remedia, nec fieri potuit, quin vehementer commoverer. Jam nihil aliud superest, quam ut post vota suscepta deum immortalem indignis supplicibus tamen et precibus orem, ut tandem primum Reipublice, tum nostram vicem misertus rmam. Dominationem vram. aut priori aut meliori quam unquam valetudini restituat et Rempublicam auctoritate et ope, me vero virtute et humanitate ejusdem frui concedat. Ego hac hora, obtenta abeundi potestate, Thoruniam proficiscor, ut ex his sordibus et erumnis tandem aliquando respirare liceat, nam proprio hospicio carens hos dies preteritos cum domino Joanne Dantisco, homine puro et simplici atque rme. Dtione. vestre devoto, in sordidissimo tuguriolo transegi, qui etiam Thoruniam vadit, migraturus et ex aula brevi, ut secum jam penitus constituisse dicit. Cupimus et optamus ambo rmam. Dtionem. vram. propediem salvam et vegetam. Ex ceno brzestensi XVII. Januarii mane.

CCCLXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni, Pape Decimo.

Sanctissime in Christo pater et dne., dne. clementissime. Accepi literas vre. Sctis., quibus Cod. G.
simul et per nuncium hunc suum gratulari mihi dignata est de nativitate filii mei charissimi benedicens et comprecans mihi et Serme. mee familie, hac felici accessione omnia leta et prospera cum summa testificatione sue in me paterne benignitatis et favoris, quem licet in omnibus aliis successibus meis summum semper cognoverim, tamen gratissimum mihi fuit, intellexisse et novum generis mei incrementum vre. Scti. acceptum esse. Ago

MDXXI. illi et habeo gratias, quas possum uberiores, quod tam letitiam meam sibi communem reputaverit, ac opto ex animo, ut illa pariter omnibus votis suis semper fruatur. Conditionem rerum mearum referet hic nuncius et camerarius vre. Sctis., referet et postulata mea pro quodam servo meo, qui in causa prepositure Sanctorum omnium Cracovie gravatur per adversarium istic suum, fultum quibusdam derogationibus patronorum ejusdem prepositure, qui eam illi contulerant. Hec mea postulata Sctas. vestra admittere dignetur. Cui etiam commendo eum ipsum nuncium ut subditum meum et erga me cum sua familia bene meritum, rogoque ut illum in numerum eorum camerariorum, qui a secretis sunt, ascribere dignetur, ut in eo loco existens commodius id assequatur, quo mihi et subditis meis de benignitate vre. Sctis. ex usu esse possit. Felicissime valeat Sctas. vra., cujus gratie me iterum regnumque meum et dominia ex corde commendo. Datum Brzescie Cujavie.

CCCLXXVI. Andreas Cricius, Pptus. Cracoviensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. G. R. Revertitur ad rmam. Dtionem. vram. pater commissarius, perfuncto munere suo. Erit illi haud dubie magis ex usu, quam ulli medici, dummodo non aliud, quam sit persuasum, habeat. Scripseram ego jam pridem pro mea summa sollicitudine dno. Nicolao Bedlenski, scolastico cracoviensi, ut ille tacite una cum dno. Staszkowski perquirerent causam egritudinis rme. vre. Dtionis., qui mihi certissima documenta et in omnibus ac per omnia convenientia cum oraculis nostris rescripserunt, declarantes eadem omnia se eidem rme. Dominationi vre. significasse missurosque se medicum ipsum per Lubowiczki. Mira hec sunt monstra et omnino aut a Circe illa, vel a vipera nostra orta. Dixit enim vates a quinquennio concinnatam esse hanc luem et versam imprimis ad oculos, dehinc ad dentes, postremo in cor. Sed resumat duntaxat animum vestra rma. Dtio. et missa faciat deliramenta medicorum, qui eo modo dominum Cepell ad ecthicam suis medicinis induxerunt, facile juvante dno. deo et opera alicujus bone Circes, ut clavus clavo trudatur, excutiet hanc calamitatem.

Filius Fortune *) jam hinc hodie discedit, multa secreto tractavit cum Mte. regia, sed illa referre noluit aliquid dno. cancellario preter hoc, quod huc venerit opera et technis summi illius Ardelionis.

Mitto podwodas: utinam potius ad remittendos istos medicos, quam consulta illorum perferenda.

Supplico rme. Dtioni. vre., mittere mihi dignetur illas responsiones suas oratoribus germanis; erit enim illis mihi valde opus, et veniat ipsa pro deo Thorunium. Dnus. cancellarius jure jurando promittit, illam ibi et quietiorem futuram animo et celerius convalituram.

Cetera referet pater commissarius, cui rogo, si quid in corde habet ejusmodi, non erubescat aperire. Hec enim accidentia adeo humana sunt, ut etiam excellentiores quosque animos irretiant, immo his quasi ex industria magis insidiantur, ut hoc distichon testatur:

*) Mathias Drzewiczki, eps. cujaviensis.

Adam,

Adam, Samsonem, David regem et Salomonem MDXXI.
Femina decepit: quis modo tutus erit?

Sed veniam det rma. Dtio. vra. his meis ineptiis, quibus cum illa libere ago, valeatque optime meque servitorem suum gratia sua complectatur. Ex Breste die S. Agnetis.

CCCLXXVII. Andreas Cricius, Petro Tomicio.

Exanimatus sum literis vre. rme. Dionis., quibus scribere mihi dignata est auctam insperato Cod. G.
suam valetudinem adversam, tantoque dolore affectus sum, ut prorsus tedeat animam meam vite mee. Dnus. Schidlovicius, cancellarius, perstat et confirmatur magis his accidentibus in sua sententia, docet, anxietatem animi hec omnia creare et persancte jurat, singula convenire suis accidentibus. Mi rme. dne., si ita est: quid juvat opera de tollendis rivis relicto fonte? Oro illam et obtestor per ejus et omnium nostrum salutem, constare sibi dignetur, discutiat ipsa semet et cor suum, nec, quum homo sit, humana accidentia vereatur probo et prudenti alicui accersito illo ad se detegere et maturo neque a deo dissidenti consilio se asserere curet, memineritque in ejusmodi casibus nihil minus videri in causa esse quam ipsam causam, prout ita multos amicos actos vidit in preceps. Scribo hec summo dolore coactus et quod significatum est mihi ex camisia et crinibus, quos servus fidelis et prudens clam dedit, hanc omnium nostrum calamitatem fieri. Timeo vehementer, ne quid hec mea scripta offendant vram. rmam. Dtionem., verum magis timeo, ne quid dissimulans omitterem, quod a discrimine revocare illam posse videretur, licet acerbum esset, nec scio, quare has admonitiones meas molestius ferre deberet aut vitare liberius mecum de his agere, quum illius salutem et honorem magis ad me pertinere arbitror, majorique me cura distinent, quam honor et salus mea propria. Non formidet rma. Dtio. vra. periculum aliquod vite, modo meliori consilio suam curationem instituat, et medico uni probo communicet illa ab intima radice, que animum male habent, si que habent, ne ille causam ignorans magis officiat quam prosit in medendo. Porro ad levandum animum accersiri faciat pro deo sororem suam, sanguinem suum, nec illam celet eorum quidquam, quod curatione indigeret, adhibito sibi aliquo prudenti et bono viro, qui et consuleret quod opus est et diceret, omniaque recte procederent juvante dno. deo, et multo utilius tectiusque quam per itinera devia et specus Syrenarum. Plura pre lacrimis scribere non possum, supplico unum, ut perpensis secum meis admonitionibus illa sequatur si ad rem pertinent, sin minus, boni consulere tanquam a fidissimo servo et necessario suo dignetur, valeatque et sit salva optime.

Referet se credo ad meas literas dominus cancellarius, quantum ad res novas, verum quum nil sit adeo scitu dignum preter adventum oratorum cesaree Mtis. ad conventum futurum Thorunii, non permisit dolor et magna mea sollicitudo his intendere animum. Ex Brzescie Cujavie.

CCCLXXVIII. ANDREAS

CCCLXXVIII. Andreas Cricius Petro Tomicio.

MDXXI. Cod. G. R.

Rme. mi dne. Heri nunciatum est, magistrum Novam civitatem intercepisse, de cujus civium perfidia constabat adhuc Bidgostie, nihil tamen est provisum. Quum autem ipse magister premere nos nunc, non premi videtur, dubito istos tractatus futuros vel utiles vel honestos.

Mi rme. dne. Contuli multa cum doctore Noskowski de egritudine vre. rme. Dtionis., qui mihi dixit, in nullo morbo magis hallucinari medicos quam in cordolio; vulgo enim putare solent, humorem flegmaticum in causa esse, quum sit melancholicus, qui nihil patitur quam alias evacuationes quam lentas et appropriatas, verti autem illum in lacrimas, et quo magis eger plorat, tanto celerius evacuatur, et patienti magis conducit. Urinas pomeridianas corrumpi solere, matutinas minime, benignius agere versus noctem morbum hunc, quam in mane, et alia ejusmodi signa esse propria et ab aliis egritudinibus dissidentia. Quo fit, vehementer timeam, timet et dnus. cancellarius ejus rei expertissimus, ne quid peccetur in vra. rma. Dtione. per imperitiam. Sed jam lituum canit, imus jam, utinam felicius, Thorunium. Me vre. rme. Dtioni. commendo. Ex Breste XXIII Januarii.

Andreas Cricius Petro Tomicio,

Accurrit hac ferme hora Kempa nuncians, tres ex oratoribus videlicet dnum. ducem legnicensem, dnum. Sarkan et dnum. Sperantium huc venire, nihil tamen constat, quid secum ferant. Dominus dux legnicensis significavit dno. cancellario, quod res sit meliore loco, quam unquam alias fuerit. Brevi id apparebit. Regia Mtas. misit mox pro dno. Luce de Gorka, castellano posnaniensi, et pro dno. marsalco. Me Dtioni. vre. rme. humiliter commendo. Thorunii die lune vesperi.

Jam has obsignare volui, quum venit Cocalewski referens, rmam. Dtionem. vestram iterum deterius valere. Quo adeo consternatus sum totus, ut id verbis exprimere non possum. Medicus tamen dixit, necesse fieri istas alterationes, donec humor ille noxius durat, atque ita nihil diffidat vra. rma. Dtio. Dnus. deus nos tandem respiciet.

CCCLXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Epo. Cujaviensi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Rde. in Christo pater. Non preterit vram. Ptem. quantum cum alias semper, tum in novissimo conventu nobilitas petebat pro libera per Vistulam navigatione in Gedanum et qualiter constituerimus cum consiliariis nostris in ipso conventu de admonendis ob eam rem Thorunensibus. — Visum est itaque nobis, et postulamus a vestra Pte.: ut ipsa agens istic in propinquo eosdem Thorunenses adeat, nomine nostro illis inprimis referat: nos et predecessores nostros usque huc passos esse, licet egre, propter querimonias subditorum nostrorum, quod emporium apud illos esset, volentes illam civitatem hoc emolumento adjutum iri. Verum adeo jam invaluisse clamores

et

et querelas omnium subditorum regni nostri, ut nequaquam ulterius denegare illis possemus, MDXXI.
quin efficeremus, ut libera esset, ut prius, in Gedanum navigatio et proinde hortari nos et mandare illis, ut deinceps neminem retinerent, sed permitterent quemque libere navigare. Nos vero aliis modis velle semper illis et eorum reipublice libenter et gratiose commodare et favere ac manutenere illis in omnibus. Ad eum sensum et juxta suam prudentiam Ptas. vra. cum illis aget et tractabit omnia, prout melius illi expedire videbitur, que ipsius industrie committimus.

CCCLXXX. Andreas Cricius, Petro Tomicio.

Rme. in Christo pater, dne. colendissime. Nihil audiens tam longo tempore de rma. Dtione. Cod. G. R.
vestra et hinc alia ex aliis, ut fit in sollicitudine, mecum cogitans, facere non potui, quin mitterem hunc puerum meum ad illam visendam, quam oro et obsecro, me certiorem facere dignetur de sua valetudine. Optant vehementer omnes et precipue regia Mtas., ut Dtio. vra. rma. huc veniret, si fieri potest citra offendiculum salutis, alioqui consulit Mtas. regia Cracoviam ire cum ob multas alias commoditates, tum maxime causa peritorum medicorum. Ego autem supplico enixissime, ut huc, si fieri potest, venire dignetur; nam in me omnis labor hic tractandi et respondendi est devolutus, qui credo difficilior et longior erit opinione. Auditi sunt heri oratores cesaris, qui inprimis nunciarunt confectum matrimonium Sermi. regis Ferdinandi cum nepte regia, deinde gratulati sunt de nato Mti. sue, filio et petierunt, ut Mtas. sua cum cesare et cum Serenissimo rege Hungarie conveniret. Postremo hortati sunt multis et satis honestis verbis Mtem. regiam ad pacem cum magistro ineundam obtuleruntque, se proposituros media quedam pacis honesta. Ad hec omnia Mtas. regia nihil aliud illis in presens responderi mandavit preter generales gratiarum actiones, expectans dnos. consiliarios, sine quibus nihil etiam inchoare vult.

Mi rme. dne. Ille responsiones, pro quibus diu et aliquotiens scripsi vre. rme. Dtioni., jam credo non aderunt mihi tempori. Jam die Jovis vel Veneris erit mihi declamandum; tamen adhuc rogo, si fieri potest, illas mihi mittere dignetur; ut ex illis, quod opus foret, eruere possim citra gravem laborem.

Dnus. Janussius Swirczewski, homo tanti animi, decumbit nunc in assiduo fletu et anxietate animi multoque gravius quam rma. Dtio. vra. atque id ex cordolio. Proinde non mirari debet neque angi, si illi hoc quacunque causa evenerit, quum aliis itidem et his quidem absque omni cura usu veniat. Nihil est periculi, juvante dno. deo, modo a medicinis, ut suadet doctor Noskowski, hujus morbi peritissimus, abstineat. Valeat felicissime et rescribat, oro, que mihi sit spes ejus huc adventus. Thorunii XXIX. Januarii.

CCCLXXXI. Andreas Cricius, Petro Tomicio.

Rme. dne., dne. colendissime. Quantum gaudii capiam ex convalescentia rme. Dtionis. vre. Cod. G. R.
facilius est illi existimare quam mihi scribere. Letor etiam, meas serviles admoniti̇ones

MDXXI. acceptas esse utcunque quod olfacio cum aceto, spero enim si recte excutiantur, nihil nisi fidem et integritatem redolituras. Ego nunquam dubitavi, eam egritudinem non fuisse ad mortem et egerrime tuli, medicos diu hallucinatos fuisse. Unum erat, quod nos angebat, ne tales medici adhibiti fuissent, qui nos alis irretitos in casses penitissimos redegissent. Sed de his satis superque.

Oratores cesarei post illa, que prefati sunt et non expectato responso regio, utrum vellet ad tractatus pacis consentire, quod Mtas. sua absque dominis dari noluit, proposuerunt conditiones et media, que ad tollendum bellum opportuna viderentur. Et inprimis suspensionem armorum quam diu tractatus hi durarent, deinde, ut causa tota in arbitrium cesaree Mtis. cum Sermo. dno. rege Ludovico deferretur, et hec precise, ut oratores illi a principibus Germanie antea missi. Nunc Mtas. sua vult cum dominis — qui nondum convenerunt — deliberare, quid super hec illis respondere debeat, nescio qua necessitate, quum insanum esset id suscipere, et illi obtulerunt se alia media habere, que juste rejici non possent, si hoc non placeret. Itaque nil est adhuc, quod scribam vre. rme. Dtioni., quo res inclinat. Ego labores non detrecto in obeundo munere mihi demandato, et iis, quantum mihi insusurratur, et Mtas. regia et reliqui arrident, verum hoc me cruciat, quod nemo hic sit, absente dno. cancellario, qui dictet ea, que ex dignitate dici possent, et ego eam autoritatem non habeo neque locum, ut dicere in consilio possim, id quod mihi videtur. Oportet interdum ineptissimis sententiis sermonem accomodare. Et proinde supplico omni studio rme. Dtioni. vre., ut huc venire dignetur. Erit ejus arbitrii domo prodire, vel in ea se continere, modo suggerere possit, id quod sola salutare intelligit. Hoc postulat Majestas regia, postulant omnes.

Dominus archiepiscopus misit huc copiam literarum, quas confecit nomine totius synodi ad pontificem, ut illi, tanquam sibi in temporalibus et spiritualibus rebus subjecto, adesset contra magistrum, ordiens ab ovo usque illas nenias suas ineptissimas cum summa indignitate et sequela perniciosa. Eas postea mittam rme. Dtioni. vre., quum erit firmior, nam nunc vereor, ne earum lectione recideret in morbum. Sunt tamen qui suadent illas mittendas et Mtas. reg. non nimis abnuit, ut novit vra. rma. Dtio. qualis sit, quum quid suadetur a dominis.

Magister habens quatuor milia militum, agit, quod vult, nobis cum summa ignominia videntibus. Nunc intercepte sunt ejus litere, ex quibus intelligimus, eum novam irruptionem parare in Masoviam. Hec tamen nemo est qui curet et provideat. Solvitur stipendium quinque milibus hominum, ad necessitatem tamen non apparent nisi septingenti.

Mtas. regia his curis certe non bene valet, vomitat sepe et noctes insomnes agit. Turbata est etiam, quod domini spirituales mutarunt decretum conventus bidgostiensis, licet enim ea mutatio sit majoris emolumenti, tamen videbitur secularibus quasi nil faceremus, et ipsi hanc ansam nacti nil contribuent. Ego miror hanc ratiocinationem nostrorum prelatorum, ut non eque putent, personalem esse veterem contributionem ut aliam, quum illam persona ex loculis suis itidem solvit. Puto, quod res faciet magnam perturbationem. Me rme. Dtioni. vre. humiliter commendo, quam dnus. deus cito sistat incolumem. Thorunii die S. Dorothe.

CCCLXXXII. JOANNES

CCCLXXXII. Joannes Zamboczki, Aulicus, Petro Tomiczki, Epo. Vicecancellario.

Rme. dne., dne. gratiosissime salutem. Ex literis ejusdem, quas ante paucos dies pellifex attulit, percrebuit rumor, qui etiam usque ad me permeavit, rmam. Dtionem. vram. jam cepisse convalescere. Qui quidem rumor, quomodo alios affecerit, nescio, me certe magno gaudio affecit, qua de re pluribus verbis agere nihil attinet, non fallitur enim rma. Dtio. vra. novit suos etc. Dederam etiam ad rmam. Dtionem. vram. ex Brzescie literulas, mirum, si reddite non sunt, cum eas diligenti homini, videlicet dno. Cothwicz, familiari ejusdem dederim. Utcunque est, oro et obsecro rmam. Dtionem. vram. — tametsi pro summa ejus sapientia et doctrina eam id facere non dubito — curet valetudinem suam. De Republica et item de ceteris rebus curie — si quid forte ad rem — existimo vre. rme. Dtioni. perscribi ab iis, qui omnia sciunt, sed et ipse hunc laborem libens subirem, si certi aliquid et explorati haberem. Non enim ignorat rma. Dtio. vra., quam interclusi mihi sunt omnes aditus ad ea loca, ubi aliquid scitur, ita quod preter forenses nugas ad notitiam meam perveniat nihil. Contendebant precibus a regia Mte. tum a domino thesaurario, ad quem summa rerum modo devoluta est, ut hinc ad aliquod dies abeundi atque rmam. Dtionem. vram. invisendi mihi potestas concederetur; obtinere non potui, nec mirum, qui si morbum peterem, non me crederem impetraturum. Rme. Dtionis. vestre presentiam plus omnibus rebus mundi expeto, vel saltem integram valetudinem etiam absentis. Deus immortalis servet eandem in eternum eidemque quam diutissimam valetudinem tribuat, mihi vero eam mentem eamque prudentiam inspiret, qua gratia rme. Dtionis. vre. dignus esse possem. Thorunii VIII die Februarii. MDXXI. Cod. G. R.

Equum, quem rma. Dtio. vestra mihi commendare dignata est, propterea non remisi, quia neminem certum habui, qui id satis commode perficere posset, pascitur et fovetur a me diligenter, dabo operam, ut cum primum commode poterit, ad stabulum rme. Dominationis vre. cum maxima gratiarum actione reducatur.

CCCLXXXIII. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Rme. etc. Affectus gravi catharro et febricula non possum ad plenum scribere, que hic aguntur, verum mitto vestre rme. Dtioni. bina responsa, ex quibus cognoscet, in quo res consistit. Unum certo sciat, hos oratores discedere nolle, donec omnia ad extinguendum bellum vel saltem sistendum experiantur, itaque producentur hi tractatus ut puto in longum. Exigunt oratores, ut illis declaretur, utrum vellemus consentire in modificationem pacis perpetue et quibus modis. Ego suadeo quantum possum, ne quid aperiamus, donec magistri voluntas constabit, sine qua ut inhonesti et inutiles sint ejusmodi tractatus, acta posnaniensia, petrkoviensia, thorunensia et vangrowiecensia satis sunt testimonio. Cod. G. R.

Ego,

MDXXI. Ego, mi rme. dne., immensum hic laborem sustineo, quod mihi responsa ex sententiis diversissimis et implicatis, ne dicam confusis, sunt formanda. Levat me tamen hoc unum, quod palam a Mte. regia et dominis probantur et quod Momi mussant.

Podwodas mitto rme. Dtioni. vre., quam plurimum rogo, ut quam celerius redeat. Dnus. cancellarius persancte jurat, illam celerius hic convalituram. Tum enim quasi renatum me putabo. Interim tamen rogo, mittere dignetur ea omnia, que putat hic ad rem pertinere ex actis prioribus. Responsa illa parum mihi nunc sunt ex usu; alio enim quodam tenore et celeritate omnia procedunt, in quibus responsa fiunt plerumque ex tempore, quod me enecat.

Sciat rma. Dtio. vra. magnum illum Ardelionem, *) quum omnia jam egit, tandem et animam agere; quod dii bene vertant. Itaque etiam atque etiam oro, ut venire huc properet.

Noster Montanus **), ille ingens nugarum acervus, multis audientibus mihi dixit, rmam. Dtionem. vram. ex eo correptam esse morbo cordiaco, quod episcopatum premisliensem pro me et castellaniam landensem pro fratre obtinere non potuit. Ego illi respondi, si eam ob rem ejusmodi morbus accidere debuisset, jam ipse illo dudum extinctus fuisset, quum omnia vacantia beneficia summa sollicitudine petit et nullum hactenus obtinere potuit. Sed valeant he nuge.

Non miretur rma. Dtio. vra. aliquid indignius nunc agi in his actionibus quam prius, alia est enim facies rerum. Fuimus ante victores, nunc hostis insultat. Princeps palam fatetur, se impeditis contributionibus huic calamitati provideri non posse, itaque, quantum ego sentio, herebimus in luto aliquo.

De mandato rigido ad spirituales suggestum est per nuncios Ardelionis et per nostrum Barszcz, ***) itum est in eam sententiam per dnos. seculares omnibus alacribus calculis, quod recte sit nec ne, viderint vestre Dtiones., quibus onus pastorale incumbit. Jam in Cujavia processus dudum sunt emissi et fiunt omnia juxta decretum conventus bidgostiensis et a dno. archiepo. significatum est idem, Cracovienses puto idem quoque facient.

---

*) Jo. Laski, archiepiscopus.

In eundem inter alia scripsit Cricius:

Eximium decus hoc fecit te scandere regni,
Lascie Joannes, laus tua non, tua fraus.

**) Joannes Gorski de Myloslaw, archidiaconus Posnaniensis, secretarius regius, homo longus, pinguis, qui mons non homo vocabatur. Fuit is homo sui cerebri.

Adnot. ex cod. mss. bibl. Korn.

In eundem Cricius scripsit:

Quod tibi tam vastum corpus natura creavit
Exultas, magnum teque putas hominem.
Si verum est illud divini dogma Platonis,
Quod ratio sit homo sola, pusillus homo es.

Si recte tenebras animi Maro corpora dixit
Et Plato censebat Meonidesque prius,
Non mirum est, quod pauca sapis, quod pauca revolvis
Ingenio, magnis longe subes tenebris.

***) Christophorus Szydlovicius.

Rogo

Rogo iterum atque iterum rmam. Dtionem. vram. redire quam celerius dignetur cum propter multa tum vel hac causa, quod is princeps ut novit est sui animi et cujus quantum oculis animo tantum procul extat amor, quod nunc magis considero quam unquam alias. Felicissime valeat rma. Dtio. vra. Thorunii XVIII. Februarii. MDXXI.

CCCLXXXIV. Andreas Cricius, Petro Tomicio.

Rme. in Christo pater et domine, dne. colendissime. Nunciari mihi fecit noster Martinus, queri se et questurum de me omnibus acturumque insuper adversum me ob ea, que ad dnum. Bedlenski et ad rmam. Dtionem. vram. in se scripserim repetens ad verbum omnia, quibus etiam a me non nominatus se agnovit, inquiens illa mihi in posterum magis quam sibi officere debere, prohibitumque se a rma. Dtione. vestra, ne quid in ea re diceret faceretve; se tamen strenue agere velle pro nomine et honore suo clarissimo. Antequam vero hec mihi sunt nunciata, jam ipse compertum habui, mea scripta his cognita esse, quibus minime oportuit; et quid illi, nacti etiam consultorem probum et mihi amicum, consilii caperent. Mi rme. dne., ego gregem istum totum spadonum et nebulonum, de quibus nihil unquam mali mea causa vel ullo dicto merui, pili haud facio neque cum illis contendere, aut quidquam rei habere volo, nam qui cum ceno conflictatur, vincitur aut vincit, fieri non potest, quin coinquinetur; estque hic vetus mos muliercularum et ejusmodi sortis hominum, ut nihil minus dici aud videri volunt, quam id, quod sunt, irasque a crimine sumunt. — Verum enimvero est quod me vehementer angit, quod a tota bona spe prorsus dejicit, quod inde colligo, et mea recte monita invisa esse, et nos adhuc in neniis istis indignissimis herere, illumque adeo omnia esse, qui nihil, ut est, esse deberet, ut merito forte competere possit versiculus ille: Cod. G.

„nec tecum vivere possum, nec sine te.“

Nam ni id esset, non utique mea integerrima scripta scurris paterent, non ita confidenter illi in flagitiis suis dicerent facerentque omnia. Et timui ego quidem exemplo aliorum, mea hec monita sic cessura, scivique nulla remedia, que vulneribus adhibentur, tam facere dolorem, quam illa, que sunt salutaria. Verum coëgit tandem summus amor et debitum officium ea me diu reluctantem scribere, ea serviliter et officiose monere, que salutaria videbantur ad tantum fame et salutis discrimen, quod manifeste impendebat avertendum, quam quidem salutem, mea etiam propria vita neutiquam posterioris fero. Me miserum, miserum me! Itane vel fatis aliquibus comparatum est, ut nunc Martini omnia misceant et perturbent, unus alibi multis modis et multo furore statum universalis ecclesie confundit et inquinat, alter vero hic non ecclesiarum solum nostrarum, sed universi regni lumen precipuum indignissimis tenebris offundit et obscurat. Quod autem ad dnum. Bedlenski scripsi et secreto et sollicite, ut ea perquirerentur, que et scripta aliunde nobis fuerunt, et ab his ipsis cognovimus, quibus bonus vir ille communicavit, et super his consilia quesivit, nihil me penitet. Nam quid in ea re sollicitudo nostra profuit, rma. Dtio. vra. cum ex his literis inclusis tum aliis pluribus et certioribus documentis postea clarius

 cognoscet,

MDXXI. cognoscet, postquam illi et aliis ejusdem farine congerronibus libet hanc sentinam ita movere, suis sceleribus urgentibus, ut se magis prodant, magis appareant, cogniti jam alioquin omnibus. Me conscientia recte facti et officium ac debitum meum integerrime prestitum consolatur, et si respiciunt oculis superi mortalia justis, illi condignas penas luent aliquando, ego vero contritis eorum laqueis superstes in gratia rme. Dtionis. vre. permanebo. Cui me humiliter commendo. Thorunii VI. mensis Marcii.

CCCLXXXV. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Cod. G. Veniens heri de Cracovia dnus. Staszkowski retulit mihi, se habere nonnulla summe necessaria ad significandum vestre rme. Dtioni., que illam scire et facere oporteret in vigilia S. Gregorii, ego ne quid etiam in istis neniis, postquam in illis sumus, negligentie committeretur, quod ad salutem recuperandam pertineret, obtinui e vestigio podwodam a dno. cancellario et hunc famulum meum absque omni mora cum literis ipsius domini Staszkowski expedivi, nam hec vesperi mihi dixit. Dixit et alia mira monstra, que non audivit solum, sed ipsius oculis suis vidit, que patraverunt et patrant hi, quibus potissimum rma. Dto. vestra vitam et honorem suum credit, que audiens surdis auribus esse velim. Sed hec melius ab ipso accipiet.

Magister Elbingum validissime oppugnat. Mittuntur ad ferendas suppetias aulici omnes, et proinde dignetur rma. Dtio. vra. cohortari dnum. Posnaniensem ut quam celerius huc redeat, ipsaque etiam dignetur non morari. Facturus hodie rem divinam plura scribere non possum. Me gratie vre. rme. Dtionis. humiliter commendo, quam dnus. deus benignitate respicere et salvare dignetur. Thorunii dominica Letare, que fuit X. Marcii.

Post obsignatas literas misit dnus. archiepiscopus per nepotem suum cum magna prefatione obsequii sui 600 flor. secundum constitutionem bidgostiensem et processus se emisisse significavit.

Literas vero rme. Dtionis. vre. ex Ciąszim per famulum Sapihe missas hodie accepi et egi cum doctore Noskowski subito de illius egritudine et signa commemoravi. Omnia dicit convenire egritudini domini cancellarii, errorem esse maximum, credere febrem flegmaticam, quum sit humor melancholicus, qui absque alterationis et his omnibus accidentibus fieri non solet, non posse aliter curari morbum ipsum nisi hemorroidibus aut, si he fieri non poterunt, ut humor ipse divertatur balneis ventosis in pedibus utendum. Sic curatum dnum. cancellarium asserit. Promisit mihi, se scripturum per Zamboczki omnia, qui profectionem ad rmam. Dtionem. vram. parturire cepit, quum aulici mitti adversus magistrum debuerunt, quasi ab illa summis votis fuisset vocatus, quumque missio aulicorum mutata est, ipse etiam silere cepit, donec, hominibus ridentibus, tandem constituit ad illam proficisci. Me humiliter commendo.

CCCLXXXVI. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Venit tandem noster legatus, qui, acceptis literis rme. Dtionis. vre., concussus est animo non mediocriter ob id, quod in doctorem Albinum commisit, excusat se consilio domini Miedzileski. Hodie audiri debet a Mte. regia. Curabo ego, ut illi respondeatur in rem ipsius doctoris Albini, quod usque huc rex recusat, dicens: se ingerere se nolle in jurisdictionem Spiritualium, tamen credo, quod dominus cancellarius Mtem. suam ad hoc flectet, et ego ita verba accommodabo, ut expediet. MXXDI. Cod. G.

Egritudinis signa, que Dtio. vestra rma. doctori Noskowski descripsit, examussim depinxit egritudinem dni. Schidlovicii cancellarii, qui mecum questus est, quod nolit sibi integerrimo animo consulenti obedire, eaque faciat, que ad nutriendum eum humorem, qui in causa est, magis conducunt, quam ad eum consumendum, affirmatque et ipse et medicus, immo omnes familiares, si hoc modo procedetur, egritudinem diu duraturam. Est omnibus admirationi et pro risu, quod tot medici apud illam existentes tam aperte hallucinantur. — Itaque rma. Dtio. vestra dignetur boni esse animi et quam celerius huc redire. Promittit medicus noster profecto singularis evestigio illam hic convalituram. Occupatus hac audientia legati non possum plura scribere.

Magister satagit, ut coram istis nunciis aliquid patrare possit, unde premere non premi videretur, et parum abfuit, quin Elbingo potiretur. Sed et in hoc cepto et aliis conatibus male illi res cessit, nostri ubique, licet pauciores sint, prevalent et rem strenue agunt.

Mortem generi mei doleo quidem, sed illi gratulor, quod decursa etate et morbo perbrevi debitum nature persolverit. Me gratie rme. Dtionis. vre. ex corde commendo. Thorunii die Martis S. Georgii.

CCCLXXXVII. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Rme. etc. Hesterna die fecit dnus. legatus longos logos coram Mte. regia de actis suis lithuanicis, et inter alia multa disseruit adversus doctorem Albinum, omnia ficte, quibus tamen adeo persuasisse videtur Mti. sue et dnis. consiliariis, ut nihil Mtas. sua jubere voluerit, aut dici unum verbum de illo liberando, quod jam prius annuerat. Mitto literas ipsius legati rme. Dtioni. vestre, et aliorum; rogo, iterum illi scribere dignetur pro Albino, ut persuasum habet, illum nihil temere et sine causa egisse; tamen quia utique ille indicta causa condemnatus est et petit potestatem se jure purgandi, illum dimitti faceret, ne ob hoc a toto clero male audiat. Cod. G. R.

Mi rme. dne. In preterita synodo egit dnus. archieps. cum dno. Drevicio eam practicam, quam cum rma. Dtione. vestra tentavit. Quam ille utroque, quod ajunt, brachio complexus obtinuit a Mte. regia jam consensum. Penitet autem dnum. archiepum. cepti et velle adhuc Dtionem. vram. rmam. experiri et per dominum Latalski vellet rescire mentem ejus. Ego supplico, dignetur mihi scribere manu propria aliquot verba, quasi mihi responderet, quod

negotium

MDXXI. negotium illud cum rmo. dno. archiepo. nec sprevit unquam, nec etiamnum spernit, quodque inde ejus in se beneficentiam non vulgarem agnoscit. Et quando juvante dno. sanitati restituetur et ad curiam redibit, curabit quantum fieri poterit, ipsum negotium cum ejus rma. Dtione. conficere. Hec autem propterea summe sunt necessaria, ut possim practicam istam dissuere, quod erit facillimum. Nam si Dtio. vestra rma. aliud postea facere noluerit, facile tot cause invenientur, quot erunt necessarie, quibus negotium inficietur.

Scire etiam dignetur, quod eps. vilnensis confessus est aliquibus, se consensum a Mte. regia super episcopatum cracoviensem obtinuisse, in eoque dnus. cancellarius, quantum ex vultu ejus Mtis. conjicit, quum de hac re illam quesivit, valde dubitat et quasi cognoscit, se aliquid indigni fecisse. Dnus. archieps. certo huc veniet, itaque rogo, scribat mihi, quo possim ceptum istud interturbare. Et commendo me ex animo rme. Dtioni. vre. Quam felicissime valere desidero. Thorunii die Jovis ante Judicam.

CCCLXXXVIII. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Cod. G. R. Rme. etc. Reddidit mihi Golaneczki literas vre. rme. Dtionis., que tametsi acidiores sint, quam est mellitum illius ac tractabile ingenium, vulgariusque argute quam sit singularis ejus sapientia et acumen — ni hoc inusitatum sit et philosophicum, quod in sermones hominum est subjunctum — magnum tamen solatium mihi attulerunt, quod illius in me gratiam inconcussam agnovi. Mi rme. dne. Tantum abest, ut cum vra. Dtione. rma. certare velim argumentis, et me illis superiorem esse, ut etiam omnibus modis cupiam in his, que simplici fide et officio debito scripsi et victus et falsus videri; eaque non aliunde, quam ex opinione mea, ut videri vult, orta esse. Et proinde facile jam lora contraho, facile herbam porrigo. Sat datum est debito meo erga dominum, erga necessarium, erga benefactorem meum. Quod si judicio et benignitate sua perpendere dignabitur, spero in eam partem accipiet, quum nescio, quo piaculo monstra illa obticuissem, a quibus presens imminebat periculum, de quibus viderit rma. Dtio. vra. Nam quod ad me et Martinum attinet, hec turba minoris negotii erit. Facile enim ego dictorum scriptorumque meorum, si ita diis placuerit, rationem expediam, illumque et alios ejus farine pro nigris seu candidis, ut vra. rma. Dominatio volet, libens habebo, quod jam brevi futurum certo confido, si amicos his casibus actos et exercitos audire et illorum consilio inniti voluerit.

Tandem Mtas. regia committere mihi dignata est agere cum dno. legato de liberando nostro Albino, cum quo in multam noctem hesternam etiam ad illam ejus coleram disceptavi. Vult enim, ut ipsi Albino precludatur via jure aliquid agendi, et ut pugnis contusus adoret. Alioqui jam consensit ad illum dimittendum. Ego pro virili curabo, ut ille non cogatur crimen, quo se nititur purgare, agnoscere, et ut illi aliqua rima relinquatur, qua suas erumnas et injurias possit jure ulcisci.

Valde miror, quod mihi rma. Dtio. vra. nihil ejus communicare dignata est, quod ab Antonio illo ex Gallia habuit, quum ea de re summa fuit expectatio mea. Mitto illi jussu dni. Schidlovicii, cancellarii, literas ab eo ad regiam Mtem. scriptas, item alteras ad ipsum

dnum.

dnum. cancellarium una allatas. Quibus non visum est aliquid respondere, donec ipse re- MDXXI.
dierit, quum incertum est, quando sit venturus. Tamen si aliter facere censet rma. Dtio. vra., scribere dignetur sententiam suam, et literas ipsas remittat.

Me rme. Dtioni. vre. humiliter commendo, quam dnus. deus cito ac diu sanam et sospitem ad nos reducat. Thorunii fer. VI. ante dom. Judica.

CCCLXXXIX. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Gaudeo et probo, vestram rmam. Dtionem. Posnaniam concessisse, verum probarem magis, Cod. G. R
si ad nos rediret, postquam is medicus noster hujus morbi peritissimus censetur. Non dubium est, duraturas istas alterationes angustiamque animi et lacrimas tam diu, donec humor iste melancholicus non consumitur. Verum ad consumendum illum aliter omnia censet ipse medicus noster, quam illi, qui adsunt vre. rme. Dtioni.: siquidem barbam tondere, annulis digitos ornare, vestibus uti colore letitie congruo, lavari, et nil non agere, quominus sit cogitandum, alioqui hoc erit regimine, quo uti nunc dicitur, magis augere quam consumere ipsum humorem noxium.

Mitto vestre rme. Dtioni. articulos, cum quibus profecti sunt ad magistrum oratores. Que addidit secretissime Mtas. regia, referet dominus castellanus posnaniensis, quamquam nescio, quomodo in secretum appellem, quum dnus. Raphael dno. Vapowski retulit, de quo Majestas regia est pessime contenta. Me commendo etc. Thorunii die XVI. Marcii.

CCCXC. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Allate sunt litere ex Marienburgo, auctum esse et augeri in dies magis exercitum magistri novis Cod. G. R.
militibus, quorum magna pars per Lithuaniam secure et nemine vetante penetravit, nutare plebem in Elbingo, hostes proditorum fiducia, quorum omnia plena sunt, fidere spemque habere indubiam potiundi cito his civitatibus; sed et famulos oratorum nostrorum, quacunque ibant, insevisse vulgo: non imperaturos hic diutius Polonos, et alia id genus, que magnum in hominum mentibus terrorem et perplexitatem faciunt. Per nos in his motibus nulla provisio, nisi quod iterum miseri husarones extraduntur.

Mi rme. dne. Iterum legatus mutavit sententiam de Albino, non vult illum dimitti, donec cum domino archiepo. consilium super hac re capiat, idque consilio domini Miedzileski, ut adjutore dno. ipso archiepo. ita illum obstringant, ut adhuc pro his, que in eum commissa sunt, veniam petat, nec quidquam agere possit. Ego curabo modis omnibus id impedire. Verum supplico rme. Dtioni. vre., dignetur quam celerius scribere tales literas dno. archiepiscopo, quales scripsit cancellario regni. Optime convenient, ne ille indicta causa tam insigni contumelia et damno afficiatur, alioquin redigent illum ad incitas. Commendo etc. Thorunii XVII. Marcii.

CCCXCI. Andreas Cricius Petro Tomicio.

MDXXI. Cod. G. R. Rme. etc. Dnus. Staszkowski, homo impense sollicitus de salute vre. rme. Dtionis. audiens, illam denuo suo dolore dentili et febricula affligi, ingessit mihi, vehementer opus esse celeri missione ad medicum quendam, qui ad se curam hanc magnis promissis recepit. Ego ut famulum suum commode mittere posset omnia curavi, ne quid in mora sit aut pretermittatur, quod ad levandam rmam. Dtionem. vram. pertinere videretur. Nec eo contentus vadit ipse ad eandem visendam et prestolandum istic famulum suum, qui cum documentis celerrime illinc recurrere debet. Supplico rme. Dtioni. vre. hominem adeo sibi deditum et fidum benigne suscipere cum illoque de salute confidenter conferre et agere id totum, quod opportunum sit, dignetur. Ne autem sibi et vite sue adeo diffidat, non eam lateat, plerosque hic eadem egritudine iisdemque omnibus accidentibus agitari et signa omnia, que ipsa de se scribit, convenire. In quibus levandis quanta utitur solertia, quantumque proficiat medicus regius, ipse dnus. Staszkowski referet.

Idem declarabit, in quo cardine tractatus nostri versantur, et que sit spes rei conficiende. Nam ea supervacaneum visum est scribere, presertim quum adhuc nil sit conclusum. Me commendo etc. Thorunii fer. III. Pasche.

CCCXCII. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Cod. G. R. Rme. etc. Plenus laboris et occupationis laconismo uti cogor. Hesterno die circa vesperam convenerunt ad Mtem. regiam in stubam magnam omnes nuncii et oratores simul cum mandatariis domini magistri et solenniter consessu facto conclusum est super induciis, et compromissum est in eum modum, ut fuit in articulis, quos jam vestra rma. Dtio. habuit descriptum, paucis mutatis, ut de eductione militum et aliis id genus levioribus, ut clarius scribam expeditis oratoribus. Exhibuit nobis magnum negotium et molestiam nuncius apostolicus, conatus ingerere summum pontificem superarbitrum et alia multa indignissima miscens; quumque heri in cetu et concilio protestaretur, compromissum esse invalidum, seque ad hoc non consentire, dnus. Sperantius illum verbis acrioribus nomine omnium ita obruit et confudit, ut omnibus voluptatem et jocum fecerit.

Mi rme. dne. Inter istos labores meos valde distrahor summa sollicitudine mea de salute rme. Dtionis. vestre, nec scio quid amplius scribere aut credere debeam. Noster medicus causatur, hos vomitus et dejectionem appetitus ex sirupis, electuariis et cibis ad id accommodatis. Idem et dnus. cancellarius refert; et ejus medici habent fortassis suas rationes, quibus innituntur. Et proinde, quid ego affirmem, quid suadeam nescio, nisi dominum deum oro, ut tandem illam hac calamitate et me mea sollicitudine liberare dignetur. — Commendo etc. Thorunii sabbato Conductus Pasche.

Mitto

Mitto articulos, ut clarius cognoscat, quid sit mutatum. Cras prandebunt oratores apud Ma- MDXXI.
jestatem regiam et perendie absolventur. Dabuntur cuique triginta ulne axamènti nigri et cuppa et trecenti aurei. Majestas regia hic credo adhuc opinione longius immorabitur. Quam si rma. Dtio. vestra prevenire posset Cracoviam, optimum esset et consultissimum, propter illum Esculapium nostrum Miechoviensem et reginalem medicum.

CCCXCIII. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Nunciis Joannis a Lusianis, Palatini Culmensi.

Rndus. dnus. varmiensis hec per fratrem suum dnum. palatinum culmensem sacre Mti. re- Cod. G.
gie referri fecit: contentum esse se accipere in potestatem suam oppida et arces hosti ademptas, si Mti. sue hec differentia et causa pruthenica videretur posse intra spatium inducіarum brevi determinari.

Ubi autem res trahi in longum deberet et inducie inducias alias parere, quia incommodum esset sibi et difficile eadem oppida et arces retinere et se illis occupari, rogare se, uti sibi potestas foret, jure a dno. magistro sua bona ablata repetere.

Ad hec per Sermam. Mtem. regiam ipsi domino palatino responsum est: perspectam habere Mtem. regiam fidem in se et constantiam domini epi. varmiensis cum in estu illo bellico tum in moderno rerum statu, eamque illius virtutem commendare non vulgariter Mtem. suam et suo favore ac beneficentia regia semper complecti velle.

Curaturam sedulo Mtem. regiam per literas et nuncios suos, ut cesarea Mtas. et Sermus. dnus. Hungarie rex accersitis principibus designatis quam celerius fieri possit, in loco opportuno convenirent et negotium hoc ocius et quam maxime in partem nostram diffinirent, sperareque Mtem. suam rem ita ex voto successuram; non tamen constare sibi hactenus quidquam de tempore et processu cause, quo dnum. epum. facere posset certiorem. Verum quod per Andream Zakrzewski significavit: etiamnum paratam esse Mtem. suam tradere in potestatem ipsius dni. episcopi arces et oppida hostilia, ut his ad exitum rei frueretur.

Ubi autem id ex re sua non putaret, eademque bona hostilia accipere recusaret, Mtem suam pro eo, quod illius virtutem, fidem et constantiam adeo probatam habet et acceptam, et quod sciat, quantam jacturam subierit in hoc bello: velle illum, quem tanto tempore et impendio Mtas. sua tutata est, etiam in posterum omnibus modis non deserere, illiusque damnorum benignam rationem semper habere, ac ita dirigere totum hoc negotium pruthenicum, uti se nulla in re neglectum aut pretermissum cognoscere posset.

Non videri vero Mti. sue ullo modo consultum, ut illa bona sua jure a dno. magistro repetere deberet, ne ille ansam hanc arripiat, rem omnem inficiendi et novas turbas concitandi, ipsumque dnum. epum., cujus perniciem inhiat, tanquam a Mte. sua destitutum ac alienum et ad alterius opem deductum denuo armis impetendi, prout hec per Zakrzewski latius sunt explicata. Proinde contineret se adhuc paululum dnus. eps. intra conditionem temporis ac status moderni, rebus sic exposcentibus, futuram brevi significationem aliquam,

unde

MDXXI. unde conjici poterit, quorsum hec alea inclinabit. Interim esset Ptas. sua boni animi, et quum procellam belli fortiter sustinuit, etiam ea que restant ex usu ferenda, animo infracto sustineret.

CCCXCIV. Responsum a Sigismundo Rege, Nunciis Episcopi Varmiensis.

Cod. G. R. Sacra regia Mtas. venerabiles domini, molesto et dolenti animo tulit semper et fert etiamnum calamitates et dispendia rmi. dni. epi. et ecclesie vre., quas recensuistis ipsi et Mtas. sua non ignorat. Que, ut est rerum bellicarum expertissima, sciens quantum malorum contineat in se omne bellum quacunque sorte actum, vitavit quidem modis omnibus, ne unquam res ad eum ludum veniret. — Verum quum Mtas. sua urgeretur tot querimoniis cum aliorum subditorum suorum, tum etiam rmi. domini vestri, ob multiplices injurias et damna, que illi et ejus ecclesie inferebantur, facere aliter non potuit, nec quisquam secus censuit, quam armis subditos suos tueri.

Quum autem in versanda hac alea, varii solent esse eventus, varie vicissitudines, nec fieri potest, quin fiant cedes, fiant incendia, fiant depopulationes utrinque, est prudentie et virtutis rmi. dni. varmiensis et vre. id, quidquid accidit, equo et infracto animo perferre. Sua vero Mtas. indolens, ut dixi, damnis ecclesie vestre, curavit sedulo inter tractatus, quibus hoc bellum interceptum est, uti bona omnia rmo. dno. vestro et vobis ablata in vestram potestatem redirent, sed quum id fieri non potuit, neque in presens potest, citra omnium rerum perturbationem, necesse est, ut paulisper hunc eventum et statum rerum vestrarum perferatis. Curabit autem Mtas. sua, ut et negotium hoc per arbitros quam celerius diffiniatur et rmo. dno. vestro ac vobis bona vestra integre restituantur. Et non id solum curabit Mtas. sua, sed eam fidem et constantiam illius Ptis. et vestram, quam in se et regnum suum abunde cognovit, vult vicissim omni favore et beneficentia sua regia semper referre, ac alia omnia, que subiistis per omnem occasionem compensare.

Ad processum vero ejus cause et negotii definiendi placet non vulgariter Mti. sue consilium rmi. dni. vestri, quod attulistis, ut eo Mtas. sua inter alia uti dignabitur agitque gratias illius Pti., quod eam curam et laborem capit in congerendis et impartiendis his Mti. sue, que ad hoc ipsum negotium conducere videntur. Quem quidem laborem et curam Mtas. sua vult illi cumulatissime sua gratia referre.

CCCXCV. Responsum a Rege Episcopo Varmiensi.

Cod. G. R. Sacra regia Majestas, reverendissime domine, gratum habet, quod vestra rma. Dtio. tam ex animo indoleat egritudini Mtis. sue, propter quam, quod celerius Mtem. suam accedere non potuit boni consulere velit.

Habuit

Habuit autem Mtas. sua dudum commendatam fidem et virtutem vestre Dtionis. meritaque MDXXI.
in se et majores suos illius familie ac proinde alacri ac lubenti animo illam ad eum pontificatum nominavit, eamque uti fidum prelatum et consiliarium regni sui omni gratia, tuitione et beneficentia sua regia complecti dignabitur.

Non ignorat autem Mtas. sua, que dispendia ceperit ecclesia belli alea et adversitate. Quod quidem bellum in quibus terminis heserit et pendeat in presens, vestra Dtio. non ignorat. Et quia tempus non longe abest, quo inducie expirabunt, consulere dignabitur Mtas. sua cum vestra Dtione. et aliis consiliariis suis, quid vel interea, vel lapso tempore erit agendum, et nihil eorum pretermittet Mtas. sua, quecunque tam ad pacandas terras Prussie, quam etiam ad bona ecclesie Dtionis. vre. recuperanda opportuna videbuntur.

CCCXCVI. Legatio a Rege Sigismundo ad Episcopum Varmiensem.

Post dictam salutem et gratiam regiam dicendum: Mtem. suam declarasse per dnum. Dzia- Cod. G. R.
linski, quam gravi et molesto animo ferat damna ipsi dno. epo. illata, quorum ratione voluisse Mtem. suam tradere in illius potestatem arces et oppida hostilia, que habet, usque ad ejus differentie finem et determinationem, nunc autem rmum. dnum. archiepiscopum gnesnensem nunciari fecisse Mti. regie: dominum epum. in animo habere et ita per dnum. Dzialinski renunciasse: quod bona sua sibi ablata jure romano a dno. magistro repetere vellet. Que res inconsulta nimis videtur Majestati regie, propterea quod dnus. magister videns, ipsum dominum episcopum aliunde defensionem sibi parare, alteriusque potestati quam Mtis. sue inniti, atque inde credens, eum a Mte. sua iri destitutum, posset in eum denuo irruere et majora illi detrimenta inferre.

Nec dubium est, si dnus. eps. agere inciperet jure romano adversus dnum. magistrum, idem facere vellet dnus. eps. pomesaniensis adversus Mtem. suam, unde nova dissidia oriri possent et concordia hec arbitralis impediri et pacta infringi.

Hortandus est dnus. eps., ut ab ejusmodi actione supersedeat, que sibi et rationibus Mtis. regie plus incommodare quam proficere posse haud dubie videtur.

Curabit vero Mtas. sua, ut hec arbitralis cognitio seu concordia et celerius et majori, qua fieri poterit, tam dignitate Mtis. sue, quam etiam commodo regni et subditorum suorum terrarum Prussie transigatur. In eoque utetur Mtas. sua consilio dni. episcopi et illum nulla in re pretermittet.

Accepit quidem ipse dnus. eps. ingens damnum et dispendium in bonis suis, verum quum Mtas. sua dudum declinaverit, ne veniret ad arma cum dno. magistro, sciens quantum malorum contineat in se omne bellum etiam felicissimum, sitque ad hoc suscipiendum coacta multiplicibus injuriis tum aliorum subditorum suorum, tum precipue dni. episcopi et ejus ecclesie. Hec autem alea hoc exposcit, ut fiant varie rerum vicissitudines, fiant cedes, incendia et populationes, idque potissimum contingit locis hosti vicinis, ut sunt bona dni. epi. Quo minus id mirum videri debet. Equum est ut quidquid sors attulit, minus gravate

 ferat,

MDXXI. ferat, presertim quum et ille perpetuam sibi et suo capitulo laudem et memoriam hac fide et constantia comparaverit, et Mtas. sua illum tanto studio tantisque viribus tutata sit, quantis vix ullus unquam princeps suum episcopum defendit. Et proinde hortandus erit ipse dnus. epus., ut quum belli estum et calamitates hactenus fortiter pertulerit, etiam id reliquum quod restat, antequam tragedia ista finiatur, equo et patienti ferat animo.

Mtas vero regia tam nunc quam intra eam actionem, quam in posterum habere dignabitur singularem et benignam rationem hujus fidei et constantie, nec non damnorum ipsius dni. epi. et ejus ecclesie, que illi per omnem commoditatem resarcire sua gratia et beneficentia curabit.

Postremo de pecuniis Mti. sue mutuatis, quod illas dno. epo. missura est.

Item de eo quod apud Gedanenses est.

CCCXCVII. Inducie quadriennales Belli Prussiaci.

Cod. G. R. Sigismundus, d. g. rex Polonie, Mg. dux Lithuanie, Russie, Prussie, Masovie etc. dominus et heres, manifestum facimus per presentes universis: Quod quum ortum esset bellum inter nos et Illrem. dnum. Albertum, marchionem brandeburgensem ordinis Theutonicorum in Prussia magistrum generalem, et ad illud tollendum et componendum misisset ad nos inprimis Sctmus. in Christo pater et dnus. noster, dnus. Leo, papa X., nuncium suum, reverendum in Christo patrem, dnum. Zachariam, epum. gardiensem, cum potestate legati de latere, et deinde Sermus. ac excellentissimus princeps dnus. Carolus, divina favente clementia electus Romanorum imperator, Hispaniarum, Sicilie etc. rex. Catholicus, frater et consanguineus noster charissimus, mgcum. Georgium, baronem de Rogendorff et Mellenburg etc. ac revdum. Sebastianum Sperantium, ecclesie brixiensis prepositum, nec non Sermus. princeps Ludovicus, rex Hung. et Boh. nepos noster charissimus, Illres. principes, dominum Georgium, marchionem brandeburgensem, stetinensem, Pomeranie, Cassubarum, Slavorum ducem, burgravium norumbergensem et Rugie principem, dnum. Fridericum, ducem legnicensem et brigensem, Slesie inferioris capitaneum, et mgcum. Georgium de Alkoschaza, liberum dnum. de Onnoldt, et comitem Zaladiensem, oratores suos pariter misisset, qui omni studio apud nos nomine principum suorum egerunt, ut arma reipublice christiane noxia deponeremus et animum ad pacem et concordiam induceremus. — Nos, qui alioqui bellum hoc cum christiano principe et consanguineo nostro inviti gerimus, ne huic cure et optatis tam Sctmi. dni. nostri, quam predictarum Mtum. ac etiam bono statui reipublice christiane deesse videremur, pro qua etiam assidue cum Infidelibus summo labore et impendio nostro decertamus, articulos infrascriptos in presentia nuncii Sctmi. dni. nostri supra nominati cum eisdem oratoribus supra dictarum Mtum. pariter cum nunciis et mandatariis dicti dni. magistri constituimus et conclusimus, quorum hic tenor sequitur.

Serenissima regia Mtas. Polonie ad instantiam Sctmi. dni. nostri, pape, sacre et Catholice Mtis. cesaree et Sermi. dni. Hungarie et Bohemie regis, tanquam fratrum suorum, et ob salutem

salutem reipublice christiane contenta est arma deponere et cum Illri. dno. magno magistro inducias et pacem inire infrascriptis modis. MDXXI.

Primo: ut inter Mtem. suam regiam Illresque dnos. Stanislaum et Janussium, duces Masovie, et inter prefatum dnum. magistrum eorumque cujuscunque status et preeminentie ecclesiasticos et seculares subditos et hujus belli complices diffidatores fiant inducie quatuor annorum sese continue et immediate sequentium a feria quarta proxima post dominicam Quasimodogeniti, que erat X. Aprilis presentis mensis, incipiendo, ita quod per hoc tempus quadriennii via facti et quarumvis insidiarum utrinque abstineant, quodque etiam nulla partium in suis locis et ditionibus intra hoc tempus quadriennii homines furta, latrocinia et predationes publice vel occulte permittere debebunt in damnum alterius partis.

Secundo: quod Mtas. regia consentit in sacram cesaream Mtem. vel loco et in absentia sue ces. Mtis. in Sermum. dnum. regem Ferdinandum et in Sermum. dnum. Ludovicum, regem Hungarie et Bohemie, in hunc effectum, quod sua Mtas. regia, quo ad juramentum et debitum, quod dnus. magister cum suo ordine juxta continentiam perpetue pacis Mti. sue et regno Polonie facere recusat, contentatur ferre cognitionem prefatarum Mtum. cum adjunctis cesaree Celsitudinis rmo. dno. Matheo, cardinali saltzburgensi et Illmo. dno. duce Saxonie Georgio, et pariter adjunctis Sermi. dni. Ludovici, Hungarie et Bohemie regis, rmis. dnis. Thoma, cardinali strigoniensi, et Georgio, epo. quinqueecclesiensi. Quam cognitionem Mtas. sua regia prefatis Mtibus. plenarie et irrevocabiliter defert. Quam facere et denunciare debebunt ante elapsum terminum suprascriptum induciarum loco et tempore eis opportuno.

Si quis autem unus ex suprascriptis cesaree Mtis. adjunctis ex humanis decederet, Majestas sua, aut Sermus. frater suus una cum alio adjuncto de consensu Illris. dni. magistri alium in defuncti locum substituere valeat. Similiter si ex adjunctis Sermi. Hungarie et Bohemie regis unus e vivis discederet, poterit Mtas. sua regia de consensu regie Mtis. Polonie etiam alium in locum demortui deputare.

Item tertio: quod milites mercenarii parte ex utraque discedere debebunt intra spatium quatuor septimanarum a festo Pasche proxime effluxo immediate sequentium, sive alicujus partis et subditorum ejus injuria et damno, et presertim milites Illris. dni. magistri, sive ex Kinsberg, sive ex Belga, sive ex Braunsbergk ac aliis locis et civitatibus, recto itinere ire debent in insulam Nergiam et deinde per terram usque ad portum maris Minde nuncupatum et deinde ductu in navibus civium gedanensium Visla flumine superato, recto itinere pergere in Pomeraniam absque omni damno et injuria subditorum regie Mtis., neque castra metari aut pernoctare in civitatibus et oppidis, sed solummodo in campis et villagiis. Similiter subditi Mtis. regie providebunt prefatis militibus de navibus pro transitu Vistule etiam de victualibus, pro justo tamen pretio et moneta usitata. Si autem milites unius partis subditis alterius partis in hoc transitu et discessu suo vim, injuriam aut damnum ullum inferrent, debet ejus rei cognitio super hujusmodi transgressione etiam et de resartiendo damno stare penes suprascriptas Mtes. et principes arbitros.

Item quarto: quod spectat castra et oppida ab utraque parte intercepta et damna etiam perpessa, Mtas. regia potest ferre, ut predicti arbitri etiam desuper decernant.

Item

MDXXI. Item quinto: quod captivi omnes utriusque partis absque aliquo onere debeant ex nunc esse liberi.

Ut autem premissa omnia per autoritatem ad hoc negotium congruentem et necessariam ita firmarentur, quod in futurum nulla eventuum novitate irritarentur, Sctmus. dnus. noster istis rmis. dnis. duobus cardinalibus committere dignabitur, quatenus nomine Sctis. sue inter istos principes concordiam istam tractantes diligentiam adhibeant, sicque concordent, ut ista concordia fieret. Utque ipsi domini duo cardinales et in eventum mortis alicujus eorum, alter vivens cum eo, qui in demortui locum electus esset, confirment concordata et decernant autoritate apostolica perpetuo duratura adjicientes comminationem penarum et censurarum sicut ipsis dominis cardinalibus videbitur.

Quos articulos in omnibus punctis et clausulis, ut jacent, Nos Sigismundus, rex predictus, de certa scientia nostra laudamus, approbamus et quantum nos ac prefatos dominos duces Masovie nostrosque et illorum subditos concernunt, ratificamus et confirmamus, et in suprascriptorum majorem efficaciam et evidentiam tenore presentium constituimus et compromittimus in prefatas Mtes. cum adjunctis principibus supra in secundo articulo expressis tanquam in arbitros, ut si negotium inter nos et supradictum dnum. magistrum amicabiliter componere non possent, plenam et omnimodam facultatem habeant ferendi cognitionem et pronunciandi circa juramentum et debitum, quod dictus dnus. magister cum suo ordine juxta continentiam pacis perpetue nobis facere recusat, similiter circa omnes alios articulos suprascriptos simpliciter et de plano absque strepitu juris juxta vim articulorum suprascriptorum. Promittentes in verbo nostro regio omnia et singula in eisdem articulis contenta et conclusa, et similiter quicquid per suprascriptos principes et arbitros cognitum, laudatum et decisum fuerit, secundum modum et continentiam articulorum suprascriptorum firmiter et inviolabiliter observare et illis nequaquam contravenire directe vel indirecte absque omni dolo et fraude. Harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum in civitate nostra thorunensi.

CCCXCVIII. Zacharie, Epi. Gardiensis, Legati apostolici, ad Sigismundum, Regem Polonie, pro belli Pruthenici suspensione et armorum depositione gratiarum actio.

Cod. G. Etsi potius optassem de perpetua inter te et Albertum, Prussie magistrum, facta reconciliatione ac pace inita, si datum esset, eternas deo opt. max. tibique, Sigismunde, rex invictissime, gratias agere, pro cruento tamen hoc et diuturno bello a te saltem intermisso eas nequaquam pretermittendas esse censeo; quandoquidem tu, princeps clementissime, christiane cladis misertus Sctmi. Leonis X., antistitis maximi, paterno consilio ac imperio pontificio parere pro innata tibi religione non recusasti. Ampliore profecto ac jucundiore gaudio letari decuisset, si omni pene christiano orbe pacato, hanc quoque habitabilis terre extremitatem ab omni belli suspicione ac periculo immunem conspicaremur; illud quod Davidicum,

vidicum, quod quotide ore versamus: „venite et videte opera domini, que posuit prodigia MDXXI.
super terram auferens bella usque ad fines terre,“ in hoc tuo regno adimpletum esse contueremur. At quum ad quatuor annorum inducias pro beatissimi pontificis voto tuum animum inclinasti, quibus ad perennem pacem via facilis habenda est, summo illi opifici inprimis, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, quas possum immortales et immensas tueque Serti. ingentes habeo gratias ac referre opto, postquam tot rei christiane periculis a te occurritur, postquam pontifici sctmo. obtemperatur, postqnam tot nostras curas et operas assiduas, tot varia longa et difficilia itinera, tot mentis et corporis discrimina et pericula, tot sedula officia frustra et incassum non egimus, non suscepimus, ad illosque pedes beatissimos et thronum apostolicum tantorum laborum fructum aliquem referre liceat. Tuum erit interea, rex amplissime, eis conditionibus, eis modis regium tuum animum benigne flectere et accommodare, quibus inter te, avunculum Sermum., et Albertum, ex sorore nepotem principem excellentissimum, ac ordinem Theutonicorum, vera, integra ac perpetua reconciliatio, pax et necessitudo instaurentur, illaque dissidia, illa arma, que hactenus inter vos efferbuere in christiani generis et catholice unitatis inimicos, quos in januis uterque vestrum habetis, rejiciantur. Subeat nunc illa sancta ac salutaris cogitatio assumendi arma in Turcas, in Mauros, recuperandi patriam illam mystico lacte et melle manantem, ubi deus noster ante secula operatus est salutem in medio terre, ut inde omni Infidelium ac immundorum hominum lue eliminata et sublata tyrannide, liberi adoremus in loco, ubi steterunt pedes ejus. Subeat nunc cura illa egregia et insignis eripiendi fratres nostros, verum semen Abrahe, de impiissimi Mahometis jugo, ac orientale imperium sancte et immaculate religioni restituendi. En sub crudeli diutinaque servitute genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis languet, super flumina Babylonis sedet et luget dum recordatur libere Sion nostre. Huc, rex invictissime, huc, rex gloriosissime, una cum nepote tuo charissimo Alberto, una cum principibus christianis universis apprehende arma et scutum et exurge in adjutorium populi christiani, effunde frameam tuam adversus eos, qui nos persequuntur. Nec enim sunt, que te gloriosissimum tuamque prolem dulcissimam Sigismundum Augustum, principem, quem diu votis omnibus efflagitatum, expectatum a deo max., ex Bona regina inclyta tandem, tum ex Aragonum regibus, tum ex Sfortiadum ducum sanguine prestantissimo nostreque Italie splendore candidissimo impetrasti faustum et invictum, ubique posteritatemque tuam eviternam efficient. Gratulor itaque quieti tue, rex amplissime, gratulor tranquillitati, vixque explicari a me potest, quanta letitia, quanto gaudio mea undique precordia compleantur, quum te sospitem pacatumque modo in regiam tuam urbem Cracoviam reducem, alme conjugis charique Augusti, quem amplius vidisti nunquam, et dulcium pignorum, a quibus abfuisti diu, jucundissimo aspectu oblectandum adeo esse his oculis prospecturus sum, ut omnium curarum, quas hactenus subiisti, sustinuisti, tum te oblitum fateare. Dixi. —

Thorunii VII. Jdus Aprilis, anno pontificis Leonis X. IX. Sigismundi regis XV.

CCCXCIX. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Prussie.

MDXXI. Cod. G. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Fuit apud nos nobilis Henricus Melticz, qui nomine regentium ordinis exposuit nobis injurias ab officialibus nostris, subditis dni. magistri ac ipsius ordinis inferri. Nos nolentes, ut ex parte nostra aliquid tale committeretur, quod induciis et paci contravenire deberet, statuimus consiliarios et commissarios nostros pro festo S. Georgii proximo ad civitatem nostram Graudentz mittere; qui unacum nunciis dictorum regentium injurias utrinque factas audirent et componerent. Ad quod munus obeundum designavimus cum aliis tuam Sinceritatem, hortamusque illam, ut illic in Graudentz ad festum S. Georgii proficiscatur et auditis unacum aliis concommissariis et nunciis ordinis ex utraque parte injuriis factis super bonis post factas inducias occupatis et aliis quibuscunque illas concorditer et equanimiter componere curet, ne quid per nos stetisse videretur, quominus pax et inducie inviolate permeneant. Dat. Thorunii fer IV. Pasche.

Joanni de Lusianis, Epo. Culmensi.
Stanislao de Coscielec, Palatino, Siradiensi, Marienb. Bidgost. Stumensi Capitaneo.
Joanni de Lusianis, Palatino Culmensi, Radzinensi et Dzialdowiensi Capitaneo.
Georgio de Baisen, Palatino Marienburgensi et Capitaneo Gnevensi
Georgio de Conopat, Palatino Pomeranie et Capitaneo Swecensi
Ludovico de Mortangen, Castellano Elbingensi, Capitaneo Pokrziwnensi.

CD. Andreas Krziczki, Pptus. Posnaniensis, Petro Tomiczki, Epo. Posn. Vicecancellario.

Cod. G. Rme. etc. Audio vram. rmam. Dtionem. barbam tandem deposuisse et medicos missos facere, quod mihi attulit summam consolationem, atque utinam id antea dudum fecisset, priusquam medici et caput ei electuariis inusitatis et stomachum cibis contusis turbassent et infecissent. Supplico rme. Dtioni. vre., significare mihi dignetur, quo in statu sit sua valetudo, et iter suum, quantum potest, Cracoviam acceleret.

Vadit istuc ad illam visendam rmus. dnus. Joannes Laski, archieps., venturus demum Cracoviam, ac illinc etiam in Camenec usque; tantum abest, ut se egrum sentiat aut morituram, ut pre se fert. Supplico vre. rme. Dtioni., dignetur hominem a se simpliciter non rejicere. Vellet enim illam importune successorem suum habere, abhorrens illum alterum, ut inquit, sola Reipublice causa. Potest enim optime rma. Dtio. vra., illum penitus non rejiciendo, causam egritudinis sue pretexere et negotium aliquo modo suspendere, usque ad perfectam suam sanitatem. Interim multa evenient, et presertim si Lithuaniam proficiscemur. Si Dtio. vra. rma. sua causa non dignatur hominem istum aliquo modo in spe retinere,

retinere, saltem id facere dignetur suorum causa; novit enim quomodo ille commodare in- MDXXI.
commodareque potest hominibus, ubi nervos intendit. Nos hinc fortasse intra octo dies discedemus. Me vre. rme. Dtioni. humiliter commendo. Thorunii XVII. Aprilis.

Mi rme. dne. Volui mittere hunc nuncium meum ad visendam rmam. Dtionem vram. summo tedio affectus, nesciens, qualiter nunc valeat. Is referat alia meo nomine et que hic aguntur. —

CDI. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Redeunte ad Dtionem. vram. rmam. nostro Matigiewski, (Macziejowski R.) supervacaneum Cod. G. R.
visum est, aliquid eorum scribere, que hic aguntur, quum ipse omnia melius narrare consuevit, quam scribi a me possint; et licet hic non plus quam tribus diebus fuerit, omnia tamen pervestigavit.

Mi rme. dne.. Audio adhuc vram. rmam. Dtionem. dolore dentili teneri, egi super hac re sollicite cum dno. cancellario et cum medico nostro: dejerant, nihil esse periculi, desuevisse illam tanto tempore lavari et proinde ejusmodi accidentia fieri oportere etiam in sanis. Jubent me in utramque aurem dormire, si consilia ipsorum sequi dignabitur. Ego quid horter aut quid rogem nescio preter hoc unum, ut quantocius fieri possit, nos Cracoviam sequatur, illic consiliis presentibus tam medicorum quam amicorum omnia, juvante deo, recte succedere poterunt.

Nos feria V. hinc solvemus, undecimo die Cracoviam venturi. Dnus. Christophorus subsistet in Gostin aliquandiu. Me vre. rme. Dtioni. humiliter commendo. Thorunii sabbato Jubilate.

CDII. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Accepi his diebus binas literas vre. rme. Dtionis. Unis scribit pro elegio rmo. olim dno. Cod. G. R
Lubbrantio, epo. posnaniensi. Id qualiter tumultuariter fieri potuit mitto, alteris diluit sapientissime illa, que de moderno ambitu interturbando scripseram. Et laudo quidem hunc illius animum vere philosophicum; verum quum is ad disputativam magis quam ad civilem vitam pertineat, ut sensit Cicero, qui et ab hoste, quod daret, accipiendum censuit, ego, qui ne id quidem suasi, sed non rejiciendum duntaxat omnino, nescio quid indigni inhonestique rme. Dtioni. vre. suaserim. Nam et Mtas. regia primum, qui Ardelionis hujus conatus nec admittit omnino, nec repudiat, id quod plerisque aliis facit, jam omnium esset ignominiosissima. Sed otium non est rationes meas explicandi, nec, si esset, id suadere vellem, quod illi cordi non sit. Verum quod ad me attinet, quia putat, me causa mea hoc foro uti velle, quamquam dici malim albe galline filius quam atre, cognoscet tamen, me hec minime inhiare, ad que putant homines me ab illa summo studio et commendationibus

MDXXI. tionibus insinuari. Satis superque mihi est, quod regia et vre. rme. Dtionis. beneficentia habeo, diisque gratias ago, quod hoc tempore cognovi me aliqua ex parte beneficentiam ipsam erga principem meruisse, ut qui me inter tot invidos et insidiatores laborum meorum solum absque ullo adminiculo manutenuit et servavit a laqueis venantium, tribuens mihi plus quam nec mereor nec sufficio. Sed hec quasi otiosus.

Mi rme. dne.. Gaudeo plurimum et dno. deo gratias peregi, quod sensim ad salutem accedit, supplicoque illi ita suadente medico, ut a medicinis quibuscunque abstineat; sed si agitatur defluxu aliquo, re in egritudine hac peculiari, cum diversionibus lenibus extra resolvi curet. Iter vero ad nos, quantum fieri potest, citra incommodum approperet.

Doctor Albinus non indiget commendatione apud rmam. Dtionem. vestram, explicabit ipse erumnam suam, in quam impostor ille eum detrusit, rogo, ne illum deserat. Ego, pro mea parvitate, quid solus duntaxat pro illo hic fecerim, notum est universe curie. Jam avocor ad sartinulas colligendas. Me vre. rme. Dominationi humiliter commendo. Thorunii XXIV. Aprilis.

In tumulum Joannis Lubranski, Epi. Posnanien., Andreas Cricius.

Ex cod. mss. bibl. Korn.

Humanam quicunque velis expendere vitam
Sit quantum instabilis, lubrica plena doli,
Cautus inexpletos mundi vitabis honores
Hujus et eterne cura erit una domus.
Ille ego Joannes presul Pinarius adsum
Exemplo, credis si minus, ecce tibi
Felsinea quem primum dehinc celse curia Rome
Juribus instituit Pieridumque modis.
Regius inde favor meritumque et dotibus aucta
Gratia contulerat pontificale decus,
In quo ducta quidem fuerat sine crimine vita
Edita multa sacris multaque pauperibus,
Altius adfigens animum memorandaque mente
Plurima designans, fluxa nec illa videns
Omnia deserui momento subrutus uno,
Non bene previsa dispositaque nece.
Fama mea inculpata tamen meritumque perenne
In templa atque inopes in patriamque manet,
Hoc fruor, in vanos abierunt cetera fumos
Que, moneo, fugias, nec tibi dicta neges.

CDIII. Andreas Cricius Petro Tomicio.

Applicuimus huc hodie diis gratia salvi et incolumes, et presertim Mtas. regia tam leta et hilaris, ut e carcere soluta videatur. Dnus. cancellarius divertit in Gostin, mittit tamen mecum dnum. Crasowski, qui me in laboribus juvaret. Voluit nonnulla scribere vre. rme. Dtioni. super illo ambitu et practicis, sed admonitus per me de sententia illius et quam has pactiones abhorreat, substitit. Dixit tamen mihi, malle quidem se, ut S. Stanislaum potius quam S. Albertum coleremus; tamen antequam res cum illo sene concluderetur et presertim, quod multi asseverant illud de Fortune filio, non esset ab re, negotium aliquo modo saltem ad Cracoviam ita in dubio relinquere, ne cum illa nostra Ursibranca concluderetur, quem rma. Dtio. vra. nihil dubitet manibus et pedibus nihil magis conari; sed hec sint arbitrii et sanioris consilii rme. Dtionis. vre. MDXXI. Cod. G. R.

Lancearii omnes dni. magistri egressi sunt ab illo magnificantes Mtem. regiam, et ut significarunt illi, quod per occasionem mallent militare Mti. sue pro medio stipendio, quam alteri pro integro. Magistro vero coram nostris summe maledicunt et imprecantur. Hec tamen gloria magno nobis constat.

Supplico rme. Dtioni. vestre, scribere mihi aliquando dignetur, an per Masoviam vel recta via ad nos sit ventura, et quo tempore reditum illius ad nos expectare debeamus. Valeat felicissime et mei, servitoris sui, non obliviscatur. Ex Brzescie d. XXVI. Aprilis.

CDIV. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali de Grassis.

Rme. in Christo pater. — Cum hoc toto tempore egissent apud nos sollicite cum nuncius Sctmi. dni. nostri, rdus. dnus. eps. gardiensis, tum etiam insignes oratores cesaree Mtis. et Sermi. dni. Hungarie et Bohemie regis, nepotis nostri charissimi, ut ab armis cum Illri dno. magistro Prussie desisteremus: post multos inter nos tractatus in hunc tandem modum has conditiones et in eum effectum inducias suscepimus, quemadmodum ex oratore nostro, rev. dno. epo. plocensi, vra. rma. Ptas. plene cognoscet. Et quamvis ea res fuerit nobis nonnihil gravis et indigna justitie nostre, quod bellum pro illa tanto tempore, tantoque impendio et felicitate gestum, egreferentibus universis subditis nostris, intermiserimus tamen, ne votis Sctmi. dni. nostri, et predictarum Mtum. ac rei christiane deesse, nimiumque duri in sanguinem nostrum esse videamur, non renuimus tanti temporis inducias, sperantes, quod accedente favore Sctmi. dni. nostri predicte Mtes., uti earum oratores nobis promiserunt, negotium hoc ita tractabunt et component, ut et firmitati et justitie nostre, dignitati nostre ac reipublice christiane optime consultum videbitur. Quare vram. rmam. Ptem. omni studio rogamus, ut mutuo consilio cum dicto oratore nostro habito et negotio ex illo cognito agat apud Sctmum. dnum. nostrum, ut id, quod nos causa illius Sctis. et rei christiane fecimus, non cedat in detrimentum jurium et dignitatis nostre, utque illius Cod. G. R.

MDXXI. Sctas., ne acta tanti laboris in fumum ac in magnam perturbationem rei christiane abeant, ita se et autoritatem suam accommodet, ne nos illius fiducia, tantam tantique sumptus actionem frustra intermisisse et predicte Mtes. nequicquam operas suas in hoc negotio prestitas appareat collocasse. Quemadmodum ea omnia, que necessaria videntur, ex prefato oratore nostro et nuncio apostolico vestra rma. Ptas. clarius cognoscet. Qui quidem nuncius, quum se in his omnibus actionibus diligenter et religiose gessit, commendamus illum eidem rme. Pti. vre. rogamusque, ut eum apud Sctmum. dnum. nostrum promovere velit, quo intuitu nostri eum Sctas. sua uberiori gratia et beneficentia sua complectatur et ad majora provehat. Res etiam et negotia nostra vestra rma. Dtio. apud illius Sctem. pariter commendare et promovere dignetur suo solito patrocinio. Quod illi pari studio et gratificatione nostra referre curabimus. Felicissime valeat vra. rma. Ptas. et nos diligat.

CDV. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo Ciolek, Episcopo Plocensi, Oratori regio Rome agenti.

Cod. G. R. Rde. in Christo pater etc. Perscripsimus abunde jam pridem vestre Pti. successus nostros bellicos: postea venerunt ad nos oratores cesarei et Sermi. dni. Hung. et Boh. regis, agentes cum nuncio apostolico, ut ab armis desisteremus et totam differentiam in arbitralem cognitionem predictarum Mtum. deferremus. Tractavimus cum illis circiter tres menses de concordia et pace alio et certiori modo determinanda. Sed quum aliter convenire non potuerimus et oratores ipsi apud nos instantissime egerunt, ut non gravaremur inducias suscipere et differentiam omnem predictis Mtibus. cognoscendam deferre, ne videremur vel appetere profusionem sanguinis christiani, vel justitie nostre diffidere, suscepimus inducias quatuor annorum et de hoc solum, quod juramentum attinet, quod jam a plerisque annis non est prestitum et cujus causa bellum est subortum, permisimus, ut dicte Mtes. cognoscerent, et pariter de novis differentiis, prout hoc ex tenore literarum ejus tractatus vestra Ptas. cognoscet, quarum exemplum illi mittimus. — Quia vero nos absque nuncio Sctmi. dni. nostri nihil agere voluimus, nec etiamnum absque autoritate ejus Sctis. cognitionem predictarum Mtum. fieri vellemus, neque id commodius fieri posse videbatur et dignius, quam ut sua Sctas. rmis. his duobus cardinalibus, predictarum Mtum. assessoribus, vices committeret suas potius quam aliquis alius ab ejus Scte. mitteretur, qui vel in expectatione longa esset, vel alterutri, aut etiam utrique parti suspectus esset. Id unum restat agendum apud suam Sctem., ut ipsis rmis. dnis. cardinalibus assessoribus, videlicet strigoniensi et salzburgensi, committeret vices suas sollicitandi, tractandi, conficiendi et confirmandi hoc totum negotium juxta vim et effectum articulorum condictorum, ne qua et perplexitas in posterum relinquatur, et nos, qui causa illius Sctis. et rei christiane rem nostram justam et magno impendio nec minore felicitate actam frustra intermisisse videremur. Unde non posset nisi maximum incendium belli et summa perturbatio rei christane sequi.

sequi. Et proinde vestra Ptas., communicata re cum rmo. dno. cardinali de Grassis, liberius MDXXI.
quam cum ceteris ad quos scribimus, et provisa consultissime dignitate nostra, ne hujus concordie nimium cupidi videremur, agat cum illius Dtione. rma. apud sctmum. dnum., ut ejusmodi autoritatem predictis dnis. cardinalibus agendi et confirmandi suo nomine, quicquid per arbitros ipsos cognitum fuerit, concedere ne gravetur, et in ea concessione ita justissimis rationibus nostris providere, ut in illius Sctis. benignitate erga nos maxime confidimus. Quo Sctas. sua nos sibi perpetuo devinciet et reipublice christiane plurimum commodabit. Quod ad matrimonia Illmarum. filiarum nostrarum ac alias res, quas nobis vra. Ptas. scripsit, attinet, per alium nuncium illi ad plenum rescribemus. Que bene valeat.

CDVI. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro in Prussia.

Illris. principes etc. Accepimus literas vre. Illtis., quibus commemorat ea, que non pridem Cod. G. R.
nobis per nuncium suum, nobilem et religiosum Henricum Meltitz, significavit, et vicissim ille a nobis responsi habuit, quodque speraverit, nos cognita sua oblata exhibita et propensa voluntate in eo, quod ad componendam causam principalem spectaret, proponere illi modos aliquos gravari non debuerimus. Declaratque Illtas. vra., se propensam esse quidem ad proponenda ea media, quibus ipsa et ejus ordo nobiscum ad unionem et ad perfectam ac diu duraturam pacem reduci possit; hactenus tamen non potuisse eorum consilia attingere, sine quibus nihil ei foret integrum proponere et constituere de ipsa differentia nostra componenda. Significatque, ut, quam celerius fieri posset, consulere cum illis vellet et nobis modos et conditiones tollende ipsius differentie nostre, que opportune illi viderentur, declarare, postulans tamen a nobis, ut interim, si fieri posset, adhuc et nos cum consiliariis nostris modos ipsos perquiramus et vre. Illti. proponamus. Nos, charissime nepos noster, gratum habuimus semper et habituri sumus quidquid nobis Illtas. vra. offert et ostendit ex se ad pacem et concordiam nostram mutuam, ut qui nihil minus optamus, quam cum illa tam arctissimo necessario nostro temporeque toti Christianitati tam periculoso contendere. Verum quum nos sepius, cum alias, tum novissime Thorunii proponebamus Illti. vre. et ejus ordini eas conditiones et modos, qui nobis et honesti utrique nostrum et conducibiles videbantur, fueruntque semper omnia rejecta et spreta, non possumus amplius nos querere et excogitare ullos modos, quum inventiones nostras experti sumus minus acceptas esse et inefficaces. Expectabimus vero et audiemus libenter, si quid nobis Illtas. vra., consultis his, quibus opus putat, proponet ad dissensionem penitus inter nos tollendam; et id totum non gravatim amplectemur, quodcunque nobis et regno nostro honestum ac ferendum videbitur.

Ceterum quod scribit Illtas. vra., expectare se velle conventum, quem nos ad componendas utrinque differentias officialium et subditorum nostrorum constitutum post sedatam pestem celebrari faciemus, est nobis gratum, committemusque consiliariis nostris, ut una cum illis, quos Illtas. vra. illuc mittet, diligenter et equanimiter omnia componant. Verum quia nonnulli

MDXXI. nonnulli prefecti arcium et oppidorum nostrorum queruntur inferri bonis et subditis nostris injurias ab officialibus Illtis. vre., postulamus ab illa: continere eos velit et providere, ut deinceps non inferantur ipse injurie, et nos committemus pariter officialibus nostris, ut se erga officiales Illtis. vre. et ejus subditos concorditer et equanimiter gerant. Valeat feliciter vra. Illtas., Datum Cracovie.

CDVII. Cricius Tomicio.

Cod. G. R Quum omnium a summis ad infimos ingens sit exultatio de incolumi reditu vre. Dtionis., rme., quin et urbs et menia hec gestire videantur, ego, qui hactenus tota spe et presidio meo privatus vitam in tedio et suspiriis egi, quanto gaudio perfusus sim, facilius est cuique existimare, quam mihi scribere. Etenim quum puer iste venit ad me cum literis, angelum mihi quempiam adfuisse sum ratus. Tantum autem est meum desiderium jamjam videndi vram. rmam. Dtionem., ut et hoc tantillum temporis, antequam huc perveniat, mihi annus videatur. Dnus. deus ingressum ejus fortunet, ad cujus conspectum confundantur et revereantur simul, qui querunt animam ejus, ut auferant eam, et cognoscant, quoniam salvum fecit dominus Christum suum et non dedit in commotionem pedes ejus. Commendo interim meam humilem servitutem. Cracovie die Veneris post meridiem.

CDVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Epo. Sambiensi (Pomesaniensi Cod. R.)

Cod. G. R. Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Accepimus literas vre. Ptis. quibus commemorans differentiam, que fuit inter Christianum Colman, civem gedanensem, et olim Arnoldum Tulle, postulat a nobis, ut res et cineres ejusdem Arnoldi, cujus heres et legitimus successor est Casper Harttman, que per ipsum Colman in civitate nostra kownensi sunt retente, dimitti juberemus. Queritur deinde super capitaneum nostrum in Morungk, quod non pacifice et preter conditiones induciarum gerat se in prefectura, usurpans id, quod ad eum non pertineret. Postremo agit de rebus per plebanum in Morungk intestatum derelictis.

Quod ad cinerem et res alias retentas dicti Arnoldi Tulle, seu ejus heredis Casparis Harttman attinet, nos recte meminimus ejus differentie; multocies enim, quum prefatus Colman, subditus noster, spoliatus esset rebus suis istic in terra ordinis et per sexdecem aut supra septimanas in carcere tentus, scribebamus Illri. dno. magistro, ut ea vis non inferretur subdito nostro, quum nos parati essemus et spectaret ad nos justitiam de illo ministrare. Quando autem in ea re adeo indigne commissa adversum nos, ut ne infimo quidem homini, qui subditos habeat, recte inferretur, nihil efficere potueramus scriptis et postulatis nostris equissimis, dedimus potestatem ipsi Colmano, ut retinere posset et damnum suum sarcire rebus, que evenirent in terris nostris suorum adversariorum. Id quod nunc retractare

tare non licet. Verum hoc concedimus ad postulata vre. Ptis., ut prefatus Caspar Hartt- MDXXI.
man agat coram nobis ipsis jure adversus dictum Colman sive per se sive per alium, et nos ei debitam justitiam ministrabimus.

De capitaneo in Morungk, quia ille querebatur, usurpari ab officialibus dni. magistri ordinis vestri ea, que ad arcem Morungk pertinerent, et que bello parta sunt: nos ob eam rem et alias statueramus conventum in Graudencz et eidem dno. magistro tempestive id declaravimus, optantes, ut ad eum mitteret nuncios et consiliarios, quo possent omnes differentie componi et sisti. Quando autem id facere Illtas. sua non curavit, nos quid aliud prestare ex nobis debeamus nescimus et non libenter quidem videremus idque omnibus istic officialibus vetuimus, ne quid committant adversus equitatem et conditiones induciarum. Verum id etiam, quod ad arces nostras, et que nos tenemus, spectat, quodque bello a nobis est partum, eripi et usurpari ab aliis non patiemur.

Res per plebanum intestatum derelictas vra. Ptas., quum nondum sit episcopus pomesaniensis per sedem apostolicam confirmatus, jure, et si se christianum episcopum profitetur, repetere et exigere non potest, sed etsi confirmata jam esset, non tamen sibi usurpare res ipsas deberet, sed tantummodo pro usu ecclesie, ex cujus proventibus sunt quesite, dispensare. Itaque quando vel Ptas. vra. vel quispiam alter erit perfectus et confirmatus eps. pomesaniensis, nos ipsas res derelictas illuc converti et dari jubebimus, quo jure converti et dari debent. Bene valeat Ptas. vra..

CDIX. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopo Sambiensi.

Rde, in Christo pater. Accepimus literas Ptis. vre., quibus nobis declarat id, quod nonnulli Cod. G. R.
nobiles ex Masovia pre se ferant adversus prefectum castri Nidborg, quod non libenter audivimus, quandoquidem per nos et subditos nostros nollemus aliquam occasionem dari, qua juste possent inducie nostre cum Illri. dno. magistro labefactari. Quia vero nobiles ipsi partim nostri sunt, partim vero Illrium dnorum. ducum Masovie, nos mandato nostro. continebimus nostros, ad ipsos vero dnos. duces Masovie scribimus etiam literas, quas vre Pti. mittimus, ut pariter suos contineant. Curet tamen ipsa, ut si hi idem nobiles petent sibi et amico suo, pro quo agunt, justitiam ministrari, eam apud illam consequantur, ne justa illis occasio detur, id, quod conceperunt, exequendi. Quo faciet vra. Ptas. rem communi quieti necessariam. Que bene valeat.

CDX. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao et Janussio, Ducibus Masovie.

Illres. domini, sincere nobis dilecti. Scripsit nobis rdus. in Christo pater, dnus. Georgius, Cod. G. R.
eps. Sambiensis, regens et cancellarius terre ordinis S. Marie Theutonicorum de Prussia,

 querens

MDXXI. querens, quod nonnulli nobiles nostri et vrarum. Illtum. denunciaverint per literas suas prefecto castri Nidborg, se vindicaturos de illo injuriam, quam dicunt eum cuidem amico eorum intulisse, id quod ex copia literarum presentibus inclusa vre. Illtes latius cognoscent. Nos mandavimus nostris, ut abstineant ab eo, quod adversus ipsum castri Nidborg prefectum pre se ferunt. A vestris vero Illtibus. postulamus, quo pariter suos contineant, ne id, quod conceperunt contra illum, exequantur, neve ullam occasionem prebeant pacem et inducias cum Illri. dno. magistro per nos factas labefactandi; sed requirant pro justitia prefatum dnum. regentem, epum. sambiensem, cui scripsimus, ut illam ipsis vel eorum amico de prefecto nidborgensi ministret. Facient vre. Illtes. in hoc rem virtute et autoritate sua dignam et communi quieti necessariam. Que feliciter valeant.

CDXI. Sigismundus, Rex Polonie, Georgio, Epo. Sambiensi.

Cod. G. R. Rde. in Christo pater. Scripsit nobis Ptas. vra., commissarios, quos ad cognoscendum de differentia ratione molendini in Richhrod designaveramus, re incomposita discessisse, pretendentes, sibi a nobis duntaxat conspiciende differentie et non definiende commissionem datam fuisse, postulavitque a nobis Ptas. vra.. ut alios commissarios cum plena facultate illuc mitteremus, qui differentiam componerent. Nos hactenus, uti hec res acta fuit, ignoravimus, propterea, quod subditis his nostris in bello existentibus non vacabat, hec ex commissariis nostris cognoscere. Verum nunc post reditum e bello subditorum nostrorum et acceptas literas vre. Ptis advocavimus eosdem commissarios nostros, et ab illis, quo pacto negotium hoc obmisissent, perquisivimus. Qui nos ita certiores fecerunt, quod ipsi parati erant, differentiam istam componere et determinare, si commissarii ex parte vra. itidem de injuriis ex terra Illris. dni. magistri subditis nostris illatis cognoscere et determinare voluissent. Qui se ad hoc plenam potestatem habere negaverunt. Sicque non per eos, sed per vros. commissarios factum esse, quominus negotium compositum manserit. Utcumque est, nos ad postulationem Ptis. vre. mittemus alios commissarios cum plena facultate pro feria II. proxima post festum inventionis s. crucis proxime futurum, ad negotium et differentiam istam componendam. Verum Ptas. vra. provideat, ut pariter ex parte vra. commissarii cum tali facultate veniant, qua etiam subditis nostris injurie ipsorum sarcirentur, quas circa illas oras non modicas se habere de terra ordinis vestri queruntur ex inundatione fluminis, qui ad ripam illorum aggeribus et obstaculis arte et industria factis premitur. Nam quemadmodum nos injuriam a nostris nulli inferri vellemus, ita vicissim illis eam inferri a quopiam ferre non possemus. Bene valeat Ptas. vra.

CDXII. Sigismundus, Rex Polonie, Stephano, Vojevode Valachorum.

Cod. G. R. Mgce. dne., amice sincere nobis dilecte. Gratam nobis rem fecit Mgcia tua, quod nos certiores fecit de his, que aguntur apud imperatorem Turcorum et que Tartari adversus nos moliuntur

moliuntur. Nos providere curabimus, ut illi nobis et subditis nostris damna non inferrent. Ta- MDXXI.
men, ubi necessitas postulavit, rogamus tuam Mgciam., ut nobis auxilium prestet; quod licet in preterita necessitate non fecit, tamen confidimus in illa, quod nunc diligentius curabit nos juvare juxta inscriptiones et federa inter nos inita, et nos vicissim Mgcie tue in omni ejus necessitate nunquam deerimus. Quam etiam rogamus, ut quemadmodum facit, non gravetur nobis significare, quando aliquid novi et presertim, quod in damnum nostrum cedere debere intelliget. Valeatque feliciter.

CDXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni Polonie.

Generose fidelis dilecte. Significavit nunc nobis celerrime et summa sollicitudine palatinus Cod. G. R.
Moldavie, imperatorem Turcorum magna expeditione facta partim Danubio, partim terra versus has regiones in persona sua contendere, Tartaros etiam in campis propinquis paratos expectare ad irrumpendum, quo illi se convertent. Non dubium esse, quin vel regnum nostrum, aut Hungarie sint invasuri, petitque a nobis auxilium in eventu necessitatis sue. Ubi vero nobis incumberet, promittit, se pares suppetias nobis laturum. Et hec quidem omnia, que ipse nobis de Turcis et Tartaris significavit, etiam ex literis dni. ducis Constantini et ex Hungaria cognovimus. Unde plane videntes, ingens discrimen regno nostro imminere, sive calamitas ista recta nos invadet, sive Valachum aut Hungaros obruet, unde majore commoditate in nos postea devolveretur, significandum id quam primum Fti. tue voluimus, hortamurque illam, nobis quam celerius consilium suum perscribat, quid nobis in eventu isto exequendum censeat, et quale auxilium Valacho prestare, ipsi quoque quo modo nos domi comparare et instruere debeamus, ad tantum tamque presens discrimen arcendum. Nam uti res subita et inopinata magnique momenti et periculi, ita absque scientia et consilio Ftis. tue et aliorum consiliariorum nostrorum nihil agere voluimus nec volumus. Non solum autem res exigit, ut eadem Ftas. tua consilium nobis opportunum prebeat, sed ut etiam ipsa cum aliis subditis nostris sit in omnem eventum parata. Pro debito suo et salute Reipublice et gratia nostra factura. Datum Cracovie feria II. ante festum visitationis Marie.

CDXIV. Sigismundus, Rex Polonie. Ludovico, Regi Hungarie et Bohemie.

Serme. etc. Rediens istinc a Mte. vra. ad nos orator noster rev. dnus. Mathias Drevicius, Cod. G. R.
eps. vladislaviensis, nobis retulit, quantis viribus quantoque conatu imperator Turcorum contendat adversus regnum et dominia Mtis. vre. Hungarie, et quo in metu ac perturbatione sit regnum ipsum constitutum. Unde maximam animi molestiam et sollicitudinem cepimus;

MDXXI. pimus; jam enim Mti. vre. satis exploratum putamus, ejus omnes res, fortunas et rationes nobis cum nostris communes esse. Quare vehementer anxii de statu Mtis. vre. mittimus hunc nuncium nostrum, ad illam et res ejus visendas. Quam plurimum rogamus, ut nos de omnibus ad plenum certiores reddere dignetur. Et quia eadem que ab oratore nostro accepimus, nobis vojevoda Moldavie significavit, addens: imperatorem Turcarum sibi in subsidium Tartaros ascivisse, qui jam copias omnes suas finibus harum regionum nostrarum admoverunt, curam habemus cum subditis nostris, ut si quod aliud auxilium Mti. vre. prestare nequiverimus, eorum Tartarorum impetum reprimamus, aut saltem ita arceamus, ut Turcis nullo modo adminiculo esse possent. Interim quid de hoste certi habeat, quidque ipsa consilii captet, aut quibus viribus, quo apparatu ad hostem ipsum repellendum nititur, nobis declarare dignetur, seque et subditos suos tueri quam diligentissime curet. Nos, quantum facultas nostra suffecerit et bella nostra patientur, Mti. vre. nullo modo deerimus. Que felicissime valeat et nos diligat. Cracovie XVI. Julii.

CDXV. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. R Serme. princeps etc. Novitates, que de Turcorum conatibus nuper habebamus, Mti. vestre per rev. dnum. Mathiam, epum. vladislaviensem, oratorem ejusdem, significavimus, nunc autem Mti. vestre declarandum duximus, quod Turcorum imperator arces nostras Nander Albam et SSabacz maximo equitum et peditum exercitu navalibusque copiis ac tormentorum validissimorum tanto numero, quantus fortasse in unius arcis obsidione raro ante hunc diem est visus, oppugnat acerrime. Et utriusque arcis prefecti, quum de ratione agendi belli et tuendis arcibus aliquamdiu nobiscum Bude consultassent, cum bono peditum presidio, acceptis stipendiis et commeatu aliisque rebus, que ad tolerandam obsidionem sunt necessarie, quum redirent, aditu sunt per Turcos prohibiti. Quibus arcibus — ut maxime timemus — amissis, regnum nostrum vix servari poterit, quin intra dies paucos in hostium cedat potestatem, duobus precipue magnis et fructuosissimis comitatibus, sirmiensi et bacciensi, ubi Nanderalbam et SSabacz, quod deus avertat, ceperint, nullo fere certamine potientur. Non minus quoque et inferioribus partibus et themesiensi comitatui instat periculum, unde ipse Turcorum cesar cum exercitu firmissimo regnum nostrum est invasurus per se vel per legatos. Croatiam quoque ac Transilvaniam proxime sunt invasuri. — Undique ab hostibus ita sumus circumsepti, ut fidere rebus nostris absque externo presidio nequeamus. Scripsimus ad Bohemos, Moravos et Slesitas, ut quam primum ad ferendam nobis opem accurrant. Rogamus Mtem. vestram, velit eos cohortari ac incitare, ne quid more interponant. Alioqui vita nostra cum regno in appertum discrimen adducetur. Juvet Mtas. vra. quoque nepotem quam maximo nunc poterit auxilio, nam et servati nobilissimi regni gloria in Mtem. vestram magna ex parte redundabit. Quod si nostro tempore in hostium manus venerit, licet nulla nostra culpa id possit accidere, nunquam tamen nostra familia vitare reprehensionem hominum poterit. Si non essemus jure sanguinis

nis Mti. vre. conjuncti, hostium tamen perfidorum vicinitatem ut fugere posset, nullis, ut MDXXI.
opinamur, opibus parceret. — Acerbiora in dies afferuntur, ventum est pene ad extrema. Mtas. vra. regno christiano laboranti vicino, nepoti succurrat celerrime, etiam atque etiam rogamus. Que valeat felicissime et habeat nos commendatos. Bude fer. VI. ante festum S. Margarethe.

CDXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

Serme. nepos. Solliciti impense de statu et successibus Mtis. vre. mittimus ad eam visen- Cod. G. R.
dam hunc nuncium nostrum; quam plurimum rogamus: curam omnem impendere dignetur, ut quidquid actura est de vindicando regno ab impetitione hostili, agat tempori tantum quantum opportunitas et vires Mtis. vre. illi persuadere videbuntur, ne quid mora in tanto incendio detrimenti afferat. Speramus vero et maturo consilio optimatum Mtis. vre et ejus gentis fortitudine, nec non etiam hostili tam longa et pertinaci mora — si quidem uti res alie, sic etiam exercitus consenescunt et vires eorum tempore minuuntur — vram. Mtem. ex hoc hoste ipso triumphaturam, si eo vires et studium intenderit. Quod dominus deus dirigere dignetur. Interim Mtem. vram. etiam atque etiam rogamus, nobis rationes rerum suarum omnes describere et sollicitudinem nostram levare dignetur. Que felicissime valeat et vincat. Cracovie.

CCXVII. Ludovicus, Rex Hungarie, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. princeps et dne. patrue noster charissime. Necessitate cogimur et singulari fiducia, Cod. G. R.
quam in Mte. vra. habemus, toties ad eam de nostris periculis scribere. Castrum nostrum SSabacz, quod nuper a Turcis obsessum scribebamus, jam in hostium venit potestatem. Sirmiensis et bacciensis comitatus, proposita spe libertatis, ad deditionem sollicitantur, et ut accepimus, nonnulli ex illis populis, subito metu et amissione arcis SSabacz consternati, imperata jam faciunt et Turcos juvare commeatu ceperunt. Nanderalba, validissima cincta obsidione, in maximo versatur periculo. Nos hinc hodie auxilio dei optimi in campum proficiscimur, castrisque loco opportuno positis, regnorum nostrorum vires contrahemus, externa auxilia, si per hostem licuerit, expectabimus, alioqui progredi illum vel cum nostri capitis discrimine vetabimus. Nunc igitur, si illud, quod a Mte. vra. presidium poposcimus, miserit, juvare nepotem in extremis periculis poterit. Habet Mtas. vra. ut audimus, paratas quasdam peditum copias, eas saltem si absque magno suo incommodo poterit, quam primum ad nos mittere velit. Nam si nos deus incolumi regno servaverit, nihil est, quod vicissim Mti. vestre non modo in tam gravibus periculis, sed in mediocribus rebus suis prestare ultro nollemus. Agitur de capite et de regnis nostris; nam Turcus, ut transfuge

MDXXI. et exploratores nostri referunt, eo est proposito, ut Budam veniat et hoc regnum occupet. Non deserat Mtas. vra. nepotem tam periculose laborantem. Mtem. vram. valere optamus felicissime et illi nos commendamus. Datum Bude die divisionis Apostolorum.

CDXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Stephano Batori, Palatino Regni Hungarie.

Cod. G. R. Incredibili dolore et cura affecit nos is casus et calamitas, que regnum istud tam subito et inopinate invasit. Miramur autem, quod regnum ipsum adeo nobile ac potens ita instructum ac ordinatum sit, ut hosti illud tam libere ac inscienter aggrediendi et tot arces brevissimo tempore occupandi sit data potestas. Saltem rebus in eo ordine existentibus ita cum hoste ipso actum fuisset, ut ille potius rabiem suam alio quam in has partes convertisset. Quum autem eo ventum est, nos accurrissemus libenter Sermo. nepoti nostro et isti ejus regno, tam pro debito nostro, quam quod res communis agitur, si ulla esset possibilitas, nos in tam subito casu id prestare posse, presertim quod et a gravi bello pruthenico nondum respiravimus et tam Moscus quam Tartarus ingentibus copiis impendent nobis occasionem omnem expectantes nos adoriendi. Quibus tamen periculis et difficultatibus nostris posthabitis, id quod in tam angusto tempore facere potuimus, mittimus ipsi Sermo. domino nepoti nostro et ejus isti regno in subsidium quingentos equites armatos et duo milia peditum, et ut idem reliqui vicini faciant, eosdem diligenter exhortati sumus, et speramus, quod et illi non deerunt. Quia tamen inconsultissimum est ex alienis subsidiis pendere, que spes imperium constantinopolitanum et alia multa in preceps egit, hortamur et rogamus tuam Mgciam. in qua potissima pars rei bene gerende consistit, ita cum reliquis istis regnicolis invigilet, et agat pro salute regis et patrie sue, ut adeo opulentum et preclarum regnum utique tam subito hostis non absorbere et si adeo vi exturbari non potest, ita saltem urgeatur, ut non tam libere grassari et occupare arces et oppida valeat. Que res durare illum diutius non sineret. Nos quidquid aliud efficere poterimus, omnibus viribus nostris nihil pretermittemus. Feliciter valeat tua Mgcia.. Cracovie.

CCXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Ducibus Slesie.

Cod. G. R. Illris. princeps et dne. affinis noster charissime. Jam satis constare debet vre. Illti., imperatorem Turcorum summa vi et conatu regnum Hungarie adortum, arcem Ssabacz intercepisse, Belohrad et Themeswar, precipua regni propugnacula, et in presens capitaneis et presidiis opportunis destituta, omni vi oppugnare; quibus potitis, quod dnus. deus avertat, actum videtur de regno illo universo, et presertim minus nunc quam unquam alias ad reprimendum tantum hostem instructo. Eo vero regno tam potente in discrimine constituto, quis non videt, et alia vicina dominia et universam dehinc rem christianam hanc calamitatem

lamitatem subituram. Quare licet nos a bello pruthenico, quod magno impendio gessimus, MDXXI.
nondum respiraverimus, licet etiam Mosci et Tartari nobis nunc magis, quum major videtur commoditas, impendeant et prope fines opportunitatem irrumpendi jam expectent, in his tamen difficultatibus nostris et quod in celeri et inopinato eventu prestari a nobis tumultuarie potuit, mittimus suppetias Sermo. domino nepoti nostro ac regno ejus Hungarie, et vestram Illtem. omni studio rogamus, ut ad succurrendum celerius regi suo regnoque vicino arma capiat et accurrat ac ad arcendum tantum discrimen, quod licet paulo serius certissime tamen ad vicinos dehinc reliquos permanaret, omnes vires intendat. Factura pro sua virtute et prudentia proque communi re et statu suo, de quo non minus agitur, quam de his, qui jam naufragium patiuntur. Sed credimus vestram Illtem. in tanto negotio, ex cujus eventu vita, honor et salus tam regis, quam omnium ejus subditorum dependet, multis admonitionibus non egere. Que valeat feliciter. Datum Cracovie XXII. Julii.

Eodem exemplo scripte sunt
litere ad dominos in Bohemia et Moravia.

CDXX. Sigismundus, Rex Polonie, Isabelle, Duci Barensi.

Illma. princeps. Accepimus binas literas vre. Illtis., ex quibus id, quod nobis precipuum et charissimum est, bonam ipsius valetudinem cognovimus; quod vero nos hortatur, ut causam bonorum illi testamento relictorum cordi et cure habeamus committeremusque de ea cum mandatariis Sermi. domini regis Hispanie agere ante ipsius electionem; scire velit: nos ista omnia prius curasse et commisisse; verum jam non ignorat vestra Illtas., ipsum dnum. regem Hispanie Romanorum regem electum esse, tempus vero oratoribus nostris nullum fuit, potuisse aliqua cum ejus Mtis. mandatariis concludere, tractarunt tamen postea diligenter cum illis, sed nihil aliud ab eis responsi habere potuerunt, preter spem bonam et operam ipsorum. Licet vero scripserimus jam prius illius Mti. in eo negotio, scribemus tamen et nunc illi, ut vra. Illtas. voluit, binas literas, et alteras cum his, alteras vero per alias vias mittemus. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Quod autem a nobis postulat, ut loco partis relique dotis gemmam quandam preciosam nunc recipiamus, que imponi solebat XXIV. milibus et inde verisimiliter pluris valere potest, nos libenter id ac ea omnia, que placita forent Illti. vre., semper faceremus, sed cum gemmarum nobis est major copia, quam illa opus sit, et bellum continuum gerentes presente pecunia semper indigeamus, rogamus plurimum Illtem. vram.: velit cum eadem gemma sic disponere, prout illi melius videbitur, nam istic commodius vel vendi, vel imponi potest, ubi major est gemmarum estimatio quam apud nos, et nobis id, quod nunc dari debet, mittere absque ulteriori mora et dilatione dignetur, nam in presens nihil magis rationibus nostris commodare poterit.

Postas e Vienna usque huc ordinari faciemus eo libentius, quo et ipsi cupimus semper quam frequentius fieri potest de sanitate et successibus vre. Illtis. fieri certiores. Que felicissime valeat. — Cracovie XXV. Julii.

CDXXI. SIGISM.

CDXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

MDXXI. Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Serme. princeps et dne. Nos equidem servos et bene meritos Mti. vre. et Sermo. olim ejus parenti eque charos habemus atque nostros proprios ac ea ratione generosum quondam Jaroslaum Sokolowski arce et bonis nostris Colo frui usque dum viveret permisimus, nec illum ab aliquo alio redimi concedere voluimus, verum eo defuncto et non existente hoc more in regno nostro, ut tales arces primarie muliebri regimini subjici deberent, rogati fuimus a consiliariis nostris: ut ad redimendam eandem arcem colensem una cum bonis illius ab uxore dicti Jaroslai mgco. Petro de Vyssnicze, prefecto curie nostre, viro insigni et nobis optime merito, consensum nostrum preberemus, quorum precibus nos tum et quidem recta ratione annuimus et literas consensus nostri eidem Petro dari fecimus, atque ita nobis id mutare non licet citra indignitatem nostram et ipsius Petri injuriam. Verum in aliis omnibus rebus convenientibus volumus singularem habere rationem uxoris predicti Jaroslai et liberorum ejus, volumusque ipsos gratia favore et tuitione nostra semper complecti, ut cognoscerent, vre. Mtis. commendationem illis non vulgariter profuisse. Que felicissime valeat etc.*

CDXXII. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. R. Reddite sunt nobis litere Mtis. vre. date Cracovie XVI. Julii, quibus scribit, se intellexisse a rev. dno. vladislaviensi epo., in quas perturbationes inciderimus, et quid Turcorum tyrannus in nos moliatur. Et quoniam res nostras communes, ut re vera sunt, existimat, cupit certior fieri, quid postea sit sequutum, quid certi de hostium conatu habeamus, quid consilii captemus, quibus viribus simus et quo apparatu. Scripsit etiam vra. Mtas. de Tartaris, quos Turcus sibi dicitur ascivisse, curam se habituram, ut aut impetum Tartarorum reprimat, aut impediat, ne Turcis conjungi adminiculoque esse possint. Gratias maximas habemus et agimus Mti. vre., quod tantam de nostra et regnorum nostrorum salute curam habeat, et ut paucis rescribamus: nulla in parte est imminuta perturbatio, nec cessat hostilitas. Arces Ssabacz et Zemplin vi capte sunt, alique alie ad Savum site deserte relicte sunt a nostris, quod vim hostium expectare in eis non fuerunt ausi. Nanderalba adhuc est in obsidione, que jam admotis machinis oppugnatur. Misimus aliquot milia equitum et peditum in succursum illius, si non interim pereat donec illo perveniant, aut si paria viribus hostium esse poterunt.

Oppugnata est etiam civitas Salankemen, sed capi primo impetu non potuit, repulsi hostes fuerunt non sine multa ipsorum cede. Misimus illuc quoque presidium, sed dubium est: an iterum hostes ad illam expugnandam redierint. Timemus locis illis omnibus, sed plus Nanderalbe, que in filo jam pendere videtur: non potuimus enim illi propter subitam hostis invasionem opportune succurrere, nec satis scimus, an obsessi auxilium nostrum

expectare

expectare diutius possint. Castra Desputi prodita sunt Turcis, qui nunc Sirmium libere populantur. Arcem Pecthibis jam oppugnaverunt, sed frustra, repulsi enim fuerunt cum multa cede suorum. Heri accepimus, Scurinium esse obsessum, hostis consilium esse dicitur, ut capta Nanderalba Varadinum Petri, que arx est amplissima, item Zalonkemen et Titulium, portas totius Danubii occupet et contra nos veniat tam per siccum quam per aquam, et ut nostri exploratores dicunt atque etiam transfuge, viginti hospitia numeravit Turcus, per que usque Budam venire possit. Nos vero, si fuisset nobis integrum, jam diu illi occurrissemus, nec permisissemus illi arces nostras occupare, sed tempestive nec hujus regni copias levare, nec externa presidia habere potuimus. Nunc jam dnus. palatinus congregavit unam partem regni nostri juxta oppidum Zyntha ultra Danubium, citra vero similiter congregantur alie partes juxta oppidum Tholna et paulo etiam inferius. Nos sumus in Teten cum paucis, augetur tamen quotidie exercitus noster tam peditatu quam equitatu. Non fuit nobis visum, ut cum paucis in fauces hostium descenderemus, quum autem junctis viribus hostes procedant, statuimus nos quoque omnes copias quascunque habere poterimus conjungere et unitis viribus illorum conatus prohibere et fortunam quecunque venerit tentare. Jussimus itaque dnum. vojevodam de Transilvania exire et ut dno. palatino uniatur. Nos citra Danubium descendemus et tandem vel citra vel ultra Danubium, uti visum fuerit, totum exercitum congregare et unire. Nam incertum adhuc est, hacne an altera parte Danubii hostis ascensum et progressum contra nos moliatur. Illmus. princeps dux Ferdinandus mittet nobis tria milia peditum ex Germania, quorum mille hoc triduo ad nos pervenient, alia duo paulo tardius, mittet etiam ingenia bellica, nec ulla in re tam bonus frater est nobis, ut videmus, defuturus. Jussit preterea suas provincias nobis vicinas esse in armis, ut nobis succurrant, dum vocabimus. Ex subditis nostris externis adhuc nihil habuimus subsidii, immo magna Bohemorum pars nititur ire ad stipendium regis Gallie contra cesarem. Quod si fiet, nec cesar, nec Ferdinandus, alioqui propensi, opem nobis ferre poterunt. Prohibuimus eos, ne quid agant, sed nescimus, quibus privilegiis innituntur. Proczkonem nuper illuc misimus et ejus rei gratia et subsidii, quod antea ab eis petivimus, sollicitando iterum mittemus alium. Mtem. quoque vestram rogamus, scribat aut nunciet illis, ne talia hoc presertim tempore facere audeant. Heri venerunt ad nos duo ex ipsis, qui dicunt, se libentius facturos stipendia apud nos contra Turcos, que si negabuntur, sese omnino ad Gallum profecturos. Nos libenter eos conduceremus, si nervus belli suppeteret. MDXXI.

Apparatus noster — nam nobis apud Mtem. vram. nil est dissimulandum — mediocris est et non talis, ut pares hostibus esse possimus, nisi externis auxiliis cumulatis adjuvemur. Hic est, Serme. rex, patrue charissime, presens status rerum nostrorum, et in hoc discrimine versamur, in quo plus spei in deo exercituum dno. quam in viribus nostris collocavimus. Quid acciderit, Mti. vre. interdum significabimus. Quam rogamus, ut nostri non obliviscatur. Deus eandem quam felicissime conservet. Datum in oppido Teten fer. II. ante f. ad vincula beati Petri.

CDXXIII. SIGISM.

CDXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopo Plocensi.

MDXXI. Ex cod. mss. bibl. Ossolin

Rde. in Christo pater. Recusavit Serma. dna. conjunx nostra suscipere venerabilem Joannem Gorski, secretarium nostrum, in primam nominationem suam ad ecclesiam cracoviensem, ita ut est in bulla Sctmi. dni. nostri designatus, et nos ejus voluntati contradicere noluimus. Itaque Ptas. vra, prout in commissis a nobis habet, ipsi secretario nostro aliam gratiam seu reservationem, quam melior fieri potest, ad ipsam ecclesiam cracoviensem, in qua quoniam intelligimus, multos esse canonicatus per nostrates nonnullos unionibus et aliis clandestinis aucupiis irretitos, Ptas. vra. agat, ut ille cassentur, nam ea res et indignitatem sedi apostolice et nobis summam pariet molestiam.— Valeat etc.

CDXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Vojevode Moldavie.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Mgce. domine. Mittimus ad cesarem Turcorum hunc cursorem nostrum, nobilem Wrona, pro salvo conductu magno oratori nostro. Et postulamus a vra. Mgcia., ut eundem Wrona euntem illuc et redeuntem libere per dominium suum transire permittat et conductorem suum illi adjungat usque ad fines ejusdem dominii sui. Factura pro jure bone amicitie et vicinitatis et ex vi federum, que inter nos habemus.

CDXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

Cod. G. R.

Serme. etc. Accepimus binas literas vre. Mtis., quibus scribit, imperatorem Turcorum ingentibus copiis arces Nanderalbam et Ssabacz obsidione prevenisse ante quam prefecti illarum cum presidiis et commeatu opportuno applicuissent et alterum quidem illarum jam interceptam esse, alteram acerrime oppugnari, regnum et statum Mtis. vre. in summo discrimine constitutum. In quo tametsi regnicolas istos ad tuendum se commoverit, fidere tamen se rebus suis absque externo auxilio non posse; scripsisse se cum ad alios christianos principes, tum ad subditos suos Bohemos, Moravos et Slesitas, ut sibi opem ferant, postulatque a nobis, ut et illos ad celerius accurrendum exhortemur et ipsi etiam suppetias, quas majores possimus, Mti. vre. feramus.

Serme. ac amantissime nepos noster. Dici non potest, quanto nobis dolori et tristitie sit calamitas hec, que Mtem. vram. et ejus regnum preter spem invasit, quum et ipsum regnum ad illam propulsandam sit non recte dispositum, et nos ad succurrendum illi minus sufficientes et expediti, et presertim tam celeriter ut opus sit et ut tantum tamque presens periculum exigit. Non ignorat enim Mtas. vestra, quanto impendio bellum pruthenicum

cum nuper duximus, quanta item moles belli moscici et tartarici nos premit, quorum co- MDXXI.
pie nunc quasi de composito nobis magis ac propius imminent, ad quas arcendas ingentem exercitum et presidia in finibus dominiorum nostrorum tenemus. Utcumque tamen est, nos Mtis. vre. res et statum juxta cum nostro cure habentes, posthabitis omnibus difficultatibus nostris, accurreremus ipsi cum omnibus subditis nostris vre. Mti. non gravatim, si quo pacto in tanta angustia temporis id prestare possemus, ut et colligeremus manum opportunam et ipsi nos prout exposcit expediremus. Quantum tamen tumultuarie et adeo in diversum distracti facere nostra sollicitudo potest, mittemus jam citra moram in subsidium Mti. vre. quingentos equites armatos et duo milia peditum, quos Mtas. vra. grato animo suscipere et nostras difficultates et in tanta celeritate pene impossibilitatem ad plura prestanda metiri dignetur. Mittemus autem illos per Cassoviam, quod illac iter videtur brevius. Quodsi secus Mtas. vra. censeat, nos celerius, qua illos transire velit, per literas suas edoceat et nos prefectis ipsorum militum mandabimus, ut se in omnibus voluntati Mtis. vestre accomodent. Et quoniam nos militibus istis nostris, quos Mti. vre. mittimus, monetam regni nostri pro stipendio numeravimus, nec illi aliam ad expendendum habent, providere dignetur Mtas. vra., ut ea istic ab illis capiatur. Exhortabimur etiam Bohemos, Moravos et Slesitas, ut in mora non sint Mti. vre., que per deum immortalem dignetur se ita comparare domi, ut se tueri ipsa et servare possit, utque ab externis subsidiis et pollicitis penitus non dependeat, que homines sepissime in discrimen adducere solent.

Perpendentes autem nos tantum tamque preceps periculum, si illi adeo Mtas. vra. viribus obsistere non posset, videtur nobis non abs re, mittere nos hinc oratorem aliquem nostrum ad imperatorem Turcorum, qui tractatibus aliquibus nostro nomine illum contineret, et ad inducias vel aliquas alias conditiones cum vestra Mte. reduceret, ut ab impetitione regni illius desisteret. Id si consultum et opportunum videbitur Mti. vre., et quomodo negotium esset aggrediendum juxta rerum successum nobis tempori significare dignetur. Que felicissime valeat nosque diligat et tuitioni sue quam diligentissime incumbat. Cracovie.

CDXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Proconsuli et Consulibus Pragensibus.

Famati, grate nobis dilecti. Gratissimum nobis fuit id, quod literis vestris nobis declaras- Cod. G. R.
tis: vos et ordines omnes regni istius Bohemie, posthabitis et sedatis intestinis seditionibus studium et vires suas ad succurrendum regi suo et maxime cum res communis agitur intenderunt, quodque tum vos tum ceteri omnes ordines cohortationis nostre non vulgarem rationem habuerunt, nobis est acceptissimum, et vicissim hanc vram. in nos prepensionem vobis favore et gratia nostra regia referemus.

CDXXVII. SIGISM.

CDXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

MDXXI. Cod. G. R. Sbigneus Slupeczki, subditus et eques noster, vir rara virtute, intelligens modernam necessitatem Mtis. vre. proficiscitur ad eam sponte sua nullo etiam stipendio a nobis accepto. Et quia in bellis nostris plus strenuum se prestitit quam credi possit et libenter vidimus hanc ejus profectionem et illum Mti. vre. non vulgariter commendamus, rogamusque illam, ut quum Deo bene juvante hostem suum superaverit exturbaveritque, eundem Sbigneum ad nos cum gratia remittere dignetur. Vincat et valeat felicissime Mtas. vra. Dat. Cracovie.

CDXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie.

Cod. G. R. Accepimus literas Mtis. vre. quibus scribit, relatum sibi a suo cubiculario Petro Thurski, mgcum. Janussium Swirczewski, capitaneum gentium nostrarum, cupere ad Mtem. vram. proficisci, ubi a nobis facultatem discedendi habere possit, vram. vero Mtem. optare quidem illum in hac presenti sua necessitate habere, verum nolle a nobis id postulare, quod ab honesto et recto alienum videretur, quum sciat nobis tot bellis occupatis non minus ejusmodi hominibus opus esse, et proinde id arbitrio nostro defert. Nos, Serme. rex, licet in summis difficultatibus constituti simus tot hostibus circumsepti, tamen audita calamitate regni Mtis. vre., que nos plurimum angit, nec valentes ipsi aut accurrere istuc aut tales suppetias, quales voluimus, mittere propter ipsas difficultates nostras et angustiam temporis, tamen non solum id curavimus quam celerius mittere, quod fieri tumultuarie potuit, sed et omnes, quos sua ipsorum virtus et amor nominis stimulant, istuc ad Mtem. vram. proficiscendi, liberam dedimus facultatem. Quumque ex literis Mtis. vre. intellexi-mus, cupere illam, ut et capitaneus gentium nostrarum ad se veniat, etiam non gravatim illum ire permisimus et unicuique libentissime permittemus. Adeo enim communis est nobis ea necessitas cum Mte. vra., ut etiam de illa plus simus solliciti, quam de nostra propria. Valeat felicissime Mtas. vra. et de hostibus suis gloriose triumphet. Cracovie.

CDXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

Cod. G. R. Ex prioribus literis nostris et ex hoc nuncio suo intelliget Mtas. vestra cum summum dolorem nostrum et sollicitudinem de tanta tamque subita calamitate istius regni Mti. vre., tum id, quod nos adeo in angusto et difficillimo tempore subsidium illi quale voluimus, prestare non potuimus. Probamus vero animum et studium Mtis. vestre ad obsistendum hosti et conatum illius ut fieri potest arcendum. — Et quod ad suppetias externas ac ad generalem

generalem expeditionem attinet, licet he longe et incerte sint spes, quibus inherere semper MDXXI.
inconsultissimum judicamus, nihilominus tamen probamus etiam, quod Mtas. vra. miserit oratores suos tam ad summum pontificem, quam etiam ad cesaream Mtem. aliosque christianos principes, eos exhortando, ut tandem ad extinguendum tantum rei christiane commune incendium expergiscantur et Mti. vre. laboranti opem ferant. Misissemusque etiam nos libentissime nuncium nostrum, qui pariter cum Balbo, oratore Mtis. vestre, id munus obiret, nisi impossibile videretur, ut tam celeriter hinc exire et ipsum oratorem Mtis. vre. consequi posset. Verum mittimus fidei literas in personam ejusdem Mtis. vestre oratoris tam ad cesaream Mtem. quam ad alios reges et principes easque Mti. vre. mittimus. Mandatum vero ad quem usum mittere debuerimus, prorsus intelligere non possumus, res enim tam subiti et impendentis periculi non patitur, oratorem ipsum tractatus ejusmodi, qui moram exigunt, apud singulos principes agere, sed duntaxat id curare, ut quam ocissime Mti. vre. succurri possit, et presens discrimen quoquo modo reprimi. Quod si divina benignitas et cura Mtis. vre. efficiet, ut saltem procella ista in presens discuti possit, tum demum liberiori processu negotium hoc communis defensionis nostre et totius Christianitatis aggrediemur.

Scribimus etiam summo pontifici et rmis. dnis. cardinalibus, scribimus et oratori nostro illic, ut Mti. vre. et huic ejus discrimini quam celerius consulatur. Nec quidquam aliud intermittemus, quod expedire illi arbitrabimur, pro viribus nostris. Felicissime valeat Mtas. vra., cui dnus. deus felicitatem et victoriam concedere dignetur. Cracovie.

CDXXX. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X., Pontifici maximo.

Non dubito, vram. Sctem. cum fama ipsa tum nuncio Sermi. regis Hungarie, nepotis nostri Cod. G. R.
charissimi, jam accepisse, quemadmodum imperator Turcorum, inito cum Zophi federe et firmato imperio suo Egypti et Syrie, regnum Hungarie omni vi et conatu suo invasit. Quod quidem regnum, uti sub longa pace bello desuetum et rege adolescentulo ita inopinato aggressu absque multo negotio arces finitimas et totius regni, immo totius Christianitatis munimentum, alias quidem jam intercepit, alias vero adeo oppugnat, ut vix ulla spes sit eas tutandi; nec eo contentus ipse recta cum majoribus copiis ad universum regnum occupandum progreditur, eam opportunitatem nactus, qua et regnum ipsum imparatum invenit et me adeo cum Moscis et Tartaris ejus subordinatione occupatum, ut nunquam alias magis. Quare, clementissime domine, supplico omni studio et cura vre. Scti., ut perpenso imprimis eo, quod Sermus. nepos meus et ego dudum inducias habere pro arbitrio nostro cum ipso Turco potuissemus, sed in gratiam Sctis. vre. illas acceptare distulimus, scientes quid ille in Christianos moliretur, sperantesque, quod Sctas. vra. expeditionem generalem, ad quam se jam tanto tempore accingebat, facere deberet, cui desse nobis non licuisset, perpenso deinde, quod quum regnum Hungarie, quod omen deus avertat, succumberet, quanta janua pateret hosti cum ad Italiam, tum ad alia regna christiana occupanda, quam-

MDXXI. que omnia difficiliora essent ad ipsam generalem expeditionem exequendam: curare dignetur Sctas. vestra, omnibus aliis negotiis posthabitis, ut regno ipsi Hungarie quam celerius opem ferat, reductisque christianis principibus et presertim cesarea Mte. cum Sermo. dno. rege Gallie ad concordiam, eundem expeditionem generalem exequatur. Alioquin regnum ipsum Hungarie tantam vim diu ferre non poterit. Ego utcunque ingentibus Moscorum et Tartarorum copiis undique sum circumseptus, misi tamen in subsidium nepoti laboranti equitatum et peditatum tantum, quantum in celeritate et meis difficultatibus fieri potuit, non quantus ad tantum hostem reprimendum sufficeret. Dignetur itaque Sctas. vra. omni mora posthabita regno ipsi Hungarie immo et ss. sedi sue et toti rei christiane subvenire Factura officium tante existimationis et omnium de se spei pontificis remque adeo urgentem et necessariam, ut urgentior magisque necessaria a multis seculis non contigerit. Felicissime valeat vra. Stas. Cui me iterum et mea omnia humiliter commendo. Dat. Cracovie.

Sigismundus, Rex Polonie, Collegio Cardinalium.

Cod. G. R Rmi. in Christo patres et dni. amici charissimi etc. Non dubitamus, constare jam vestris rmis. Dtionibus. in quanto periculo et discrimine regnum Hungarie sit constitutum, ut quod imperator Turcorum, firmato imperio suo in Syria et Egypto et federe cum Zophi inito, toto conatu et viribus suis sit adortus et quemadmodum illud imparatum offendit ita arces finitimas alias quidem jam intercepit, alias vero acerrime oppugnat, quibus habitis nullum obstaculum esset illi ad totum regnum occupandum. — Quin jam ipse cum aliis copiis suis recta ad umbilicum et regiam ipsius regni progreditur omnia celeritate prevenire volens. Ordinavit et ipse, ut nos, in quibus potissima spes erat subsidii, nunc quam maxime a Scythis et Moscis urgeremur. In quibus tamen difficultatibus nostris expedivimus Sermo. nepoti nostro dno. regi Ludovico equitatum et peditatum quem majorem potuimus tumultuarie, sed ad tantam vim minime sufficientem. Quare ad Sctmum. dnum. nostrum, ratione cujus inducias cum ipso hoste nostro oblatas acceptare distuleramus, ut expeditioni generali, quam parare pre se fert, non deessemus, confugiendum duximus, ut tanto discrimini non solum regni Hungarie, sed et sancte sedis sue et universis Christianitatis, providere dignaretur. Norunt enim vre. rme. Dtiones., quantum incendium et vastitatem intulerunt olim Italie et omnibus Christianorum dominiis agrestes ac barbare Gotorum, Vandalorum aliarumque gentium copie, unde conjicere possunt, quam multo major pernicies sequi potest ab eo hoste, qui preter alios Scytharum imperatores, quos pro arbitrio habet, ipse tot regnis, imperiis usuque et instrumentis bellicis, denique tot victoriis est auctus, ut illi nulla in orbe potestas equari possit. Quare rogamus vestras rmas. Dtiones.: agere velint cum ipso Sctmo. dno. nostro, ut vires omnes tandem eo convertat, ut rem christianam ab extremo discrimine vindicet regnoque Hungarie quam celerius succurrat, utque expeditio generalis eo saltem studio fiat adversus communem hunc hostem, quo facta fuit anno preterito ex Germania adversus nos Reipublice christiane propugnatores. Alioqui

Alioqui eo res devenient, ut nec generales expeditiones, nec quidquam aliud pro vindi- MDXXI.
canda communi omnium salute aggredi erit integrum. Quod totum sapientissimo consilio rmarum. vrarum. Dtionum. et nos una ex animo commendamus, cupimusque, ut felicissime valeant. Datum Cracovie.

Sigismundus, Rex Polonie, Achilli de Grassis, Card. Protectori.

Rme.. Scribimus Sctmo. domino nostro et isti sacro collegio de summo et inopinato discri- Cod. G. R.
mine regni Hungarie, que res, quia communis et totius reipublice christiane et presertim, quod ad occupandum regnum ipsum Hungarie etc., rogamus vestram rmam. Dtionem., ut pro virili sua enitatur apud Sctmum. dnum. nostrum et ceteros rmos. dnos. cardinales, ut eidem regno quam celerius consulatur. — Nos utcumque nunc magis quam unquam alias impediti sumus conatibus Moscorum et Scytharum, tamen quidquid prestare possumus, in subsidium nepoti nostro et regno vicino nihil pretermittimus, verum vis hostilis immensa est, que nisi tempori retundatur, sera erunt omnia. Rma. Dtio. vra. id stimulari consilio suo melius dispiciet quam nos describere possumus, cui nos et negotia nostra ex corde commendamus cupimusque, ut felicissime valeat. Datum Cracovie.

CDXXXI. Sigismundus, Rex Polonie. Ludovico, Regi Hungarie et Bohemie.

Serme. princeps etc. Anxii existentes de valetudine vre. Mtis. et statu cum ejus tum istius Cod. G. R.
regni sui eoque magis, quo nuncius noster, quem istuc id sciscitaturum misimus, tanto tempore ad nos non redierit et augeat sollicitudinem expectatio, mittimus hunc alterum, visum Mtem. vram. et statum rerum ipsius presentem. De quibus non minori cura distinemur, quam de nostris propriis. Quare plurimum rogamus Mtem. vram., ut nos de omnibus, precipue de valitudine sua reddat citra moram certiores. Valeatque felicissime et nos diligat.

CDXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Erhardo Kweis, Ordinis Theutonicorum Postulato Eccl. Pomesanien. in Prussia.

Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Accepimus Ptis. vre. literas datas Risenburgi Cod. G. R.
XVII. die Septembris, quibus injurias et oppressiones subditorum suorum multis verbis explicavit, quibus a generoso Stanislao Costka, capit. Schonbergensi afficiuntur. Nos quidem in ea sententia fuimus et sumus, ut omnes subditos ordinis theutonici in Prussia ita tractemus

MDXXI. temus, ne habeant ullam, vel minimam causam de quacunque injuria querendi de officialibus et subditis nostris. Itaque eas injurias easque violentias, quas vestra Ptas. exposuit, graviter ferimus. Sed quia non audita parte altera non facile quidquam his ipsis de rebus et querelis constituere possumus, presertim quod et ipse Costka similiter multa questus est de similibus injuriis subditorum nostrorum, commisimus rdo. dno. Joanni de Lusianis, episcopo, et mgco. Joanni, ejus fratri, palatino culmensi, ut accersito ipso Costka, ad quem etiam ut requisitus compareat scribimus, auditis ejusmodi querelis, faciant talem justitiam, ut nulla relicta esse causa querendi videatur, et ne posthac aliquid ab eo fiat, quod vre. Ptis. immo vero totius ordinis subditis injurium merito censeri possit. Vestra quoque Ptas. id ipsum facere velit. Et si que injurie comperte fuerint illate nostris, ut similiter vra. Ptas. curet pari modo pro eis justitiam administrare, ut tam vestri quam nostri subditi pace gaudeant et equitate.

CDXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni, Comiti in Tarnow, Capitaneo Copiarum auxiliarium in Hungariam missarum.

Cod. G. R. Mgce. sincere nobis dilecte Miramur impense, quod tanto tempore tua Sinceritas nihil nobis scripserit de valetudine Sermi. domini nepotis nostri et statu rerum suarum, quodque nuncius, quem dudum istuc id visum misimus, nondum sit ad nos reversus. Quare solliciti existentes, mittimus hunc alterum, ut quo in statu sit valetudo illius Mtis. et regnum ejus Hungarie certiores fiamus. Hortamurque Stem. tuam, ut nobis ad plenum omnia perscribat et que spes aut provisio sit istic de ipsius regni salute conservanda. Dat. Cracovie.

CDXXXIV. Petrus Tomiczki, Eps. Posn., Vicecancellarius, Jo. Tarnovio, Cap. cop. in Hungariam missarum.

Cod. G. Perculsi sumus omnes maximo dolore ex amissa Nanderalba. Intelligimus enim, quantum hinc discriminis non isti solum regno Hungarie, verum et nobis omnibus vicinis semper impendeat. Dnus. deus respicere dignetur nos et sua dextera tueri. Ago vero imınensas gratias vre. Mgcie., que me literis suis de his, que istuc aguntur impertierit eamque benivolentiam, quam erga me exhibet, volo illi omnibus amicitie officiis et gratificatione qua potero semper referre.

Apud nos tranquilla sunt ad presens omnia. Habituri sumus conventum generalem Petrkovie pro f. S. Simonis et Jude apostolorum, in quo utinam accuratius consulatur a nobis de conservando regno in tam angustis et difficillimis rebus.

Quia vero Mtas. regia et nos omnes sumus plurimum solliciti et sciendi cupidi de his, que istic in Hungaria geruntur et que spes sit salutis, rogo Mgciam. vram., scribere dignetur sepius Mti. sue id quidquid agitur. Felicissime valeat.

CDXXXV. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Recentiores a Mte. vra. literas accepimus, datas die XIV. Septembris, quibus sapienter consulit, ut que pro vindicando ab hostibus regno nostro acturi sumus, ne quid mora possit afferre detrimenti, mature agamus. Optat etiam pro sua erga nos pietate, ut rerum nostrarum rationes omnes per literas illi explicemus. Igitur de celeritate rei gerende, idem profecto nobis propositum semper fuit, quod suadet Mtas. vra., sed quum hostes totum fere triennium consumpsissent navibus edificandis et parandis his rebus, que ad hoc bellum perficiendum videbantur necessarie, nosque interim, ut aliis literis ostendimus, per legatos pacem orantes ludificarentur, imparatos sunt aggressi. Itaque dum in petendis expectandisque externis auxiliis, in conjungendis regnorum nostrorum viribus laborabamus, post expugnatas quasdam arces, multa preda ex Sirmio aliisque civitatibus acta, multis oppidis et villis incensis et solo equatis, Nanderalba quoque, cujus sine precipuo animi nostri dolore meminisse non possumus, undesexagesimo die quam oppugnari cepta est, potiti sunt. — Turcarum imperator munitis et instauratis arcibus Nanderalba et Ssabacz firmissimisque presidiis impositis in vicina loca seu hibernandi causa seu, ut redire ad quamvis occasionem possit, concessit. Balibegus tamen quem Senderovie et captis finibus nostris prefecit, non pauciores quadraginta hominum milibus illic instructus dicitur. Nos, quod hoc extremo anni tempore videbatur agendum, spectabiles et mgcos. Stephanum de Bator, palatinum, et Joannem, comitem scepusiensem, vojevodam Transilvanie, capitaneos hujus expeditionis generales pari autoritate prefecimus, eosque primum ad civitatem Vilak misimus, ubi die dominico proximo conventum optimatum, procerum ac totius nobilitatis nostro edicto celebrabitur. Agetur illic de regni nostri periculis, de recuperandis, si tempus patietur et vires suppetent, amissis, aut saltem de Salonkemen, Titulio et Varadino Petri, Zemplinio aliisque castris, quibus fidere ad tempus utcumque possimus, muro, tormentis, commeatu, presidio muniendis. Proponentur autem omnes necessitates nostre, petentur tanti belli subsidia, quibus nos per hiemem tueri et ineunte vere novum inire bellum possimus. Nos interesse conventui ob adversam valetudinem vix poterimus; mittemus tamen viros aliquos idoneos, qui omnibus de rebus nostro nomine cum illis agant. Que priusquam decernantur, ad nos debebunt referri. Quinqueecclesiis interea manebimus. MDXXI. Cod. G. R.

Nostrarum rerum statum Mtas. vestra accepit. Utinam in annum sequentem, adnitentibus omnibus principibus christianis, sit felicior. Nam nostris viribus emendari vix poterit. — Patet Turcis aditus in regnum nostrum per terras et flumina, patebit quoque in vicinas regiones, nisi tandem aliquando suam rem agi principes existiment. Dari nostre negligentie non poterit, quod sero copias contraximus, nam ita undique premebamur, ut eodem tempore omnes fines, qui longo inter se intervallo dissident, tuendi et servandi essent. — Bohemi vero etsi presidium nobis aliquod decreverint, id tamen, quantumcunque sit, nondum e Bohemia profectum est. Spem in Mte. vra. habemus certissimam, quod nos difficillimis nostris temporibus, ut instituit, juvare non desinet. Regnum enim nostrum, dum

MDXXI. Ssabacz et Nanderalba in hostium manibus erunt, salvum aut tutum esse nunquam poterit. Valere Mtem. vestram optamus felicissimam. Ex castris nostris ad oppidum Mohacz primo die Octobris.

CDXXXVI. F. Armellinus Medices, Cardinalis S. Calixti, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. G. R. Serme. princeps etc. Humillima commendatione premissa. Quanto me gaudio ex humanissimis, sapientissimisque literis, quas nuper a rmo. dno. epo. plocensi, Mtis. tue oratore, accepi, expletum sentiam, nulla cogitatione id capere nedum verbo exprimere queo. Etenim que mihi gratiora jucundioraque a Serte. tua, cujus ingentes animi virtutes atque eximias cum terra tum mari maxima cum hostium christiani nominis profligatione partas victorias jam pridem et suspicio et admiror, dari potuerunt, quam ea mihi significari, que solita tua prudentia digna sanctissimoque dno. nostro Leoni X. pontifici maximo accepta inprimis atque ab omnibus principibus summa cum laude et tui nominis preconio comprobanda atque extollenda sunt? Celsitudinem quidem tuam mirum in modum antea observabam, nunc vero litere ipse non modo tue amplitudinis et nominis observatorem, verum etiam perpetuo tuarum rerum et laudum admiratorem et cultorem me reddiderunt. Nec ea profecto, quam de tua Mte. jam dudum animo conceptam habeo, me fefellit opinio. Frequenter enim apud hoc ss. cardinalium collegium audita atque ex pluribus principibus et summis viris cognita sunt, quanta prudentia, quanta animi virtute ac moderatione cum maximo etiam orthodoxe fidei incremento atque hujus ss. sedis propagatione gesta sint omnia, que tot tantaque fuisse predicantur, ut jure merito capitolium de more millies ascendere meritus sis. Que sane qui norunt nunquam tuam Mtem. admirari venerarique desinent. Quod autem a bello, quod adversum Illrem. magistrum longa tempestate gessisti, intuitu Sctmi. dni. nostri primum, deinde gratia et contemplatione Sermi. Hungarie regis, nepotis tui atque aliorum summorum principum dimisisti et cum eo per aliquot tempora inducias iniisti, rem sane memoratu dignam pontifici maximo supra modum gratam, ac regi, nepoti tuo, ceterisque principibus, qui id impensis votis suis expetebant, non injucundam atque animo tuo regio solitam peculiaremque prestitisti. Quippe quum bellum nulla alia ratione suscipiendum sit, quam ut inde pax sequatur. Ex hac animi tui fortitudine, ne dicam humanitate, non aliud hactenus, quam justitiam, equitatem, honestatemque ac ipsius regni et populorum ejus pacem concordiamque expetiisse videris. — Quapropter perspicio sane, valde Serti. tue sperandum esse, Benignitatem summi pontificis, cui rem hanc in primis placuisse cuique cetera ditionis tue negotia impense cordi esse certo scio, summam omnino honoris et dignitatis tue in componendo firmandoque negotio ipso cum predicto magistro rationem esse habituram illudque ita tractaturam, ut perpetuam sinceramque pacem et concordiam cum omnium populorum commodo inter vos secuturam esse censeatur. Tamen quum Celsitudo tua per suas a me exptierit literas, ut rem hanc juvare atque oratorem ipsum apud summum pontificem fovere opemque eidem meam prestare velim, nullum in

ea

ea re officium nullumque studium pretermittam; quin etiam omnes quantulecunque sint MDXXI.
facultates meas pro honore amplitudineque Mtis. tue rerumque tuarum sublimitate cum apud Sctmum. dnum. nostrum, tum apud hoc venerandum cardinalium collegium libenter exponam ipsique oratori, quem licet videam rerum tue Majestatis curiosissimum, jam in cunctis, que a me prestari sibi poterunt, promptissimum me obtuli. Ubi autem ipse cognovero, me illi vel consilio, vel studio aut diligentia aliqua prodesse posse, nunquam deero. Illud porro dicendum superest, quod si Mtas. tua in futurum suis in negotiis aut studio aut opera mea uti voluerit, omnia mea officia cum amoris tum fidei ac perpetue mee erga se observantie plena semper offendet. Et me iterum atque iterum Mti. tue ex corde commendo. Datum Rome XV. Octobris.

Humilis servitor F. Armellinus Medices,
cardinalis S. Calixti, Marchie legatus S. Rom.
ecclesie et Sctmi. dni. nostri camerarius.

CDXXXVII. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, datum Henrico Melticz, nuncio Alberti, Magistri Cruciferorum. XX. Octobris Cracovie.

Ea, que exposuisti, dne. Melticz, nomine Illris. dni. magistri in compendio referri audisti Cod. G. R.
non necessarium est igitur, ut his inserantur. Ad que Mtas. regia in hanc sententiam respondere commisit.

Mtas. sua dudum audivit, quam ob rem militaris iste ordo fratrum Theutonicorum S. Marie primitus fuerit institutus et quomodo in Prussiam devenerit, quantumque reipublice christiane bellis suis contra Infideles profuerit, que ut fertur cum suo incommodo a capitibus christianis prosequi fuerit prohibitus. Quod Mtas. regia intelligit esse factum, quia forte eo tempore potentia et vires Infidelium non tante erant, ut in presentia creverunt.

Ad hoc vero, quod ordo, dum ad hujusmodi prohibitionem hunc usum militie et arma deposuisset, per Christianos plurima detrimenta sit passus, predecessores sue Mtis. nullam dederunt occasionem, neque etiam Mtas. sua videri voluit unquam causam prebuisse: qua inter ejus Mtem. et dnum. magistrum atque ordinem quicquam dissensionis oriretur. Libenter itaque vidisset, ut propositum Sctmi. domini nostri contra Infideles susceptum, ad quod dnus. magister cum suo ordine et alii Christianitatis status requisiti erant, in effectum pervenisset et tot injurie et gravamina, quibus Mtis. regie subditi in terris Prussie premebantur, fuissent obmissa, unde hoc bellum cum tot damnis domino magistro illatis, quod superiore anno Mtas. sua invita gessit, fuit conflatum. Etenim Mtas. sua nequaquam ulterius tot subditorum suorum gravamina et illatas injurias ferre potuit, quos pro debito suo tueri et defendere fuit astricta libentiusque tot gentes et impendia contra Infideles convertisset, si a tot injuriis ab ordine temperatum fuisset.

Quod

MDXXI. Quod autem dnus. magister cum suo ordine dolenter ferat, hanc subitam et violentem Infidelium impressionem, contra quam religioni sue una cum suo ordine satisfacere esset affectus, modo Mtas. sua vias et media proponeret, quibus isti defectus per nuper factas inducias suspensi e medio tollerentur, Mtas. regia sic respondere jussit: quod jam pridem a multis annis inter Mtis. sue predecessores et ordinem pax fuerit firmata perpetua, quam successu temporis Mtas. sua inviolatam usque ad hoc proximum bellum, quod lacessita, ut premittitur, gessit, conservavit, et nihil contra eam fieri permisit, inherendo tractatibus cum dno. magistro et ordine, per multa et varia non convenientia media proposita, que hactenus non successerunt. Unde Mti. sue regie ut hoc tempore illa rursus non suscepta aut alia proponeret non videtur integrum. Nihilominus si dnus. magister alia habet aut commodiora invenire poterit, que Mti. sue ferenda et digna viderentur, ut tandem utriusque partis meliori et firmiori quam ante hac modo defectus tollerentur, ferre posset Mtas. sua et gratum haberet, ut ad proxime futurum regni sui conventum Petrkoviam hujusmodi media mitterentur, ubi Mtas. sua, que pro bono pacis et reipublice christiane commodo expedire cognoscet, amplecti non gravabitur.

Exhibitionem domini magistri per vos factam, qua se et ordinem suum Mti. sue et Sermo. dno. Hungarie regi, nepoti sue Mtis., ad utrarumque Mtum. servitia offert, grato audivit animo et regia sua benivolentia dno. magistro semper respondere dignabitur.

Quod ultimos a vobis propositos articulos spectat, tractatus videlicet per Mtis. regie et dni. magistri consiliarios in conventu graudecensi pro festo S. Jacobi preterito habitos, Mtas. regia per suos terrarum et civitatum consiliarios illic existentes, sic est edocta: quod licet verum sit, sicut et per vos expositum est, seorsum fuisse deputatos ab utraque parte consiliarios, qui omnibus agendis intenderent, tamen si quid concludi debeat, ad commune consilium deferri fuit institutum. Dum itaque tractatum esset de villis ad castra et oppida utrimque intercepta ab antiquo spectantibus, ut rursus illuc devolverentur: et per Mtis. sue consiliarios fuisset propositum de oppidis sub induciis per dnum. magistrum occupatis, ut simili modo restituerentur, consiliarii dni. magistri sine Illtis. sue scientia desuper concludere noluerunt. Unde consiliariis Mtis. regie etiam conveniens non videbatur, ut absque Mtis. regie consensu super istis villis quidquam concluderent.

Perinde etiam actum est cum illis, qui vel vi vel ultro ab utraque parte defecerunt, et qui sub regia Mte. habitantes bona sub dno. magistro habuissent et servitium militare neglexissent, et similiter ex parte dni. magistri. Que omnia per utriusque partis consiliarios ad Mtem. regiam et ad dnum. magistrum sunt relata, sicque rebus infectis discessum est. Ne itaque pejores ex his turbis errores prodirent, Mtas. regia iterum pro festo S. Michaelis preterito conventum in Marienburgo instituit, ubi de omnibus premissis concludi debuit. Quum autem illic, ut manifestum est, passim pestis grassatur, quod sine vite discrimine talis conventus agi non possit, Mtas. regia cessante hac aura periculosa, alium instituere decrevit, in quo de his tractari et concludi debet. Commisit igitur et districte mandavit Mtas. sua regia omnibus capitaneis et officialibus suis, ut interea quilibet eorum juxta confectam induciarum formam cum parte ordinis quiete et pacifice vivat. Similiter dnus. magister committet et mandabit suis officialibus et commendatoribus, ut secundum

induciarum

induciarum tenorem, donec conventus futurus celebrari commode poterit, cum Mtis. regie officialibus et subditis se gerant. MDXXI.

Quod in fine legationis vestre contra Ilowski conquerendo retulistis, id Mtas. regia ad hunc futurum conventum remittit et differt, ubi de omnibus, sine alicujus partis offensione, de his villis, silvis, lacubus Neidemburg et Ortelsberg spectantibus tractabitur. Et interim omnia sic ut in induciis expressum est, quieta et tranquilla parte ab utraque maneant.

CDXXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

Serme. princeps et dne. nepos noster charissime. Dolere atque angi Mtem. vestram, ut ex ejus literis accepimus, ob captam Nanderalbam, nec ambigimus, nec miramur, quanta enim hoc casu janua patefacta sit hosti, cum ad regnum Mtis. vre. Hungarie, tum ad alia regna et dominia vicina, nemo est, qui non videt. Et proinde in tam adverso eventu, solliciti plurimum de Mte. vra. et ejus statu, mittimus ad eam visendam hunc nuncium nostrum, quam plurimum rogamus, ut quum res humane sic se habeant, ut eas per varios casus et vicissitudines volvat rotetque fatalis necessitas, primum Mtas. vra. vulnus hoc, quod se hac arce perdita accepisse scribit, forti et infracto animo perferat, deinde id, quod parti inflictum est, curet una cum dnis. consiliariis et universo regno suo Hungarie, ne in totum redundet, ut videlicet ee arces et loca hec, que adhuc reliqua sunt, ad continendum et arcendum hostem idonea, ita provideantur et firmentur, ut hostilis conatus prohiberi possit tantisper saltem, donec nobis spatium detur consulendi providendique in commune cum aliis principibus christianis, quorum id curare non minus interest, quo pacto conservari possit regnum Mtis. vre., et tanta hostis potentia retundi. Siquidem evenire solent tales et multo graviores casus aliis regnis et principatibus, e quibus recte consulendo agendoque emergi datur. Et licet Mtas. vra., quum primum hec calamitas eam invasit, curaverit illam inter tantas suas occupationes et turbas summo pontifici et cesaree Mti. aliisque principibus christianis declarare, tamen non abs re videtur, ut Mtas. vra. post acceptam hanc cladem, non sibi solum, sed universe rei christiane illatam, iterum illam ipsi summo pontifici cesareeque Mti. et aliis principibus denunciet, ut eo casu permoti tanto efficacius adsint Mti. vre. ope et consiliis suis, ne ejus regnum ac demum universa respublica christiana hac tanta procella obruatur. Nos et pro debito nostro erga Mtem. vram. et quia res communis est, nullis modis, quantumcunque prestare poterimus, deesse illi volumus. Que felicissime valeat et nos de ratione et statu presenti rerum suarum certiores facere dignetur. Cracovie d. XII. Octobris. Cod G. R.

CDXXXIX. LEGAT.

CDXXXIX. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Conventum Prussie.

Qui quidem conventus Prussie actus est ante Piotrkoviensem generalem regni conventum, pro die S. Simonis et Jude indictum.

MDXXI. Cod. G. R. Post dictam salutem et gratiam regiam, referendum: miratam et sollicitam fuisse Mtem. regiam, quod longo tempore nihil intellexerat eorum, que gesta sunt in conventu graudecense preterito, quum vero tandem Mtas. sua vidit capitula conventus ipsius per dnum. Cema allata, placuisse illi satis alia, que acta sunt preter id, quod de bonis et villis, post factum fedus et susceptas inducias ab arcibus et oppidis suis ademptis, nulla facta fuerit constitutio, et consiliarii dni. magistri, hac re non composita, discesserint; debuisse tamen dnos. consiliarios Mtis. sue consulere invicem super eo negotio, quid esset exequendum. Itaque hortari illos Mtem. suam, ut nunc consulant: an videretur fieri legatio ad dnum. magistrum in eo negotio, et cum qua instructione, aut quidnam aliud faciendum, ne ea re ita in confuso existente aliquid perturbationis oriatur.

Ceterum ut tuti sint istic subditi Mtis. regie et licentia grassatorum, que pullulare incipit, frenetur, utque provideatur, ne dnus. magister et ejus officiales loca aliqua alia Mti. sue subjecta intercipere posset, expedire putat Mtas. sua aliquam militum manum in arcibus servare. Et proinde in eum effectum curarent dni. consiliarii, ut aliqua contributio statueretur, seu aliquis alius modus provisionis reperiretur.

Item de cudenda istic moneta erat consiliariis dudum ante propositum, consulerent et concluderent tandem, in quem modum et valorem concludi deberet.

Preterea negotia omnia tam judiciaria quam reipublice terrarum Prussie, que transigere debuerunt in conventu preterito eaque incomposita reliquerunt, nunc in eo conventu diligenter et citra fastidium aut festinationem determinarent.

Postremo quia Mtas. regia habitura est conventum generalem regni Piotrkovie pro festo S. Simonis et Jude, ubi inter alia tractare et consulere dignabitur de prosequendo negotio cum dno. magistro et ordine in eum modum, quo est suspensum, videlicet superarbitraria cognitione, proinde hortari Mtem. suam dnos. consiliarios, ut etiam de eo ipso negotio secum tractent, suumque consilium et sententiam in conventu generali Mti. sue referant, ad quem vult Mtas. sua, ut ipsi dni. aut saltem aliqui eorum veniant.

Item quia agi et tractari solent multa in conventibus terrarum Prussie, que annotatione indigeant, necessarium putare Mtem. regiam, notarium aliquem delectum constitui ad id munus, qui acta et tractatus conventuum conscriberet, et proinde consulerent dni. consiliarii super ea re et ejus Mti. suam. sententiam declararent.

CDXL. Contributio et ordinatio ad defendendam Vngariam in conventu Budensi per omnes Vngaros facta et per regem Ludovicum approbata. Ad diem S. Elisabethe.

MDXXI. Cod. G. R.

Quoniam ad magni hostis magnas vires magna pecunia, que nervus belli est, conquirenda et congerenda est, licet igitur rusticis et ruralibus aliisque plebeje conditionis hominibus post plurimas eorum calamitates et miserias jam tandem parcendum foret, extrema tamen necessitas et imminens regni periculum, cogit eos pro hac vice etiam preter solitum subsidium prestare et modo subscripto contribuere. Quapropter universi et singuli rurales et ignobiles plebejeque conditionis homines etiam in civitatibus et oppidis liberis regiis et reginalibus, ubilibet in hoc regno Vngarie partibusque ejusdem residentes et commorantes; insuper etiam inquilini, tam in domibus propriis eorum, quam etiam apud alios habitantes, uxorati tamen et usus proprios seorsum habentes, si etiam in domibus et curiis nobilium residerent, demptis duntaxat inquilinis et mercenariis, qui proprio victu et amictu dominiorum suorum terrestrium utuntur, fumatim singulatimque solvant florenum unum.

Insuper a quolibet vase vini integro, quod aut ex propriis vineis crevit, aut etiam pecuniis quis eorum emit, quinquaginta denarios; de mediocribus vero vasis vinorum, prout in partibus superioribus Cassoviam versus habentur, singulos viginti quinque denarios; de vasis autem nimis magnis, prout sunt Fwadar (Gwadar, R.) Posonium versus, florenum unum; de vasis paulo minoribus sicuti Dreylingk (Drayling, R.) denarios septuaginta quinque solvant. Hoc declarato, quod illis in locis, quibus vina fuerant nata, si etiam per colonos jam vendita extitissent, contributio prenotata juxta judicis ac juratorum civium ipsorum locorum fidelem conscientiosamque recognitionem et attestationem effective reddantur.

Item braxatores cerevisie de opificio eorum singulatim solvant florenum unum, a singulis vasis integris cerevisiarum denarios X.; a mediocribus vero vasis seu vasculis denarios V.

Item de singulis bobus, vaccis et aliis jumentis et equis, tam aratra currusque trahentibus quam etiam in campis existentibus et pascentibus, singulatim denarios V.

Item de ovibus, capris, apibus et porcis singulatim denarios duos; de vitulis vero et paledris agnis et porcellis unius anni nihil contribuatur.

Ceterum universi artifices mechanici: ut sutores, gemmifixores, aurifabri, carpentarii, lapicide, fabri, pictores, mensatores, plumbifiguli, rasores, textores, chapones, funifices, cuprifabri, barberii, maccellarii, pellifices, coriarii, vilipari, seripari, lanifices, calcarii, curripari et cerdones ceterique mechanici artifices in civitatibus et oppidis duntaxat residentes a singulis tabulis et officinis eorum ultra prenotatum unius floreni subsidium fumatim, ut prefertur, exigendum, solvere teneantur unum florenum.

Item universi mercatores, institores, apothecarii, pannicide, boltharii et alii feneratores in liberis ac aliis civitatibus muratis residentes vigesimam partem rerum suarum mercimonialium conscientiose contribuere debent.

Vniversi

MDXXI. Vniversi molendinatores omnium molendinorum, quocunque nomine censeantur, etiam hammer et huta, de singulis molaribus seu rotis solvant florenum unum singulum.

Vniversi piscatores de integro reti magno, gyalom appellato, solvant singulatim florenum unum.

Preterea mercatores et pannicide extra liberas et muratas civitates habitantes a singulis eorum equis curriferis solvant singulos denarios quinquaginta.

Item ecclesiarum parochialium plebani ac altariste et alie persone ecclesiastice, que gentes non conservant et pecoribus pecudibusque carent, decimam partem rerum suarum aurearum et argentearum ac pecuniarum paratarum contribuant.

Item quod Judei ubicunque et in quibuscunque bonis residentes per singula capita h. e. viri et mulieres ac juvenes, puelle et pueri, solvant florenum unum, juxta tamen rerum suarum exigentiam, ut pauperes a ditioribus in hujusmodi contributione adjuventur; et quod premisse omnes contributiones pro hac vice solummodo intelligantur.

Quantum vero ad proventus regie Mtis. attinet, ubi sua Mtas. offert, omnes illos ad regni defensionem, demptis eis, que pro persona sua, pro coquina et pro solvendis curialibus suis ac pro aliis necessitatibus suis expediendis necessaria sunt, dummodo illi eliberentur ab inscriptionibus, non videtur Mtas. sua in hac parte impedienda, habeat in dei nomine omnes proventus suos regios pro se integros ac illesos, modo conservet ex eis banderia sua regalia more predecessorum suorum, regum Vngarie, officiales et castra finitima, que adhuc restant, provideatque Mtas. sua et disponat reliquas necessitates ad futuram expeditionem generalem attinentes unacum subsidio sue Mtis. modo inferius declarato ad eandem expeditionem pariter oblato.

Item super rectificatione et eliberatione proventuum regie Mtis. faciat ex nunc Mtas. sua rationem ponere et revideri facere, qui et quomodo proventus sue Mtis. possident et qui juste illos habere comperti fuerint, eis sua Mtas. dignetur solutionem facere, qui autem sinistre ac indebite illos possidere et presertim contra statuta regni se in eos ante festum S. Georgii martiris proxime transactum intromisisse dignoscuntur, illis nihil solvatur, sed simpliciter et de facto ab eis auferantur. Qui vero post dietam et conventum dicti festi S. Georgii eas in arendam accepissent, ex quo in ipsa dieta determinatum fuit, hujusmodi proventus sue Mtis. in arendam posse locari, talibus quoque pecunie eorum restituantur, ita tamen si constiterit evidenter, summam hujusmodi arende ad facta propria sue Mtis. extitisse levatam et non pro antiquis debitis arendationem ipsam fuisse factam.

Item ad Tricesimarum regie Mtis. introitum pro subsidio nunc sue Mti. adjectum est, quod de singulis bobus ac vaccis et aliis jumentis ac equabus, seu equis fetosis solvantur singuli denarii quinquaginta, durante tamen hac solummodo expeditione contra Turcos. Post exitum vero hujus belli solvantur, prout prius solitum erat, denarii XX.; loca tamen commutationis per regiam Mtem. deputentur ad emptionem et venditionem eorum animalium, que de hoc regno educentur, Nedewce, Copronium, Owar, Posonium, Tirnawa, Vetus Zolium et Cassovia, ultra autem hec loca in visceribus hujus regni tricesime de animalibus non exigantur. Et quod equi masculi, stante hac expeditione, gregatim vel aliter venditionis causa sub pena amissionis et ablationis eorundem e regno non educantur.

Item:

Item: quod regia Mtas. cameras salium suorum transilvaniensium reformari facere in me- MDXXI.
lius curet, ex quibus adhibita provisione et diligentia bona centum circiter milia flor. annalium habere poterit. Provideat tamen Mtas. sua, ne sales externi in hoc regnum inducantur.

Item Mtas. regia monetas novissime cudi ceptas cudere faciat, ex quibus proventibus suis regiis magnam summam pecuniarum adjicere valebit, ita tamen, ut sua Mtas., quemadmodum pollicita est, elaboret et efficiat quam primum, ut hujusmodi pecunia et nove monete in Austria, Stiria, Carinthia, Carneola, Bohemia, Polonia, Moravia et Slesia libere currant et recipiantur. Quod si efficere non posset Mtas. sua, faciat cudere tales, que ubique reciperentur, et nihilominus Mtas. sua bonas quoque, prout temporibus Sermorum. principum dominorum Mathie et Vladislai regum felicis memorie erat, cudi facere non omittat, ne regnum istud bonis pecuniis totaliter defecisse videatur. Et quod extranee etiam pecunie, videlicet cruciferi et grossi bohemicales et almanicales, preterea Babka, Haller et Beecz (Beech, R.) ubilibet in regno hoc currant. Et si Majestas regia voluerit hujusmodi quoque pecunias externas cudere, faciat sub justo tamen et solito apud illos argenti pondere.

Ne autem proventus ex ea cusione novarum monetarum provenientes, qui si bene recolligantur, notabilem magnamque pecuniarum summam faciunt, dissipentur et non in regios, sed alios usus prout hactenus convertantur, et ne bone monete similiter cudende suo justo pondere argenti fraudentur, faciat Mtas. sua regia fidelem dni. magistri tavernicorum hominem Bude cusoribus ipsarum monetarum semper assistere, Cremnicieque pisetarium ecclesie strigoniensis de veteri consuetudine et more alias solito pariter admittere, qui et cusioni illarum superintendere et proventibus quoque sue Mtis. exinde fiendis fideliter invigilare posset, ne fraus et dissipatio in eis committatur.

Ceterum quia prenarratum subsidium unius floreni ac aliarum rerum modo superius declarato dicandarum et contribuendarum de universo hoc regno et partibus ejus tam videlicet et bonis regie Mtis. et reginalis Mtis. quam etiam universorum dominorum et regni nobilium liberisque civitatibus et illarum tenutis ac possessionibus, equali modo et ordine debebit exigi, nam aliter ex varietate exactionis et diversitate modi contributionis ejus in bonis non solum nobilium, verum etiam dominorum, manifesta posset evenire desolatio, ideo Mtas. regia dignetur hoc idem subsidium de omnibus suis et reginalis Mtis. bonis ac liberis civitatibus eorumque tenutis et possessionibus juxta modum et ordinem predeclaratum, non solum videlicet florenum unum fumatim exigendum, sed etiam taxationes vinorum, pecorum, porcorum ac aliarum rerum et generaliter omnium contributionum preallegatorum suo modo exigi permittere et recolligi facere ac totam pecuniam ex hujusmodi contributionibus recolligendam ad erectionem et conservationem banderiorum suorum regalium, dispositionemque et fabricationem navium, carinarum et aliorum navalium instrumentorum, preterea ordinationem ingeniorum tormentorumque bellicorum nec non pulverum, lapidum, globorum ceterarumque necessitatum bellicarum ad futuram expeditionem, prout conditio temporis et rerum necessitas postulabit, convertere. Preterea ex premissa quoque contributione unius floreni fumatim ut premittitur exigendi pro sua Mte., cedant ubique

MDXXI. que de bonis omnium dominorum ac regnicolarum singulatim denarii XXV. Et insuper lucrum quoque camere Mtis. sue cum superadditione singulorum pro hac vice quinque denariorum ad proximum festum Pentecostes, vel paulo post, per thesaurarium regium, non tamen fumatim, sed more alias consueto libere dicetur et exigatur.

Et ne in ejusmodi exactione et recollectione ipsarum contributionum fraus et dissipatio suboriri ac inter colonos regie ac reginalis Mtis. nec non dominorum ac nobilium et regnicolarum contentio et discordia subsequi possit, Mtas. sua omnes ejusmodi census taxat et contributiones preter illos XXV. denarios in sortem lucri camere dicandos et exigendos manibus dicatorum per universitatem nobilium in singulis comitatibus modo suprascripto eligendorum primo et ante omnes alios dari facere dignetur, et illi demum dicatores fideliter et sub juramento integre sub sigillis vicecomitum et judicum nobilium illorum comitatuum, in quibus bona ipsa adjacent, ad manus Mtis. regie presentare debeant, et quod tempore hujusmodi connumerationis et dicature judices et jurati cives civitatum, oppidorum et villarum regiarum et reginalium, cum ipsis dicatoribus intersint procedantque, ne fraus et dissipatio in proventibus Mtum. suarum committatur.

Ceterum quia creverunt pericula, creverunt et necessitates. Ex dicatura itaque et taxatione ruralium et plebeje conditionis hominum prenarrata, licet satis difficili, magna moles ista belli, que nobis imminet expediri commodeque absolvi non poterit. Quum itaque periculum — quod deus ipse misericors procul avertat — commune sit, communi etiam provisione et subsidio propelli et averti debet, visum est et unanimiter conclusum, quod universi dni. prelati ac alii viri ecclesiastici, seculares et religiosi pariter baronesque et nobiles et ceteri possessionati homines, non obstante libertatis eorum prerogativa directam medietatem, seu equalem mediam partem universorum proventuum suorum annalium pecunialium, sive ex czibrionibus, (chibrionibus, R.), sive ex piscinis, Morothwa (Morothuta, R.) dictis, sive ex fodinis auri, argenti, cupri, ferri, calibis aliorumque metallorum, sive ex silvis glandiferis, vel undecunque aliter proveniunt, ad ipsam expeditionem prenotatam pro hac una vice contribuant.

Preterea de vinis quoque tam propriis vineis eorum natis quam etiam navalibus, vel aliter pretio comparatis, que adhuc restant; de pecoribus quoque ipsorum contributionem de rusticis preallegatam pari modo solvant.

Quia vero sunt plerique nobilium, qui Jobagiones in certo numero possident, tamen nec promontoria nec piscinas magnas, nec silvas glandiferas habent, et Jobagiones quoque modicum nimis aut nihil nobilibus ipsis contribuunt, sed eisdem arant duntaxat et metunt fenumque falcant et in eorum horrea cumulant, ex quibus ipsi nobiles non modicam pecuniam annuatim hauriunt. Ne igitur tales absque omni solutione penitus exempti, sed aliquid subsidii ipsi quoque prestare videantur, similiter medietatem pecuniarum, quas ex hujusmodi colonorum servitiis et agricultura per annum habent; juxta ipsorum propriam conscientiam animosam, ut quilibet onus istud equaliter supportasse dignoscatur, contribuant.

De nobilibus unius sessionis super vinis et pecoribus ac pecudibus eorum idem est judicium. Et insuper, si qui illorum nullos proventus annales in paratis pecuniis habent, tales de personis eorum solvant singulatim florenum unum.

Et

Et quod prediales ecclesiarum, qui nobilium vices gerunt, pro nobilibus reputantur, instar nobilium unius sessionis contributiones prenotatas facere teneantur. MDXXI.

Item dni. prelati ratione decimarum suarum nihil teneantur contribuere, quia illarum pretextu banderia sua conservabunt. Verum tamen sunt plures persone ecclesiastice, que decimas quidem habent, gentes tamen illarum ratione non conservant, et tales medietatem decimarum contribuere teneantur.

Item officiales regie Mtis. ratione officiorum suorum gentes et banderia eorum conservare debebunt.

Item quod ad dicaturam, connumerationem et recollectionem premissarum omnium contributionum ac subsidii unius floreni, eligantur in singulis comitatibus duo probi et fideles nobiles, qui hujusmodi subsidium ac reliquas contributiones prenotatas, tam in bonis regie Mtis. et reginalis, quam etiam omnium dominiorum ecclesiasticorum et secularium et aliorum nobilium et cunctorum possessionatorum hominum et religiosorum juxta modum ac limitationem superius factam, fideliter et conscientiose connumerent, peragant et exequantur, ita tamen, quod nec comites, nec vicecomites, nec judices nobilium pro salario eorum quidquam recipiant, sed in expensis ipsorum dicatorum electorum cum eis pariter procedant. Et ipsi quoque dicatores pro eorum salario non plures quam in comitatibus majoribus Junko (?) quinquaginta flor. in mediocribus XXXII. et minoribus XXV. flor. accipiant, et hoc ideo, quia de republica agitur, et quilibet pro salute quieteque propria labores subire tenetur, expensas etiam quanto pauciores de illis contributionibus facere possunt, tanto minores faciant, ne defectus magnus in eisdem contributionibus committatur. Et quod hujusmodi connumeratione dicatorum ipsi non per famulos eorum aliquos, sed in persona ipsorum propria peragant.

Et quod judices civitatum, oppidorum, villarum ac possessionum solummodo in solutione subsidii predicti unius floreni relaxentur, et in parvis villis illius quoque subsidii medietatem persolvant; reliquas autem omnes contributiones instar aliorum colonorum reddere soli etiam dicatores ipsi teneantur.

Item thesaurarii, comites, vicecomites ac Judices nobilium de vinis et pecoribus ac pecudibus proventibusque eorum pecuniariis censum prenotatum juxta limitationem prenarratam restituere teneantur.

Qui quidem dicatores, antequam ad hujusmodi connumerationem et dicaturame mittantur, coram universitate nobilium firmissimum prestent juramentum, quod in eodem negotio fideliter procedent, et nemini timore vel amore favebunt aut parcent, neminemque odio vel invidia preter debitum vexabunt, et quod expensas superfluas in processu earum non facient, subsidiumque nemini relaxabunt, nec quavis via, occasione et colore illud pro se vel aliis preter salarium deputatum retinebunt, aut aliter dissipabunt, sed fideliter ac probe dicabunt atque connumerabunt, et verum ac justum regestrum et computum superinde servabunt. Habita deinde hujusmodi dicatione ac connumeratione, quilibet dominorum et nobilium per se vel per suum hominem totam summam tam ratione proventus persone sue proprie ac occasione vinorum pecudumque ac pecorum suorum in eo comitatu, ubi connumeratio ipsa fiet existentium, quam etiam Jobagionum suorum in eodem comitatu existentium

MDXXI. tentium juxta seriem regestri dicatorum ad brevem unum terminum per universitatem nobilium ad id prefigendum in presentiam comitum, vicecomitum et judicum universitatisque nobilium absque defectu adducere et presentare, quam tandem comitatus ipse cum comitibus ac vicecomitibus et judicibus nobilium, thesaurariis regni modo subscripto eligendis et constituendis fideliter rescribere et eisdem per dicatores ipsos, auxilio tamen ejusdem comitatus, transmittere, et illi quoque thesaurii super rehabitione literas recognitorias et expeditorias dare debeant, ne fraus aut dolus ex aliqua parte subsequi possit.

Verumtamen domini ac nobiles, cujuscunque status ac dignitatis et conditionis existant, qui in diversis comitatibus bona ac jura possessionaria habent, solutionem medietatis proventuum suorum pecunialium juxta animosam eorum conscientiam in eo duntaxat comitatu facere debent, ubi residentiam habent specialem.

Item pro conservatione et dispensatione thesauri ex premissis subsidio et contributionibus congesti seu congerendi ex nunc eligantur duo barones et totidem nobiles ex utraque parte Danubii modo equali. Et illi hoc modo electi ad fidelitatem regie Majestati et regno observandam neque ad alias necessitates velle hunc thesaurum convertere preterquam ad presentis expeditionis necessitates, et quod thesaurum ipsum nec pro se, nec fratribus vel dominis aut amicis, nec famulis eorum preter salarium eis deputatum accipient, aut aliter dissipabunt, sed pecunias illas ad regni negotia prenotata convertent, firmissimum prestent juramentum. In quo hoc modo erit procedendum, quod hic thesaurus congregatur ad unum locum et thesaurarii jurent ad invicem, quod duo ex ipsis in castro interim manebunt, donec alii duo redibunt gentesque pari modo conservent in castro. Et nullus majori comitiva altero intret ad castrum, ad cujus custodiam magna in parte nobiles servabunt illos precipue, quos intellexerint fidelissimos. Locus autem deputetur idoneus in medio regni Vngarie, castrum scilicet munitum et huic rei competens atque tutum.

Quoniam omnibus constat, premissas contributiones et census insolitos ad vim hostilem reprimendam, ac ad arces amissas recuperandas esse constitutas, constat etiam, easdem contributiones de cunctorum dominorum, prelatorum ac baronum et regni nobilium aliorumque possessionatorum hominum, etiam religiosorum modo et ordine jam predeclarato in unum locum et ad manus ipsorum thesaurariorum regni comportandas et collocandas fore, qua propter nemo dominorum, nemo nobilium, nemo etiam aliorum possessionatorum hominum, exceptis dominis prelatis banderiatis, qui ratione decimarum suarum gentes eorum paratos habere, demptis etiam officialibus finitimis regie Mtis., qui ratione hujusmodi officiorum suorum gentes eorum pariter paratas habere et conservare semper teneantur, in hac futura expeditione personaliter interesse vel exercituare prima fronte tenebitur, sed gentes de publico et communi erario — quia de salute communi agitur — ad ipsam expeditionem conduci debebunt. Ne tamen dni. barones et ille quoque decem persone, qui et que juxta contenta generalis decreti gentes per se tenere solebant, gentibus suis aut destitui aut exercitium belli pretermisisse videantur, de publico ipso et communi erario seu thesauro non solum ad gentes suas teneri consuetas, verum etiam plures ex novo conducendas, si exercituare voluerint, per thesaurarios pecunie destribuatur.

Verum quia expeditionis ipsius moles ac progressus absque rectore, absque ductore et capitaneo

pitaneo absolvi ad effectumque perduci non poterit, presens etiam constitutio in fumum MDXXI.
convertetur et in nihilum redigetur, quod deus avertat, si executorem non habebit. Certum est autem, regiam Mtem. solam esse principem, regem, ducem rectoremque et capitaneum nostrum ac exequutorem omnium rerum et constitutionum nostrarum, que pluribus intenta, veluti tantorum regnorum rex et dominus, ad singula semper invigilare superintendereque non potest, quapropter Mtas. sua regia ex nunc constituat auctoritate sua regia unum vel duos capitaneos generales, qui expeditioni prenotata sue Mtis. vice preesse gentesque tam internas quam externas nomine Mtis. sue conducere et expeditioni hujusmodi ad processum generaliter providere, exequutionem etiam earum rerum, que necessarie erunt, et presertim constitutionem presentem concernere videbuntur, de mandato sue Mtis. peragere debeant, habeantque et externis et internis de regnis ac nationibus adductos et conductos secum in expeditione ipsa semper subcapitaneos in rebus bellicis et militaribus exercitatos et expertos, si reperient pariter Ungaros, quorum consilio et opera procedant utanturque et que rei illi conducibilia videbuntur faciant. Interim tamen de externis regnis preter magistros rotharum ac capitaneos bonos et expertissimos, gentes non conducant, quousque Vngaros reperient bellice rei sufficientes et aptos.

Qui quidem capitanei regie Mti. super observanda fidelitate, et quod in rebus exequutioni eorum commissis nemini parcent, sed fideliter procedent et cum gentibus secum existentibus preter hostes regni et turbatores presentis constitutionis ac statum reipublice Mtis. regie et regni sui subversores, neminem impedient, demptis in bello et expeditione ipsa delinquentibus, qui juxta eorum demerita juste puniendi sunt. Et quod per gentes damna pro posse eorum inferri non permittent, si tamen illata fuerint, requisiti lesis et damnificatis juxta evidentia testimonia, mera rei veritate comperta, statim et absque supterfugio satisfactionem impendere et reum secundum sui excessus qualitatem punire non obmittent.

Et quia capitaneorum officium erit, gentes, ut prefertur, nomine regie Mtis. conducere et cum illis fideliter ac quo minori poterunt stipendio et salario conducere, exploratores tenere et de illis aliis ad negotium expeditionis pertinentibus providere, gentes etiam conducendas modo ante dicto a damnorum illatione pro eorum posse custodire: propterea necessarium est de salario competenti ipsis providere, quo factis et rebus, eorum officium concernentibus, satisfacere valeant, ne defectum exinde sequi contingat. Hoc declarato, quod si gentes per eos conducende aut etiam proprie vel aliter capitaneatui eorum deputate damna in eorum progressu aliquibus intulerint, mox postquam per lesos requisiti fuerint, vel alter eorum fuerit, de illatis satisfactionem aut per se ipsum aut per gentes, que mala intulerint, comperta, ut premissum est, rei veritate, impendere teneantur. Et quod violatores ecclesiarum ac puellarum et mulierum capitali pena puniri faciant. Et gentes in domos nobilium ac presbiterorum contra eorum voluntatem descendere non permittant.

Ceterum capitanei ipsi mutuam habeant cum thesaurariis regni super summa manibus eorum consignata intelligentiam, cujus respectu gentes secundum magis et minus conducere sciant. Thesaurariorum etiam ipsorum unus aut duo gentes conductas personaliter revidere et tam numerum quam etiam apparatum eorum bene considerare teneantur, ne talibus, qui non merentur, pecunie distribuantur.

MDXXI. Et quod aliqui thesaurariorum, vel homines ipsorum speciales, semper et continue penes capitaneos cum certa pecuniarum summa assistere teneantur, ut per eos gentibus conducendis fiat semper solutio sine defectu, quarum etiam gentium numerum et ipsi sciant thesaurii, capitanei quoque solutionis summam pariter intelligant.

Item: quod regna Slavonie et Transilvanie singulas illas solutiones et contributiones, que superius declarate sunt eque ac in Hungaria pro hac vice unica subire facereque debent, et superinde Mtas. regia quam primum oratores suos ad ipsa regna transmittere dignetur.

Item: regia Mtas. de premisso capitaneatu et consilio quoque suo ita disponat, ut in omnibus rebus tam sue Mtis. quam etiam regni sui juxta presentem constitutionem bene procedi providerique possit.

Et quod capitanei per regiam Mtem. constituti super declarato juramento per eos prestando literas suas regie Mti. dare teneantur.

Preterea Mtas. quoque regia in verbo suo regio per literas suas, ac domini prelati et barones fide ipsorum christiana, literis eorum mediantibus; obligent se, quod constitutionem presentem et articulos confectos in omnibus eorum clausulis et continentiis observabunt et Mtas. regia per alios quoque omnes dominos ac regnicolas eque absentes ac presentes observari faciet.

Si quis vero presenti constitutioni ausu temerario contravenire et eam in toto vel in parte infringere attentaret vel aliqui attentarent, tales tanquam turbatores communis boni et reipublice hujus regni et subsequenter totius Christianitatis in rebus et personis eorum per Mtem. regiam graviter puniantur et bona eorum fisco regio applicentur absque omni misericordia et gratia et omnes domini ac nobiles et regnicole cum omnibus ipsorum facultatibus et viribus contra tales regie Mti. et consequenter capitaneis suis autoritate sue Mtis. eis concessa in hac parte assistere teneantur.

Ceterum Mtas. sua regia certificet et assecuret singulos regni sui comitatus per literas suas, nolle de cetero per amplius regnum istud et ejus nobilitatem simili contributione et taxa molestare atque gravare.

Item: si quis dominorum aut nobilium vel etiam rusticorum res aliquas celaverit, a quibus contributio solvi deberet, tales res, si reperiri poterunt, per dicatores comitatuum auferantur et ex eis primitus contributio reddatur, residua vero pars partim vicecomitibus et judicibus nobilium, partim autem dicatoribus cedat.

Item: quod ab illis, qui arma vel victualia ad regnum deferunt tricesime tributa nullibi exi gantur. Et hoc proclametur.

Item: Mtas. regia mittat suos oratores ad principes christianos, idoneos Vngaros; nam alia natio de rebus regni non tantum intelligit. Qui quidem oratores inter alia habeant informationem etiam ad electores imperii ac civitates partium superiorum pro subsidio navium, ingeniorum, armorum et pulverum ac aliarum necessitatum impetrando.

Item: ad regni defensionem et ejus partium finitimarum intra tempus generalis future expeditionis capitanei deputati conducant aliquot milia gentium, tandemque thesaurarii superinde omnimodam illis impendant satisfactionem.

Item

Item: quia ecclesie majores et specialiores in presens vacant earumque carent prelatis, qui banderia insignioria tenere deberent, ideo Mtas. regia dignetur pro regni defensione beneficia illa ecclesiastica juxta contenta decreti personis nobilibus et bene meritis exnunc realiter distribuere, ut illi quoque banderia sua erigere et gentes suas absque mora ad confinia loca necessaria destinare possint, debeant et teneantur. MDXXI.

CDXLI. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Mirificam erga nos regnumque nostrum Mtis. vre. charitatem, et quantam de statu rerum nostrarum habeat sollicitudinem, tum aliis argumentis perspicuis, tum quod nuncios, per quos de rebus omnibus nostris fiat certior, tocies mittere non gravatur, plane agnoscimus. Quum igitur ea, que ante conventum nostrum sunt acta, ex mgco. Joanne de Tarnow, capitaneo suo, et ex literis nostris Mtas. vra. jam acceperit, perstringemus ea, que sunt postea sequuta. Cod. G. R.

Celebravimus pro festo S. Elisabethe preterito conventum, in quo constitutum est ad curie nostre necessitates et ad futuram in Turcos expeditionem non vulgare subsidium, prout ex conclusionibus, quas in articulos digestas ad Mtem. vram. mittimus clarius cognoscet.

Coronatio vero Serme. sponse nostre, prestito per nos prius de more regum Ungarie regnicolis nostris (quod solum pro confirmatione regiminis nostri faciendum restabat) juramento undecimo mensis hujus, quum prius ob negotia, que erant impedimento, fieri non potuisset, magna prelatorum, baronum ac nobilium regni nostri frequentia in Alba regali est peracta. Nuptiis autem celebrandis octavum diem epihaniarum dni. constituimus, quibus utinam Mtas. vra., sicut prioribus indicavimus literis, posset interesse, nihil in vita nobis suavius, jucundius, optatius unquam accidisset. Nam presentia Mtis. vestre et curas nostras minuisset et metum hostibus attulisset non mediocrem et insuper nuptie ipse quoque fuissent facte et splendiores et letiores. Verum quum id temporis vel ratio vel angustia negaverit, rogamus, ut animo saltem velit et nuptiis nostris interesse et ea cogitare ac solita pietate consulere, quibus maxime viribus et consiliis hosti potentissimo ad ver proximum occurrere et eum a nostrorum cervicibus aliquando possimus removere. Nam ut certissimi exploratores ad nos attulerunt, tam validum Turcus in presens comparat exercitum, tam magnum navium omnis generis numerum edificat, ita se et tormentis et omni apparatu bellico instruit, ut majores Turcarum vires nullo unquam tempore Christiani viderint. Invadet rursus quam primum mitiora fient tempora regnum nostrum per terram et flumina, publice autem minatur et predicat, proxima estate Budam se visurum, unumque ad id sibi sufficere oculum, nam si verum est quod ferunt, et filio et altero oculo nuper est orbatus. Habet variis in locis nunc quoque non parvas copias, que ad ripas expectant, dum flumina glacie constringantur, facereque in nostros fines excursiones possent. Nos, ut aperte Mti. vre. fateamur, ad excipiendum aut invadendum tantum hostem,

nisi

MDXXI. nisi deus et cum Mte. vestra reliqui principes nobis adsint, pares nullo modo poterimus esse, presertim quum hac estate omnem nostrum thesaurum sine fructu aliquo effuderimus. Magnum quoque ex partibus transalpinis nostre Transilvanie ac toti regno nostro instat periculum, nam quum defuncto patre Bozorab, vojevode transalpino, filius Theodosius, puer, nostra consensu successisset, emersit in ea provincia quidam ex vejevodarum genere, qui puerum dominio privaturus bellum eidem intulit. — Non procul erat eo tempore Mehmetbegus, Turcorum prefectus, qui cognitis his, que in Transalpinis agebantur, ut vojevodam faceret sibi obnoxium, cum aliquot Turcorum milibus Theodosio tulit auxilium prelioque cum hostibus collato, eum, qui provincie dominatum affectabat, occidit, puerumque cum matre et patris majorumque suorum thesauro et optimis quibusdam tormentis bellicis ad numerum triginta duorum in Turci transtulit ditionem et potestatem. Hujuscemodi autem est Mehmetbegus usus arte et perfidia. Simulabat, se puerum velle paterne sedi ac dominationi restituere, atque ita restituere, ut postea tutus esse posset. Quum igitur ad Tergovisciam, oppidum celebre Transalpine, ubi vojevoda habet domicilium cum matre, opibus et tormentis Theodosius pervenisset, preter opinionem navibus, que ad hoc ipsum parate in Danubio erant, imponuntur et Nicopolim, quo in loco hodie quoque detinentur, sunt deducti; itaque Mehmetbeg cum Turcis rerum summam in Transalpinis hoc tempore obtinet, etsi Valachi seditionibus intestinis et factionibus et tumultu universam concitarunt provinciam; alter enim alterius bona hostilem in modum vastat ac diripit. Quin etiam in Transilvaniam ex hac provincia per Turcos nuper et Valachos facta incursione Siculorum nostrorum ville aliquot in predam sunt verse, proponuntque, quam primum per anni tempus licuerit, duas precipuas in Transilvania, nostre ditionis, civitates, Braszoviam et Cibinium se velle obsidere, Severinium quoque Orsowa Mihaldt et Peth, arces nostras Transalpinis vicinas, expugnaturos, quibus captis, quod deus avertat, parvo negotio reliqua omnia possent obtinere. Nec sunt, que nunc ad Mtem vram. de rebus nostris scribere potuimus. Utinam letiora scribamus. Nos alioqui, quod Mtas. vra. scire desiderat, bona ac prospera utimur valetudine. Ceterum urgemur plurimum a Bohemis, ut in Bohemiam concedamus, nuptiis peractis; et nisi id fiet, dicunt et plane affirmant, regnum ipsum Bohemie ad majores discordiarum flammas exarsurum et nos nihil auxilii ad futurum bellum ab ipsis habituros. Prohibent nos multa, ne vadamus, tum propter pestem, que nondum ubique in Bohemia cessavit et que nunc potissimum in Moravia et Slesia cepit sevire, tum quia abesse ab hoc regno nostro, maxime hac bellorum tempestate sine suspicione vix poterimus, tum etiam, quod profectio nostra satis tuta fore non videatur ob seditiones ipsas bohemicas, presertim si prius quam iverimus cum Mte. vra. convenire et colloqui nequeamus. Nihilominus, si omnino eundum erit, Mti. vre. quam primum significabimus et eam de rebus illic tractandis consulemus, in quibus nil est nobis desideratius, quam si Mtem. vram. nobiscum vel in Bohemia, vel juxta in loco aliquo convenienti convenire liceret. Reliqua ex oratore nostro intra dies paucos cognoscet. Cui nos et regna nostra etiam atque etiam commendamus et eam valere optamus felicissimam. Datum Bude in festo beati Joannis apostoli et evangeliste.

Series Actionum, Epistolarum, Legationum etc., quae in hoc quinto Tomo continentur.

Anni Dni. Millesimi Quingent. Decimi Noni memorabilia. . .			Ex mss. bibl. Rogalinensis.	1.
I.	Chronica.		Cod. G.	3.
II.	Literae.	Sigismundus, R. Consiliariis regni. . . .	G. R.	—
		Enumerantur causae, quibus coactus sit Lithuaniam visendi, unde, rebus omnibus bene constitutis, quam celerrimum reditum conventumque generalem regni pro festo purificationis S. Mariae celebrari curabit — Perscribant consilium, in quo loco conventum maxime celebrandum putarent.		
III.	—	Sigismundus, R. Christophoro Szydłowiecki, Cancellario. .	—	4.
		De conventu Piotrkoviae celebrando.		
		De nutrice eligenda.		
IV.	—	Petr. Tomicki, Eps. Przemysliensis, Vicecancellarius, Joanni Boner, Zuppario.	—	—
		Mtas. regia mox post festum natalis domini ex Lithuania discedet.		
V.	—	Sigismundus, R. Isabellae, Duci Barensi etc. . .	—	5.
		De nata filia. De mortuo caesare Maximiliano et de nuncio in negotio Barensi ante mortem caesaris ad regem Catholicum absoluto.		
VI.	—	Petr. Tomicki, Eps. Isabellae, Duci. . . .	G.	—
		De felici ex Lithuania regis reditu et de nata filia.		
VII.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi Ungariae etc. . .	—	6.
		De nata filia.		
VIII.	—	Sigismundus, R. Episcopis etc. regni. . .	G. R.	—
		De nata sibi filia.		
IX.	—	Sigismundus, R. Epo. Laibacensi. . . .	G.	—
		Gratias agit, quod literis de morte caesaris certiorem ipsum reddere non neglexerit.		
X.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. . . .	Ex cod. mss. bibl. Korn.	7.
		De quibusdam civibus vratislaviensibus.		
XI.	—	Sigismundus, R. ad Duces et Status Slesiae. . .	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	—
		De moneta swidnicensi.		
XII.	—	Sigismundus, R. Joanni Dantisco, Oratori. . .	G.	—
		Ne decedat, nisi negotium plene confecerit.		
XIII.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. . . .	—	—
		De morte inopinata caesaris. De imperatore Turcarum ejusque aucta potentia et ejus consiliis. Nuncium e consiliariis pro tempore propter celebrandum regni conventum mittere se non posse.		
XIV.	Contributio in Conventu Piotrkoviensi decreta pro praesidiis in Russia tenendis.		G. R.	9.

XV.		Constitutiones Conventus Piotrkoviensis. . .	Cod. G. R.	10.
XVI.		Summa Legationis Dni. Casimiri D. Teschnensis. .	—	14.
XVII.		Legatio a Consiliariis Regni Hungariae ad Sigismundum, Regem Poloniae. VII. Marcii. .	—	—
XVIII.		Responsum a Sigismundo, Rege, datum Oratoribus Hungaris Petricoviae in Conv. VII. Marcii. .	—	16.
XIX.	Literae.	Sigismundus, R. Consil. et Nobil. Ungariae. . Pro Cardinali Estensi.	—	18.
XX.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. . . De eodem negotio.	—	19.
XXI.	—	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi. . . Variis ex causis de negotio isto cardinalis decretum fieri non potest pro tempore.	—	20.
XXII.	—	Thomas, Card. Strigonien. Sigismundo, Regi. . Negotium ducis teschnensis prorogatum est. In negotio Card. Estensis omnia, quae poterit, faciet.	—	21.
XXIII.	—	Summa Legationis a Ludovico, Hungariae et Bohemiae Rege, quam Carolus, Dux Munsterburgensis, Slesita, egit apud Sigismundum, Regem Poloniae. . . .	—	—
XXIV.	Literae.	Sigismundus, R. Annae et Mariae, Reginulis Hungariae	—	—
			—	24.
		De mortuo caesare epistola consolatoria.		
XXV.	—	Sigismundus, R. Georgio, March. Brandeburg. . De mortuo caesare. Perseverare velit in custodia et cura circa regem Ludovicum.	—	25.
XXVI.	—	Franciscus, R. Galliarum, Sigismundo, Regi. . Joannes Langhiac et Antonius Lameth oratores commendantur.	—	—
XXVII.		Responsum a Sigismundo, Rege, datum Legatis Regis Galliarum, petentibus suffragium Regi suo in electione ad Caesareatum. . .	—	—
XXVIII.	Literae.	Sigismundus, R. Francisco, Regi. . . . De adventu oratorum et responso illis pro tempore dato. Tamen necesse est, paulisper eos retineat.	—	26.
XXIX.	—	Sigismundus, R. Consiliariis Regni Poloniae. Consilium dare velint, quomodo oratores regis Francisci absolvendi sint.	—	—
		Responsum eidem Oratoribus. . . .	—	27.
XXX.	Literae.	P. Tomicki, Eps. Isabellae, Duci Barensi. . Rex et regina valent.	—	28.
XXXI.		Oratio Joannis Dantisci, Oratoris Sigismundi, Regis, ad Carolum, Regem Hispaniarum. . .	G.	29.

XXXII.	Responsum a Carolo, Rege. . . .		Cod. G.	31.
XXXIII.	Verba Joannis Dantisci ad Carolum, Regem. .		—	—
XXXIV.	Literae.	Joannes Dantiscus Sigismundo, Regi. .	—	—
		De rebus in legatione transactis.		
XXXV.	—	Joannes Dantiscus Petro Tomicki, Epo. .	—	32.
		De iisdem rebus.		
XXXVI.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. . . .	G. R.	35.
		De novo eligendo imperatore.		
XXXVII.	—	Sigismundus, R. Consiliariis etc. Ungariae. .	—	36.
		De eodem negotio.		
XXXVIII.	—	Sigismundus, R. Consiliariis etc. Bohemiae. .	—	37.
		De eodem negotio.		
XXXIX.	—	Sigismundus, R. iisdem. . . .	—	38.
		De Ludovico rege.		
XL.	—	Sigismundus, R. Maximiliano de Bergkcz, Oratori Caroli, Regis Hispaniae. . .	—	39.
		De negotio electionis novi caesaris.		
XLI.	—	Matheus, Card. Gurcensis, Casimirus etc. etc., Mgco. Dno. Andreae de Burgo etc. .	—	40.
		De electione caesaris.		
XLII.	—	Sigismundus, R. Consiliariis Caroli, Regis. .	—	42.
		De eodem negotio.		
XLIII.	—	Leo X. Sigismundo, Regi. . .	G.	—
		De eodem negotio.		
XLIV.	—	Sigismundus, R. Stanislao, Epo. Olomuncensi.	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	43.
		De causa quadam inter ipsum episcopum et Miszkowski, cracoviensem.		
XLV.	—	Sigismundus, R. Eidem Episcopo. .	—	44.
		De eodem negotio.		
XVI.	—	Andreas Krzycki Petro Tomicki, Epo. .	G. R.	—
		De oratoribus gallicis		
XLVII.	—	Andreas Krzycki Petro Tomicki, Epo. .	—	—
		De iisdem oratoribus.		
XLVIII.	Responsum ultimum datum Oratoribus Regis Galliae, die S. Floriani.		—	45.
XLIX.	Literae.	Sigismundus, R. Francisco, Regi Galliae. .	—	46.
		De absolutis et redeuntibus oratoribus.		
L.	—	Sigismundus, R. Ludovico Regi. . .	—	47.
		De conductore praestando ipsis oratoribus.		
LI.	—	Sigismundus, R. Erasmo, Epo. Plocensi, Oratori	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	—
		De cardinalatu non appetendo.		
LII.	—	Sigismundus, R. Mathiae de Drzewica, Epo.	G. R.	—
		Ad conv. Francoford. vadat recta via per Posnan. etc.		

LIII.	Plenipotentia a Rege Poloniae data oratoribus ad electionem novi imperatoris. . .		Cod. G. R.	48.
LIV.	Literae.	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. . . **De suffragio dando.**	—	49.
LV.	Instructio summaria a Sigismundo, Rege Poloniae, data Mathiae Drzewicki, Epo., et R. Leszczyński, Oratoribus ad Conventum Francofordiensem ad electionem novi imperatoris. . .		—	—
LVI.	Literae.	Sigismundus, R. Matheo, Card. Gurcensi etc. **Oratores ad conventum electionis jam sunt missi.**	—	54.
LVII.	—	Sigismundus, R. Alberto, Card. Moguntino. . **Oratores commendantur.**	—	55.
LVIII.	—	Sigismundus, R. Oratoribus suis. . . **Quomodo erga Bohemos se gerere debeant.**	—	—
LIX.	—	Sigismundus, R. Carolo V. Regi. . . **De aureo vellere accipiendo. De negotio barensi. De oratoribus cum instructione jam missis.**	Ex cod. miss. bibl. Ossolin.	56.
LX.	—	Sigismundus, R. Oratoribus suis. . . **De Bohemis suffragium sibi vendicantibus. De obligatione suffragii praestandi pro Carolo, Hisp. rege. Cum dexteritate et cautela summopere cavendum erit, ne dubia adhuc re contrario voto eum nos offendere contingat, qui plurimorum electorum suffragiis futurus sit imperator etc.**	G. R.	57.
LXI.	—	P. Tomicki, Eps. Oratoribus Regis Galliarum. **De missis ad electionem oratoribus. De eventu electionis non sperato. — De rebus privatis.**	R.	60.
LXII.	—	Sigismundus, R. Carolo V. . . **Gratulatio. De negotio barensi.**	G. R.	61.
LXIII.	—	Petrus Tomicki, Langhiaco. . . **De eventu electionis insperato.**	—	—
LXIV.	—	Sigismundus, R. Ladislao de Sternberg. .	—	62.
LXV.	Vota electorum in eligendo caesare Carolo V. .		R.	63.
LXVI.	Literae.	Joannes Dantiscus Sigismundo, Regi. . **De actionibus suis in munere legationis.**	G.	68.
LXVII.	—	Sigismundus, R. Carolo V. . . **Gratias agit pro studio caesaris in componendis rebus inter ipsum Sigismundum et Moscorum ducem.**	R.	70.
LXVIII.	—	Sigismundus, R. Locumtentibus Caesaris etc. **De eodem negotio.**	—	71.
LXIX.	—	Sigismundus, R. Erasmo, Episcopo Plocensi, Oratori. . . . . **Roget Sanct. patrem: velit mittere, si vellet omnino,**	G. R.	—

		nuncium ex ordine seculari ad Moscum. — De confirmatione pacis et concordiae pruthenicae jam tandem conficienda etc.		
LXX.	Restes contra Tataros scriptae, sed non publicatae. .		Cod. G. R.	72.
LXXI.	Literae.	Sigismundus, R. Castellanis Terrarum. . De irruptione Tatarorum inopinata.	—	73.
LXXII.	—	Sigismundus, R. Consiliariis Regni. . De eodem negotio.	—	74.
LXXIII.	—	Sigismundus, R. Optimatibus Russiae. . De eodem negotio.	—	75.
XXIV.	—	Sigismundus, R. Palatinis, Castellanis etc. . Ad conventum veniant.	—	—
LXXV.	—	Sigismundus, R. Stanislao et Janussio, Ducibus Masoviae. . . . . De hoste jam regresso. De conventu etc.	—	76.
LXXVI.	—	Petrus Tomicki, Eps. Joanni Lubrański, Epo. De iisdem negotiis.	—	—
LXXVII.	—	Sigismundus, R. Lucae de Gorka, Castellano. De iisdem negotiis et diversis aliis.	—	77.
LXXVIII.	—	Sigismundus, R. Joanni Lubrański, Nicolao Lubrański, Lucae de Gorka etc. etc. . Que in conventu decreta fuerint. — De Moscovitis. — De magistro Prussiae.	—	—
LXXIX.	—	Sigismundus R. Janussio Swirczewski. . De dislocatione copiarum.	Ex cod. miss. bibl. Ossolin.	78.
LXXX.	—	Petrus Tomicki, Eps. Joanni Lubrański, Epo. De conventu Sandomiriae habito. Mosci in Lithuania.	G. R.	79.
LXXXI.		Restes contra Tataros publicatae in Terris Minoris Poloniae et Russiae, post conventum Sandomiriensem emissae. . . .	—	—
LXXXII.	Literae.	Sigismundus, R. Capitaneis Terrarum. . De publicandis restibus.	G.	80.
LXXXIII.	—	Joannes Dantiscus, Orator, P. Tomicki, Epo. De ratione vitae et negotiorum in curia hispanica.	R.	—
LXXXIV.	—	Sigismundus, R. Erasmo, Epo. Plocensi. . De difficultatibus, quae in regno fieri soleant, cum cardinalatus dignitate aliquis ornatus sit.	Ex cod. miss. bibl. Ossolin.	82.
LXXXV.		Pasquillus de quodam, qui Romae episcopus et cardinalis esse laborabat. . . .	Ex cod miss. bibl. Korn.	—
LXXXVI.		Literae regiae obligationis Custodiae piscium Cracovien. pro flor. 6000 in moneta Salomonibus facta. .	—	83.
LXXXVII.	—	Carolus V. R. Imperator Basilio, D. Moscorum. De negotianda pace.	G. R.	84.

LXXXVIII.		Summa legationis Hieronymi Balbi, praepositi Posoniensis, Oratoris Ludovici, Regis Hungariae. .	Cod. G. R.	85.
LXXXIX.		Responsum a Sigismundo, R. Poloniae, Hieronymo Balbo.	—	87.
XC.		Pacta et Ordinatio inter Poloniam et Valachiam de justitia utrinque facienda. . . .	—	90.
XCI.		Modus firmandae pacis per Jacobum Seczygniewski, oratorem ad Caesarem Turcarum missum. .	G.	93.
XCII.	Literae.	Petr. Tomicki, Eps. Georgio de Baisen. .	—	94.
		De rebus pruthenicis.		
XCIII.	—	P. Tomicki, Eps. Jo. de Lusianis, Epo. Culm.	—	—
		De magistro et iniquitatibus per ipsum patratis.		
XCIV.	—	P. Tomicki, Eps. Ebrehardo Ferber, Burgrabio Gedanensi.	—	—
		De monacho quodam a magistro captivato deque ejusdem confessionibus falsis.		
XCV.	—	Sigismundus, R. Carolo V. . .	Ex cod. miss. bibl. Ossolin.	95.
		Bretislaus Swichowski, Bohemus, commendatur.		
XCVI.	—	Sigismundus, R. Cardinali Gurcensi. .	—	—
		De eodem Bretislao.		
XCVII.	—	Sigismundus, R. Carolo V. . .	—	—
		Joannes Augustinianus fr. praedicatorius commendatur.		
XCVIII.	—	Sigismundus, R. Francisco, Regi Galliarum. .	—	96.
		De interceptis quibusdam navibus cum mercibus Gedanensium.		
XCIX.		Anni Domini Millesimi Quingentesimi Vigesimi memorabilia.	Ex cod. miss. bibl. Rogalinensis.	99.
C.		Legatio a Sigismundo, Rege, ad Albertum, Marchionem Brandeburgensem, Magistrum Ordinis Crucigerorum in Prussia. . . .	G. R.	101.
		Poselstwo do pana Biskupa Brabuczkiego. . .	—	104.
		Ad Cives Elbingenses.	—	105.
CI.	Literae.	Sigismundus, R. Consiliariis etc. Prussiae. .	—	—
		De rebus defensionem finium concernentibus.		
CII.	—	Sigismundus, R. Civibus Gedanensibus. .	—	108.
		Prudentia eorum de non receptis gentibus regis Danorum probatur.		
CIII.	—	Sigismundus, R. Lucae de Gorka, Castell. etc.	—	—
		De occludendo transitu omnibus, qui ad magistrum transire vellent. Lanczki Gedanum mittitur.		
CIV.	—	Sigismundus, R. Joanni Lubrański, Epo. .	—	—
		De conventu in Kolo.		
CV.		Edictum Restium adversus Germanos in Poloniam tendentes.	—	109.

CVI.	Literae.	Sigismundus, R. Capitaneis. . . .	Cod. G. R.	110.
		De publicandis literis restium.		
CVII.	—	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi. . .	G.	—
		De conatibus magistri. Ex Moravia etc. homines prohibebuntur, quominus ad magistrum transeant.		
CVIII.	—	Joannes Zamboczki, Aulicus Petro Tomicki. .	G. R.	111
		De negotiis in Prussia peractis.		
CIX.	—	Sigismundus, R. Consiliariis regni majoribus.	—	113.
		De conventu thorunensi.		
CX.		Legatio a Sigismundo, Rege, ad singulos conventus terrarum missa.	—	115.
CXI.	Literae.	Petrus Tomicki, Eps. Lucae de Gorka, Castell.	—	116.
		De consiliis quibusdam Archiepiscopi Joannis Laski locum conventus concernentibus.		
CXII.	—	P. Tomicki, Eps. Nicolao Radziwiłł, Palat. etc.	—	117.
		De componendis discordiis privatis. Mtas. regia provocata indignissimis conatibus magistri in Prussiam cum bellico apparatu proficiscitur.		
CXIII.	—	P. Tomicki, Eps. Erasmo Ciołek, Epo. Romae.	—	118.
		De rebus privatis potius quam publicis.		
CXVI.		Responsum a Sigismundo, Rege, datum Cons. Prussiae	—	119.
CXV.	Literae.	Ludovicus, R. Ungariae, Sigismundo, Regi. .	—	—
		De conventione ipsorum Posonii constituenda.		
		De oratore invicem ad caesarem in re matrimoniorum mittendis. De mittendo oratore ad conventum bohem.		
CXVI.	—	Petrus Tomicki, Eps. Bonae Sfortiae, Reginae.	G.	121.
		De statu rerum cum magistro.		
CXVII.		Zelazny list Nicolao Lanckoroński. . . .	G. R.	—
CXVIII.		Decreta conventus generalis thorunensis. .	G.	122.
CXIX.	Literae.	Petrus Tomicki, Eps. Joanni Konarski, Epo. .	G. R.	123.
		De rebus in conventu transactis.		
CXX.		Literae contributionum publicarum in conventu thor. decretarum.	—	—
CXXI.		Ordinatio exigendae contributionis in conventu thorun. laudatae.	—	126.
CXXII.		Rothmagistri ad bellum contra Albertum, magistrum Cruciferorum	—	129.
		Forma juramenti Notarii exercitus. . .	—	131.
		Juramentum homagiale eorum, qui a magistro ad regem accesserint.	—	—
		Forma juramenti Captivorum. . . .	—	132.
		Juramentum pixidariorum. . . .	—	—

CXXII.	Odpowiedz dworzanska.		Cod. G. R.	132.
	Odpowiedz Jezdnich.		—	133.
	Odpowiedz Drabska.		—	—
CXXIII.	Statutum Thoruniae de laboribus kmetonum et captivatione nobilium per cives in civitatibus et oppidis.		—	—
CXXIV.	Literae.	Sigismundus, R. Jobo, Epo. Pomezaniensi .	—	135.
CXXV.	—	Joannes de Lasko, Archieps. Gnesn., Joanni Konarski, Epo. Cracovien. . .	G.	—
		De contributione.		
CXXVI.	—	Petr. Tomicki, Eps., Georgio Krupski etc. .	—	136.
		De transactionibus in conventu thorunensi.		
CXXVII.	—	Restes ad Incolas Prussiae. . .	G. R.	137.
CXXVIII.	—	Sigismundus, R. J. de Lusianis, Pal. Culm. .	—	—
		De ratione defendendorum finium.		
CXXIX.	—	Sigismundus, R. Lucae de Gorka. .	—	138.
		De Germanis, qui dicuntur comparare auxilia magistro et ordini.		
CXXX.	Privilegium Civibus oppidi Dambrowno datum, quia a Magistro ad Regem se dediderunt. .		—	—
CXXXI.	Privilegium universo districtui Dambrowno et immunitas a Sigismundo, Rege concessa. . .		—	140.
CXXXII.	Literae.	P. Tomicki, Eps., Bonae Sfortiae. . .	G.	141.
		Bellum est decretum contra magistrum.		
CXXXIII.	—	P. Tomicki, Eps. Lucae de Gorka. . .	—	—
		De intercepta per magistrum civitate Braunsberg et variis rebus gestis in exordio belli.		
CXXXIV.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Bonero. . .	Ex cod. miss. bibl. Ossolin.	142.
		De iisdem negotiis.		
CXXXV.	—	Sigismundus, R. Elbingensibus. . .	G. R.	—
		De omnibus scitu dignis rebus ipsum certiorem et deinceps facere velint.		
CXXXVI.	—	P. Tomicki, Eps. Lucae de Gorka. . .	G.	143.
		De rebus bellum concernentibus.		
CXXXVII.	—	P. Tomicki, Eps. Stanislao Koscielecki. .	—	—
		Diversa mandata regia.		
CXXXVIII.	—	P. Tomicki, Eps. Jacobo Rosnowski. .	G. R.	144.
CXXXIX.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Boner. . .	—	—
		De bello prussiaco.		
CXL.	—	Sigismundus, R. Jo. Konarski, Epo. Cracov.	—	145.
		De XX milibus contributionis cleri mutuo dandis.		
CXLI.	—	Sigismundus, R. Capitulo Cracoviensi. .	—	—
		Credentia pro Jacobo Staszkowski.		

CXLII.	Literae.	Sigismundus, R. Leoni X. . .	Cod G.	146.
		De causis belli.		
CXLIII.	—	Sigismundus, R. Cardinali Sanct. Quatuor. .	—	—
		De eodem negotio.		
CXLIV.	—	Sigismundus, R. Erasmo, Epo. Plocensi, Oratori Romae.	G. R.	148.
		De necessitate belli.		
CXLV.	—	Erasmus Ciołek, Eps. Orator, Sigism., Regi. .	—	149.
		Quae Romae in negotio belli fecerit etc.		
CXLVI.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi Hungariae. .	—	155.
		De prohibitione edenda, ne copiae in auxilium magistri ex Moravia vel aliis regni ejusdem partibus conducerentur.		
CXLVII.	—	Sigismundus, R. Proconsulibus et Consulibus Gedanensibus.	—	156.
		Diversa bellum concernentia negotia.		
CXLVIII.	—	Sigismundus, R. Bonae Sfortiae. . .	—	—
		De rebus bene gestis bellicis.		
CXLIX.	—	Sigismundus, R. Joanni Bonero. . .	—	157.
		De tormentis mittendis. — De conducendis in Bohemia mercenariis etc.		
CL.	—	P. Tomicki, Eps. Michaeli Spiss, Cons. Crac.	G.	—
		De rebus privatis et publicis quibusdam.		
CLI.	—	A. Krzycki, Pptus. Posnan. Petro Tomicki. .	G. R.	158.
CLII.	—	Idem Eidem.	—	—
		De aegritudine ejusdem condoletur. De mutuanda per capitulum pecunia regiae Majestati. Quomodo primos Posnaniae dies peregerit.		
CLIII.	—	Idem Eidem. . . .	—	159.
		De aegritudine.		
CLIV.	—	Idem Eidem.	—	—
CLV.	—	Idem Eidem.	—	—
		De privatis negotiis.		
CLVI.	—	Idem Eidem.	—	160.
CLVII.	Pasquillus.	Cricius fecit. . . .	Ex cod. mss. bibl. Korn.	—
		Epigramma in Joannem Laski, archiepiscopum. .	—	161.
CLVIII.	Literae.	Sigismundus, R. Joanni Bonero. . .	G. R.	162.
		De bombardis mittendis etc.		
CLIX.		Edictum de non importandis rebus ad Cruciferos. De moneta mala. De cavendis incendiariis a magistro subornatis etc. . . .	—	—
CLX.	Literae.	Sigismundus, R. Michaeli Bragwagen. .	G.	163.

		Laudat eum propter diligentiam et providentiam hortaturque eum, talem se et in futurum praebere velle.		
CLXI.	Literae.	Petrus Tomicki, Eps. Joanni Konarski, Epo. De archiepiscopo. De successibus belli.	Cod. G.	164.
CLXII.	—	P. Tomicki, Eps. Lucae de Gorka. De rebus gestis quoad bellum.	—	—
CLXIII.	—	Sigismundus, R. Joanni Bonero . . De tormentis vastatoriis. De pulvere incendiario etc.	G. R.	165.
CLXIV.	—	A Cricius Petro Tomicio. . .	—	166.
CLXV.	—	Sigismundus, R. Joanni Bonero. . . De tormentis. Oratores papae honorifice excipere velit etc. De moneta.	—	—
CLXVI.	De aestimatione monetae.	. . .	Ex cod. mss. bibl. Ossolin	167.
CLXVII.	Literae.	Petr. Tomicki, Eps. Joanni Konarski, Epo. . De rebus gestis bellum concernentibus.	G.	170.
CLXVIII.	—	Leo X. Sigismundo, Regi. . . De componenda pace ac concordia.	—	—
CLXIX.	—	Leo X. Alberto, Magistro. . . De eodem negotio.	G. R.	172.
CLXX.	—	Ludovicus, R. Ungariae, Sigismundo, Regi. . Omnia juxta voluntatem manifestatam novissimis literis in auxilium regis mandata emissa esse.	—	173.
CLXXI.	—	Petr. Tomicki, Eps. Andreae Cricio. . De rebus bellum concernentibus.	—	174.
CLXXII.	—	P. Tomicki, Eps. Eberhardo Ferber, Gedanensi. De negotiis iisdem.	G.	—
CLXXIII.	—	P. Tomicki, Eps. Jo. Konarski, Epo. . De mutuatis pecuniis contributionis. De negotiis belli. Oratores summi pontificis advenerunt. Adsunt quoque oratores vojevodae Valachorum et imperat. Tatarorum.	—	175.
CLXXIV.	—	P. Tomicki, Eps. Andreae Cricio. . . Nuncii papae jam auditi sunt. Quam celerrime redeat. De statu belli.	—	—
CLXXV.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Bonero. . . De rebus bellicis et privatis.	—	176.
CLXXVI.	—	P. Tomicki, Eps. Lucae de Gorka. . . De rebus gestis.	—	177.
CLXXVII.	—	P. Tomicki, Eps. Fabiano, Epo. Varmiensi. . Quae in calamitate, causa belli perpessa, facienda et speranda deceat. De statu rerum.	—	—
CLXXVIII.	—	P. Tomicki, Joanni Bonero. . . De negotiis bellum spectantibus.	G. R.	178.
CLXXIX.	—	Sigismundus, R. Bonae Sfortiae. . . De variis negotiis.	—	—

CLXXX.	Literae.	Sigismundus, R. Erasmo Ciołek, Epo. Oratori. De statu belli. Quae Romae agenda praecipue sint.	Cod. G. R.	179.
CLXXXI.	—	P. Tomicki, Eps. Nicolao Radziwiłł. De concordia facienda inter ipsum etc. De causis belli et ejus successibus.	—	180.
CLXXXII.	—	Sigismundus, R. Bonae Sfortiae. De bello.	—	181.
CLXXXIII.	—	Sigismundus, R. Joanni Bonero. Oppidum Quidzin uno die captum est.	—	—
CLXXXIV.	—	Petr. Tomicki, Eps. Jobo Epo. Pomesaniensi.	—	182.
CLXXXV.	—	Sigismundus, R. Epo. Pomesaniensi. De damnis ecclesiae ipsius illatis.	—	—
CLXXXVI.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Bonero. De oratoribus quorumdam principum, de componenda pace tractaturis, annunciatis. De exercitu regio et belli successibus.	G.	183.
CLXXXVII.	—	Sigismundus, R. Lucae de Gorka. De rumoribus, quoad copias auxiliares dno. magistro ex Marchia venturas, non contemnendis.	—	—
CLXXXVIII.	—	Petrus Tomicki, Eps. Lucae de Gorka. De variis rumoribus et negotiis.	—	184.
CLXXXIX.	—	P. Tomicki, Eps. Stanislao Janowicz. Falsis rumoribus non esse credendum. De successibus belli.	—	—
CXC.	—	Petr. Tomicki Eps., Georgio Targowski. Literae creditivae mittuntur unacum exemplo literarum, quibus se dnus. eps. Pomesaniensis obligare debet ad servandos articulos in illis contentos.	—	185.
CXCI.	—	Sigismundus, R. Joanni Bonero. CD milites in Melsak in praesidio positi fuerunt, quorum parte majore absente reliqui caesi captique fuere.	G. R.	—
CXCII.	—	Leo X. Zachariae, Epo. Gardiensi etc. Nuncio. De canonisatione S. Casimiri.	—	187.
CXCIII.	—	Leo X. Joanni de Thedaldis. Nuncio. De induciis faciendis inter regem Poloniae et ducem Moscorum.	—	—
		Legatio a Leone X. ad Sigismundum, Regem, data Zachariae, Epo. Gardiensi, legato apostolico.	—	188.
		Oratio istius nuncii apostolici dicta de bello inter regem et Prussiae magistrum componendo.	—	191.
		Responsum a Sigismundo, R. datum Zachariae etc.	—	—
CXCIV.	Literae.	Achilles de Grassis Petro Tomicio.	—	197.
CXCV.		Legatio a Sigismundo, Rege Pol., ad Carolum V. Data Hieronimo Laski.	—	199.

CXCVI.	Literae.	Sigismundus, R. Carolo V. . .	Cod. G.	203.
		De legatione Hieronymi Laski.		
CXCVII.	—	Sigismundus, R. Dominae Margarethae. .	—	—
CXCVIII.	—	Sigismundus, R. Georgio, Duci Saxoniae. .	—	—
		De eodem Hieronymo.		
CXCIX.	Legatio	a Sigismundo, Rege Poloniae, ad Franciscum, R. Galliae.	G. R.	204.
		Data Hieronymo Laski.		
CC.	Literae.	P. Tomicki, Eps. Lucae de Gorka. . .	G.	207.
		Oratores prineipum Germaniae advenerunt. Quae cum iis peracta sint.		
CCI.	—	P. Tomicki, Eps. Lucae de Gorka. . .	—	208.
		De iisdem oratoribus.		
CCII.	—	Sigismundus, R. Jobo, Epo. Pomesaniensi. .	G. R.	—
CCIII.	Responsum	ab Epo. Varmiensi et ejus Capitulo, datum Nuncio Sigismundi, Regis. . .	—	209.
CCIV.	Literae.	Ludovicus, Rex Hungariae, Sigismundo, Regi.	—	211.
		De rebus suis Bohemicis.		
CCV.	Donatio	villae Paczoltowo in Prussia Jacobo Mielenski.	—	213.
CCVI.	Literae.	P. Tomicki, Eps. Stanislao Lanckoroński. .	—	214.
		De statu belli.		
CCVII.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Boner. . .	G.	215.
		De oratoribus principum.		
CCVIII.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Konarski, Epo. .	—	—
		De iisdem oratoribus.		
CCIX.	—	P. Tomicki, Bonae Sfortiae. . .	G. R.	216.
		De oppugnatione castri Holland.		
CCX.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Conarski, Epo. .	G.	—
		De felici conflictu Masoviensium. Holland oppugnatur.		
CCXI.	—	P. Tomicki, Eps. Lucae de Gorka. .	—	217.
		De absoluto negotio dominorum de Czarnkow. — De statu belli.		
CCXII.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Boner. . .	—	—
		Arx et civitas Holland intercepta est.		
CCXIII.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Conarski. . .	—	—
		De eadem expugnatione.		
CCXIV.	—	Sigismundus, R. Bonae, Reginae. . .	G. R.	218.
CCXV.	—	Petr. Tomicki, Eps. Bone Reginae. .	G.	—
CCXVI.	—	Petr. Tomicki, Eps. Joanni Conarski, Epo. .	—	—
CCXVII.	—	Sigismundus, R. Joanni Bonero. . .	G. R.	—
		De statu tractatuum cum magistro.		
CCXVIII.	Tractatus	de componenda pace aut induciis belli. .	G.	219.
			CCXIX.	Literae.

CCXIX.	Literae.	Sigismundus, R. Alberto, Magistro. .	Cod. G. R.	228.
		De captivis.		
CCXX.	—	Sigismundus, R. Militibus Magistri. .	—	229.
CCXXI.	—	Sigismundus, R. Alberto, Magistro. .	—	—
CCXXII.	—	Sigismundus, R. Nicolao Firley etc. .	—	230.
		De literis invicem scriptis cum magistro.		
CCXXIII.	—	Andr. Cricius, Pptus. P. Tomicki Epo. .	—	—
		De oratoribus.		
CCXXIV.	—	Idem Eidem.	—	—
		Responsum magistri ad conditiones propositas.		
CCXXV.	—	Idem Eidem.	—	231.
		De eodem negotio.		
CCXXVI.	—	Petrus Tomicki, Eps. Bonae Reginae. .	G.	—
		De propositionibus oratorum non accipiendis.		
CCXXVII.	—	P. Tomicki, Eps. Constantino, Duci in Ostrog.	—	232.
		De tractatibus pacis. De mala fide magistri. De successibus belli.		
CCXXVIII.	—	P. Tomicki, Eps. Andr. de Tęczyn., Pal. Lubl.	—	—
		De iisdem negotiis.		
CCXXIX.	—	P. Tomicki, Eps. Alb. Gastoldo, Pal. Trocen. .	—	—
		De discordia cum palat. vilnen. componenda. De felici decursu bella.		
CCXXX.	—	Sigismundus, R. Ludovico, R. . .	G. R.	234.
		De rebus bohemicis componendis.		
CCXXXI.	—	Sigismundus, R. Dominis regni Bohemiae. .	—	235.
CCXXXII.	—	Sigismundus, R. Statibus et ordinibus r. Boh.	—	236.
CCXXXIII.	—	Sigismundus, R. Andrae de Tęczyn. .	—	237.
		Orator ad Ludovicum regem Posonium ac, si opus fuerit, in Bohemiam quoque proficiscatur		
CCXXXIV.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. . .	—	238.
		De oratore Andr. de Tęczyn.		
CCXXXV.	—	Sigismundus, R. Andr. de Tęczyn. .	—	—
CCXXXVI.	—	Sigismundus, R. Dominis regni Bohemiae. .	—	—
CCXXXVII.	Mandatum ad Conventum regni Bohemiae. . .		—	239.
CCXXXVIII.	Literae.	A. Cricius Petro Tomicki, Epo. . .	—	—
CCXXXIX.	—	Sigismundus, Rex, Leoni X. . .	—	240.
		De Jo. Lubr. defuncto et P. Tom. electo epo. Ponsnan. De Zacharia oratore.		
CCLX.	—	Petrus Tomicki, Eps. Joanni Bonero. .	—	—
		De successu belli. De Jo. Lubr. defuncto et sibi ipsi oblato episcopatu posnaniensi — de expediendo hoc negotio Romam.		

CCXLI.	Literae.	Sigismundus, R. Castellano Posnaniensi.	Cod. G.	241.
		De successu belli.		
CCXLII.	—	Andr. Krzicki, Pptus. Petro Tomicki, Epo.	G. R.	242.
		De rebus Posnaniae gestis in causa defuncti episcopi.		
CCXLIII.	—	Cricius Tomicio, Epo.	G.	—
CCXLIV.	—	Petr. Tomicki, Eps. Laurentio Miedzilewski.	–	243.
		Nihil conclusum est in negotio pacis. De episcopatu posnaniensi sibi oblato.		
CCXLV.	—	P. Tomicki, Eps. Stanislao de Koscielec.	—	—
		De mala fide magistri.		
CCXLVI.	—	Sigismundus, R. Bonae, Reginae.	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	244.
		De obitu filiolae.		
CCXLVII.	—	P. Tomicki, Eps. Lucae de Gorka.	G.	—
		Mtas. regia causa obitus filiolae gravi dolore affecta est. — Nobilitas et civitates magistro subjectae pacis causa nuncios mittere vellent, si salvum conductum habere possent. —		
CCXLVIII.	—	A. Cricius Petro Tomicio, Epo.	—	—
		De rebus episcopatum concernentibus.		
CCXLIX.	—	Sigismundus R. Alberto, Magistro.	G. R.	245.
		De salvo conducto concesso.		
CCL.	—	Petr. Tomicki, Eps. Stanislao, Duci Masoviae.	G.	—
		De nunciis ex Prussia etc.		
CCLI.	—	Petr. Tomicki, Eps. Lucae de Gorka.	—	246.
		De rebus episcopatus. De eventu belli.		
CCLII.	—	Petr. Tomicki, Eps. Joanni Baliński.	—	—
		De nunciis Pruthenorum.		
CCLIII.	—	Sigismundus, R. Bonae, Reginae.	G. R.	247.
		De magistro, qui acceptis propositionibus ad regem venire decrevit.		
CCLIV.	—	Sigismundus, R. Duci Pomeraniae.	—	—
		De adventu ejus ad regem nihil certi pro tempore scribere potest.		
CCLV.	—	Petr. Tomicki, Eps. Georgio, Epo. Quinqueeccl.	—	248.
		De statu rerum presenti.		
CCLVI.	—	Sigismundus, R. Leoni X.	—	—
		De justa causa belli.		
CCLII.	—	Sigismundus, R. Cardinalibus.	—	250.
		De eodem bello.		
CCLVIII.	—	Sigismundus, R. Erasmo, Epo. Orat. Romae.	—	251.
		De tractatibus pacis cum magistro. De variis negotiis.		
CCLIX.	—	Petr. Tomicki, Eps. Bonae, Reginae.	G.	253.
		Magister postulavit suspensionem belli XIV. dierum.		

CCLX.	Literae.	Petr. Tomicki, Eps. Joanni Bonero. .	Cod. G.	254.
		De tractatibus.		
CCLXI.	—	P. Tomicki, Eps. Stanislao de Chodecz.	—	—
		De metuendis Tataris. De statu rerum cum cruciferis etc.		
CCLXII.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Zaremba. .	—	255.
		De induciis XIV dierum concessis.		
CCLXIII.	—	P. Tomicki, Eps. Joanni Boner. .	—	256.
		De iisdem negotiis etc.		
CCLXIV.	—	P. Tomicki, Eps. Andreae Krzycki. .	—	257.
		De diversis rebus tum privatis cum episcopatum concernentibus.		
CCLXV.	—	Sigismundus, R. Bonae, Reginae. .	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	258.
		De capitaneatu Ravensi. De magistro. De concessis induciis.		
CCLXVI.	—	P. Tomicki, Eps. Nicolao Firley. .	G.	—
CCLXVII.	—	P. Tomicki, Eps. Castellano Vojnicensi. .	—	259.
		De induciis et salvo conductu magistro concessis.		
CCLXIVII.	—	P. Tomicki, Eps. Nicolao Firley. .	—	260.
		De iisdem negotiis		
CCLXIX.	—	Sigismundus, R. Nic. Firley etc. .	G. R.	—
		De iisdem negotiis.		
CCLXX.	Suspensio belli prussiaci decem dierum.		. —	261.
CCLXXI.	Literae.	P. Tomicki, Eps. Nic. Firley etc. .	—	262.
CCLXXII.	Electio ac invitatio a canonicis Posnaniensibus Petri Tomicki, Epi., tum Premisliensis ad episcopatum Posnaniensem. . .		G.	—
CCLXXIII.	Cedula Cricii ad Tomicium, Epum. intra inducias magistro datas. . . .		G. R.	264.
CCLXXIV.	Literae.	Sigismundus, R. Nicolao Firley. .	—	—
		De prorogatione salvi conductus et induciarum.		
CCLXXV.	—	P. Tomicki, Eps. Nicolao Firley. .	—	265.
		De magistro.		
CCLXXVI.	—	Sigismundus, R. Nicolao Firley. .	—	—
		De mala fide magistri metuenda.		
CCLXXVII.	Dolus Magistri.		—	266.
CCXXVIII.	Literae.	P. Tomicki, Eps. Hedwigi, Duci Theschnensi.	G.	—
		De dolo magistri.		
CCXXIX.	—	P. Tomicki, Eps. Ludovico Aliphio. .	—	267.
		De negotio quodam Cricii. De magistro.		
CCLXXX.	—	P. Tomicki, Eps. Bonae, Reginae. .	—	—
		Dnus. magister illusit Mti. regiae.		

CCLXXXI.		Literae ad Optimates Russiae pro Conventu Leopoli celebrando contra Tataros.	Cod. G. R.	267.
CCLXXXII.		Ordinatio contra Tataros in Conv. Leopoli facta.	—	270.
CCLXXXIII.	Literae.	Sigismundus, R. Capit. Terrarum Russ.	—	371.
CCLXXXIV.	Literae	restium ad Terras Russiae contra Tataros.	—	272.
CCLXXXV.	—	Sigismundus, R. Stanislao Lanckoroński. De vitandis differentiis et conservanda bona consuetudine cum vojevoda moldaviensi etc.	—	273.
CCLXXXVI.	—	Sigismundus, R. Proceribus Bohemiae.	—	—
CCLXXXVII.	—	Carolus V. Sigismundo, Regi. De bello prussiaco componendo oratores missurus est.	G.	274.
CCLXXXVIII.	—	Carolus V. Alberto Magistro. De eodem negotio.	—	275.
CCLXXXIX.	—	Sigismundus, R. Bonae, Reginae	G. R.	276.
CCXC.	—	Sigismundus, R. Jobo, Epo.	—	—
CCXCI.	—	Sigismundus, R. Lucae de Gorka. De interceptis literis ex Germania ad magistrum scriptis. De pertinacia magistri etc.	—	—
CCXCII.	Literae	primarum Restium ad terram Plocensem missae.	—	277.
CCXCIII.	—	P. Tomicki, Eps. Andreae Tęczyński. De mala fide magistri.	G.	278.
CCXCIV.	—	P. Tomicki, Eps. Nicolao Bedlenski etc.	—	279.
CCCXV.	—	Petr. Tomicki, Eps. Laurentio, Sct. Quatuor Cardinali.	—	—
CCXCVI.	—	Sigismundus, R. Bonae Reginae. Martinus Wolski mittitur, ut locum puerperii secundum voluntatem etc. adornaret.	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	280.
CCXCVII.	—	Leo X. Sigismundo, Regi. De componenda pace.	G. R.	—
CCXCVIII.		Responsum a Rege datum oratoribus Leonis X.	—	282.
CCXCIX.	Literae.	Sigismundus, R. Erasmo Ciołek, Epo. De episcopatu przemysliensi R. Leszczyński concesso. De profligatis in finibus Tataris. De quibusdam facultatibus pro legato apostolico requirendis. —	—	—
CCC.	—	Sigismundus, R. Erasmo, Epo. De diversis negotiis.	G.	283.
CCCI.		Prohibitio severa Sigismundi, Regis, ne in ejus regnum et dominia inferantur nec fiant in usu opera Martini Lutheri.	Ex cod. mss. bibl. Korn.	284.

CCCII.		Cathalogus captivorum latronum in Holland sponsione fidei obstrictorum. . .	Cod. G. R.	284.
CCCIII.	Literae.	Petrus Tomicki, Eps. Nicolao Firley. .	—	286.
		De rebus bellum concernentibus.		
CCCIV.	—	Sigismundus, R. Capitaneis exercitus sui.	—	287.
CCCV.	—	Petr. Tomicki Eps. Nicolao Bedlenski. .	—	—
		De diversis negotiis.		
CCCVI.	—	Sigismundus, R. Christierno, Daniae R.	G. R.	289.
		De auxiliis magistro transmissis. Declarare velit utrum amicitiam servandam putet necne.		
CCCVII.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. .	—	—
CCCVIII.	—	Sigismundus, R. Carolo V. . .	G.	290.
		De bello prussiaco.		
CCCIX.	—	Sigismundus, R. Nicolao Firley. .	G. R.	293.
		De rebus exercitum tangentibus.		
CCCX.		Responsum a Sigismundo, Rege, Nunciis Capituli Varmiensis . . .	—	—
CCCXI.	Literae.	Sigismundus, R. Bonae Sfortiae. .	—	294.
		De filio sibi nato.		
CCCXII.	—	Sigismundus, R. Episcopis. . .	—	—
CCCXIII.	—	Sigismundus, R. Dominis in Ungaria. .	—	—
CCCXIV.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. .	—	295.
CCCXV.	—	Sigismundus, R. Carolo V. . .	—	—
CCCXVI.	—	Sigismundus, R. Isabellae, Duci Barensi.	—	296.
		De eodem negotio.		
CCCXVII.	—	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi. .	—	—
		De negotio matrimonii Annae sororis etc.		
CCCXVIII.		Instructio a Ludovico, R., data oratoribus ad Germaniam ad contractus nupt. faciendos. .	—	297.
CCCXIX.	Literae.	Georgius, Eps. Quinqueeccl. Sigism. Regi	—	301.
CCCXX.	—	Sigismundus, R. Hieronymo Laski, Orat.	—	802.
		Diligentius de rebus actis scribere velit.		
CCCXXI.	—	Sigismundus, R. Oratoribus, Regis .	—	—
CCCXXII.	—	Sigismundus, R. Carolo V. . .	—	303.
		Commendatio oratoris.		
CCCXXIII.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. .	—	—
		De negotio matrimonii Annae.		
CCCXXIV.	—	Sigismundus, R. Andreae Tęczyński. .	G.	304.
		De rebus legationem ejus concernentibus.		
CCCXXV.	—	Sigismundus, R. Carolo V. . .	G. R.	305.
		De discrimine, in quo regnum Hung. versatur.		
CCCXXVI.	—	Ludovicus, R. Leoni, Bohemo. .	—	—
		De rebus bohemicis.		

CCCXXVII.	Literae.	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi.	—	307.
		De iisdem rebus.		
CCCXXVIII.	—	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi.	—	308.
		De matrimonio Annae.		
CCCXXIX.	—	Andreas Krzycki, Pptus. Chrisost. Neapol.	G.	—
CCCXXX.	—	Sigismundus, R. Lucae de Gorka.	G. R.	310.
		De copiis germanicis magistro paratis.		
CCCXXXI.	—	Sigismundus, R. Friderico, D. Legnicensi.	—	—
		Provisionem faciat, ut homines sint parati ad resistendum et prohibendum iter gentibus ad magistrum ex Germania transire volentibus.		
CCCXXXII.	—	Sigismundus, R. Georgio, Marchioni.	—	—
		De iisdem gentibus.		
CCCXXXIII.	—	Sigismundus, R. Lucae de Gorka.	—	311.
		De iisdem gentibus.		
CCCXXXIV.	Restes tertiae ad Terras Prussiae.		—	—
CCCXXXV.	Literae.	Sigismundus, R. Palatinis Prussiae.	—	312.
CCCXXXVI.	—	Sigismundus, R. Stanislao Koscielecki.	—	313.
		De restibus emissis.		
CCCXXXVII.	—	Sigismundus, R. Leoni X.	—	—
		De bello prussiaco etc. Filius natus est.		
CCCXXXVIII.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi.	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	315.
		De matrimonio Annae reginulae. — De rebus bohemicis.		
CCCXXXIX.	—	Sigismundus, R. Nicolao Firley etc.	G. R.	316.
		De rebus bellum et exercitum concernentibus.		
CCCXL.	Restes contra exercitum ex Germania ad magistrum in Prussiam tendentem.		—	317.
CCCXLI.	Literae.	Sigismundus, R. ad Capitaneos.	—	—
		Restes publicent.		
CCCXLII.	Literae.	Petri Kmitae etc.	—	318.
		Infames pronunciati, qui in bello capti juramento militari obstricti se apud victorem non statuerunt.		
CCCXLIII.	—	Sigismundus, R. Erasmo, Epo. Oratori.	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	321.
		De magistro et bello. De literis quibusdam, quas monachi Cistercienses impetrati sunt a sede apostolica etc.		
CCCXLIV.	—	Sigismundus, R. Joanni Boner.	—	322.
		De gentibus germanicis. De mittendo Jodoco ad ducem Barii.		
CCCXLV.	Restes ultimae contra copias Germanicas.		G. R.	323.
CCCXLVI.	Literae restium ad terram Plocensem.		—	—
CCCXLVII.	Literae.	Sigismundus, R. Gedanensibus.	—	324.
		De gentibus germanicis.		

CCCXLVIII.	Literae.	Sigismundus, R. Cardinalibus primorib. De periculis, quae regno impendeant.	Cod. G. R.	324.
CCCXLIX.	—	Sigismundus, R. Duci Carolo. De Joachimo marchione.	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	325.
CCCL.	—	Petr. Tomicki, Eps. Jo. Laski, Archiepo.	R.	326.
CCCLI.	Responsum a Fabiano, Epo. Varmien., datum Oratori Sigismundi, Regis.		G. R.	—
CCCLII.	Literae.	Sigismundus R. Ludovico, Regi. De episcopatu wratislaviensi.		328.
CCCLIII.	—	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi. De variis negotiis'	G. R.	329.
CCCLIV.	Legatio a Sigismundo, Rege, ad Ludovicum Regem.		—	330.
CCCLV.	Literae.	Sigismundus, R. Vratislaviensibus. Temperare sibi velint in inceptis perversis.		332.
CCCLVI.	—	Sigismundus, R. Epo. Plocensi. Curet, ne expeditio episcopatus przemysliensis amplius differatur et talibus deinceps obsistat, quae nec solita sunt fieri nec esse possent absque motu et detrimento.	—	—
CCCLVII.	Annus Domini MDXXI.		G.	337.
CCCLVIII.	Decreta conventus Bidgostiensis.		G. R.	339.
CCCLIX.	Literae.	Sigismundus, R. Duci Pomeraniae.	—	343.
CCCLX.	De bello Prussiaco. Amicus amico.		—	344.
CCCLXI.	In exercitum Germanicum Polonos fugientem.		—	345.
CCCLXII.	Literae.	Sigismundus, R. Bonae, Reginae. Germani ex finibus fugati sunt.	—	347.
CCCLXIII.	—	Sigismundus, R. Ducibus Masoviae. De violentia quadam illata per quendam Zabicki Gregorio Skora de Gay.	—	—
CCCLXIV.	—	Sigismundus, R. Joanni Boner. Sermones contra eum habiti nullius sunt momenti.	—	—
CCCLXV.	—	Sigismundus, R. Stephano Batori. Commendatio Casparis Gorasdowski.	—	348.
CCCLXVI.	—	Andreas Krzycki, Pptus. Petro Tomicki, Episcopo. Majestas regia languet a febre. Ecclesiastici cracovienses festinant in edenda contributione synodali, ut a nova se eximant.	G. R.	—
CCCLXVII.	—	Leo X. Carolo V. De bello prussiaco extinguendo.	—	—
CCCLXVIII.	—	Leo X. Alberto, Magistro. De eodem bello extinguendo.	—	350.
CCCLXIX.	—	Leo X. Zachariae, Epo. Gardiensi.	—	352.

CCCLXX.	Literae.	Andr. Krzycki, Pptus. P. Tomicki, Epo.	Cod. G. R.	352.
		De recuperanda valetudine.		
CCCLXXI.	—	Andreas Krzycki Petro Tomicio, Epo. .	—	353.
		De eadem re.		
CCCLXXII.	—	Andr. Krzycki Petro Tomicio, Epo .	—	354.
		De variis negotiis tam publicis quam privatis.		
CCCXXIII.	—	Andreas Krzycki Petro Tomicio, Epo. .	G.	355.
		Animum erigat et valetudinem recuperet.		
CCCLXXIV.	—	Joannes Zamboczki, Petro Tomicio, Epo. .	G. R.	357.
		Vota pro valetudine Petri Tomicii. Jam profecturus est Thorunium.		
CCCLXXV.	—	Sigismundus, R. Leoni X. . .	G.	—
		De accepta gratulatoria epistola. Commendatio nuncii. —		
CCCLXXVI.	—	Andreas Krzycki Petro Tomicio, Epo. .	G. R.	258.
		De variis negotiis.		
CCCLXXVII.	—	Idem Eidem. . . .	G.	359.
		Meliori consilio curationem instituat.		
CCCLLXXIII.	—	Idem Eidem. . . .	G. R.	360.
		Nova civitas per magistrum intercepta est.		
CCCLXXIX.	—	Sigismundus, R. Episcopo Cujaviensi. .	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	—
		De emporio thorunensi.		
CCCLXXX.	—	Andr. Krzycki, Pptus. P. Tomicio, Epo.	G. R.	361.
		Omnes optant et praecipue regia Mtas., ut quam celerrime veniat. Oratores caesaris jam auditi sunt. Quae retulerint etc.		
CCCLXXXI.	—	Idem Eidem. . . .	—	—
		Oratores caesarei proposuerunt conditiones et remedia, quae ad tollendum bellum opportuna videntur. Mtas. regia vult de his deliberare. — De archiepiscopo. — Magister insuperbit. — Domini spirituales mutarunt decretum conventus bidgost.		
CCCLXXXII.	—	Joannes Zambocki Petro Tomicio, Epo. .	—	363.
CCCLXXXIII.	—	Andr. Krzycki Petro Tomicio, Epo. .	—	—
		Oratores nolunt recedere nisi extincto bello.		
CCCLXXXIV.	—	Idem Eidem. . . .	G.	365.
		De Martino quodam, qui per scripta Cricii offensum se profitetur.		
CCCLXXXV.	—	Idem Eidem. . . .	—	366.
		Staszkowski Cracovia advenit. — De bello prussiaco. Archieps. contributionem solvit juxta decretum conventus bidgostiensis.		
CCCLXXXVI.	—	Idem Eidem. . . .	—	367.
		De doctore Albino. De aegritudine. De Magistro.		

CCCLXXXVII.	Literae.	Idem Eidem. . . .	Cod. G. R.	367.
		De eodem Albino. De practica archiepiscopi cum Drevicio.		
CCCLXXXVIII.	—	Idem Eidem. . . .	—	368.
		Literas per Golaneczki etc. etc.		
CCCLXXXIX.	—	Idem Eidem. . . .	—	369.
CCCXC.	—	Idem Eidem. . . .	—	—
CCCXCI.	—	Idem Eidem. . . .	—	370.
CCCXCII.	—	Idem Eidem. . . .	—	—
		De induciis conclusum est.		
CCCXCIII.	Responsum a Sigismundo, Rege, Nunciis Joannis a Lusianis. . . .		G.	371.
CCCXCIV.	Responsum a Sigismundo, Rege, Nunciis Episcopi Varmiensis. . . .		G. R.	382.
CCCXCV.	Responsum a Rege Epo. Varmiensi. . .		—	—
CCCXCVI.	Legatio a Rege ad Epum. Varmiensem . .		—	373.
CCCXCVII.	Induciae quadriennales belli prussiaci. . .		—	374.
CCCXCVIII.	Zachariae, Epi. Gardiensis etc. gratiarum actio. .		G.	276.
CCCXCIX.	Literae.	Sigismundus, Rex, Consiliariis Prussiae.	G. R.	378.
		Meltitz adfuit nomine regentium expositurus injurias inflictas etc.		
CD.	—	Andreas Krzycki Petro Tomicio, Epo. .	G.	—
		Joan. Laski archiepus. veniet eum visendi causa.		
CDI.	—	Idem Eidem. . . .	G. R.	379.
CDII.	—	Idem Eidem. . . .	—	—
		In tumulum Joannis Lubrański, Epi. Posnanien.		
CDIII.	—	Idem Eidem. . . .	—	380.
		Iter feliciter confectum est De cancellario. De lancearіis magistri.		
CDIV.	—	Sigismundus, R. Achilli de Grassis. .	—	—
		De componenda pace.		
CDV.	—	Sigismundus, R. Eras. Ciołek, Epo. Or.	—	382.
		De eodem negotio.		
CDVI.	—	Sigismundus, R. Alberto, Magistro. .	—	383.
		De eadem pace.		
CDVII.	—	Andr. Krzycki Petro Tomicio, Epo. .	—	384.
CDVIII.	—	Sigismundus, R. Epo. Sambiensi. .	—	—
		De differentia quadam, quae fuit inter Christianum Colman quendam, civem gedanensem, et olim Arnoldum Tulle.		
CDIX.	—	Sigismundus, R. Epo. Sambiensi. .	—	385.
		De consilio quorundam nobilium contra praefectum castri Nidborg.		

CDX.	Literae.	Sigismundus, Rex, Stanislao et Janussio Ducibus Masoviae. . . .	Cod. G. R.	385
		De eodem negotio.		
CDXI.	—	Sigismundus, R. Georgio, Epo. Sambien .	—	386.
		De componenda quadam differentia.		
CDXII.	—	Sigismundus, R. Stephano, vojev. Mold.	—	—
		De Turcis et Tataris.		
CDXIII.	—	Sigismundus, R. Consiliariis Regni. .	—	387.
		De iisdem hostibus.		
CDXIV.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. .	—	—
		De instanti periculo ex parte Turcarum et Tatar.		
CDXV.	—	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi. .	—	—
		De iisdem.		
CDXVI.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. .	—	389.
		Nuncius mittitur. Omnem curam impendere velit, ut regnum suum defendat.		
CDXVII.	—	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi. .	—	—
		Castrum Ssabacz jam ab hoste interceptum est. Nanderalba in maximo versatur periculo. Copias auxiliares quam celerrime mittere velit, quas habet paratas.		
CDXVIII.	—	Sigismundus, R. Stephano Batory, Palat. Ungariae. . . .	—	390.
		Quingentos equites et duo milia peditum in subsidium mittit, et ut idem reliqui vicini faciant, eosdem diligenter exhortatus est etc. sed ipsi sibi consulant oportet.		
CDXIX.	—	Sigismundus, R. Ducibus Silesiae. .	—	—
		In auxilium accurrere quam celerrime velint regi suo.		
CDXX.	—	Sigismundus, R. Isabellae, Duci Barensi.	Ex cod. mss. bibl. Ossolin	391.
		De executione testamenti jam cum rege Hispaniarum per commissarios pluries actum, sed non usque conclusum est. Reliquam partem dotis quam celerrime presenti pecunia non gemmis mittere dignetur.		
CDXXI.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. .	—	392.
		De vidua Jaroslai Sokolowski.		
CDXXII.	—	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi. .	G. R.	—
		De statu belli et rerum hungaricarum.		
CDXXIII.	—	Sigismundus, R. Epo. Plocensi. .	Ex cod. mss. bibl. Ossolin.	394.
CDXXIV.	—	Sigismundus, R. Vojevodae Moldaviae. .	—	—
		De nuncio ad Turcam eunte.		
CDXXV.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. .	G. R.	—
		De subsidiis mittendis.		

CDXXVI.	Literae.	Sigismundus, R. Proconsuli etc. Pragensib.	Cod. G. R.	395.
CDXXVII.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. . Sbigneus Słupecki commendatur.	—	396.
CDXXVII.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. . De Janussio Swirczewski.	—	—
CDXXIX.	—	Sigismundus R. Ludovico, Regi. . Quod oratores suos miserit ad Caesarem, approbat. Ipse scripsit ad pontificem maximum etc.	—	—
CDXXX.	—	Sigismundus, R. Leoni X. . .	—	397.
		De discrimine, in quod incidit regnum Ungariae.		
		Sigismundus, R. Collegio Cardinalium. .	—	398.
		Sigismundus, R. Achilli de Grassis. .	—	399.
CDXXXI.	—	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. . De statu suo et regni quam celerrime perscribere velit.	—	—
CDXXXII.	—	Sigismundus, R. Erhardo Kweis, Ordinis Theutonic. postulato ad eccl. Pomesanien.	—	—
CDXXXIII.	—	Sigismundus, R. Joanni Tarnowski. . Miratur rex, quod tanto tempore de statu rerum regis et regni Ungariae nil perscripserit.	—	400.
CDXXXIV.	—	Petr. Tomicki, Eps. Joanni Tarnowski. . De conventu Petricoviae celebrando. Perscribere velit saepius Mti. regiae omnia, quae in Ungaria aguntur.	G.	—
CDXXXV.	—	Ludovicus, Rex Hungariae, Sigism. Regi. De expugnatis per Turcos castris. De conventu celebrando ad capienda consilia defendendi regni.	G. R.	401.
CDXXXVI.	—	F. Armelinus Medices etc. Sigism. Regi	—	402.
CDXXXVII.	Responsum a Sigism., R., datum Henrico Melticz. .		—	403.
CDXXXVIII.	Literae.	Sigismundus, R. Ludovico, Regi. .		405.
CDXXXIX.	Legatio a Sigismundo, R. ad Conventum Prussiae.		—	406.
CDXL.	Contributio et ordinatio ad defendendam Vngariam in conventu Budensi per omnes Ungaros facta et per regem Ludovicum. Ad diem S. Elisabethae. . . .		—	407.
CDXLI.	Literae.	Ludovicus, R. Sigismundo, Regi. . De decretis peracti conventus. De coronatione sponse Sermae. jamjam peracta. De nuptiis celebrandis, ad quas invitatur. De Turcis. De rebus in Transalpinis per Mehmetbeg gestis. De periculo imminenti etc.	—	415.

Emendanda.

Pag.	157	v. 15.	mercenarii legas	necessarii
	158	26.	ut in —	ut ni
	175	6.	Moscovite —	Masovite.

Posnaniae. Typis A. Popliński. MDCCCLV.

Biblioteka Nauk. Akad. Polit. im. P. Uniwersyt...

BIBLIOTEKA NAUKOWA WAP